TRACTATUS
DE STUDIIS MONASTICIS

In Tres Partes diſtributus,

Cum quadam præcipuarum difficultatum ſerie, quæ in Autographorum Operum lectione ſingulis quibuſque ſæculis occurrunt,

Selectiorumque Voluminum addito Catalogo ad Bibliothecam in Eccleſiaſticis materiis comparandam,

AUCTORE

P. D. JOANNE MABILON
MONACHO BENEDICTINO.

TOMUS PRIMUS.

Latine vertit

P. D. JOSEPHUS PORTA
ASTENSIS

Monachus Caſin. in Collegio Anſelmo Benedictino Romæ olim Sacr. Theolog. Lector.

EDITIO ALTERA.

VENETIIS, MDCCXLV.
Ex Typographia Andreæ Poletti.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA

Miſſa ab Eminentiſſimo Cardinali

DE AGUIRRE

P. D. JOANNI MABILLON,

Mihi tradita a Viro clariſſimo P. D. Eraſmo Gattola, primo Tabularii Caſinenſis Cuſtode, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore.

Admodùm Reverende Pater.

NIhil mihi gratius accidit, quàm ubi literas tuas accipio, aut libros lego, præſertim hunc noviſſimum de ratione Studiorum Monachalium, adversùs piiſſimum illum Abbatem de Trappa. Nondum fuit mihi tempus totum illum percurrendi, ſed adhuc reſtat major ipſius pars evolvenda. Cùm autem ſcriptus ſit Lingua Gallica, mihi peregrina, in qua hactenus exiguos progreſſus feci, ſolùm dicere poſſum cum veteri illo Philoſopho: Quæ intellexi bona ſunt, Credo & quæ non intellexi. *Idem mihi paſſim accidit in Libris aliis Gallicis etiam prædicti Abbatis, quos ingenti numero apud me habeo, & interdum lego, aut coram me legere facio. Certè in hac parte, ſive defenſione ſtudiorum Ordinis Monaſtici, rationes tuæ, probationes, & documenta ex*

Digitized by Google

tota ferè antiquitate Chriſtiana deſumpta, videntur planè rem extra controverſiam ponere. Si nulla utilitas, nullum meritum, nihil denique laudabile eſt in ſtudiis, & exercitiis literariis Monachorum, væ Majoribus noſtris, qui tot ſæculis à tempore Patriarchæ Benedicti in iis laborarunt. Væ tibi, ac tui ſimilibus in Congregat. S. Mauri; Væ & mihi, aliiſque meorum Fratrum in Hiſpania, & alibi ferè. Profectò miſerabiliores erimus aliis hominibus, ſi tota nocte laborantes nihil cæpimus. Atqui loquendo de iis, qui pietatem in primis colunt, ac ſubinde ſtudia literaria debito modo, methodo, ac tempore in eum ſcopum dirigunt, immane paradoxon, *& minimè tolerandum erit, ſi ab illo Scriptore, aut quoquam alio damnentur. Meliùs certè, ac rationabiliùs invehi potuiſſet adversùs quoslibet, præſertim Monachos, qui præpoſtero fine, modo, ac via ſtudentes, aut plus ſapere appetentes, quàm oportet ſapere: Nimirum ex his capitibus peccatur frequentiſſime ab iis etiam, qui Monaſticam vitam profeſſi, plus juſto, atque incongruo modo exercitationibus literariis ſe dederunt, non tam in Dei obſequium, utilitatem publicam & privatam laborantes, quàm ob curioſitatem, ambitionem, aut illiberalem quæſtum. Quin & ſepè non ſolùm in ſcholis publicis, ſed etiam privatis Monaſteriorum, magna temporis pars inſumitur, jactura irreparabili in Quæſtionibus prorſus inutilibus, ſimilibus aranearum telis, in quibus nihil eſt, præter ſcholaſticam quamdam ſubtilitatem. Id mihi etiam contigiſſe pro more ſæculi, qui etiam in Religioſos viros, & Clauſtra Monaſtica irrepſit, fateor, non abſque dolore cordis mei. Multa dictavi, ſcripſi, & typis mandavi parum utilia, quamvis plurima alia ejuſdem generis reſecaverim. Quæcumque de cætero edere contigerit, abſque ea labe ſane prodibunt; quin etiam ante jam edita, ſi recudenda erunt, ab ejuſmodi quiſquiliis libera erunt, quantum mihi licuerit; neque enim omnia illa, quæ primo aſpectu talia videntur, reſecari penitùs debent, cùm multa eorum deſerviant ad exercitationes congruam ingeniorum, & viam aperiant, mentemque exacuant ad graviores alias quæſtiones penitiùs intelligendas, & explanandas. Laudandus itaque eſſet Scriptor ille, ſi dumtaxat adversùs hoc ſtudendi, ac ſcribendi* cachoethes, *præſertim in Monachis, calamum ſtrinxiſſet, atque ea in re me conſentientem, ac laudatorem inveniret. Deſervient tamen illius ſcripta, & Obſervationes circa eam rem, ut Monachi omnes S.P. Benedicti, memores inſtituti noſtri, potiores curas, majoremque temporis par-*

tem-

tem impendant in exercitiis ſpiritualibus, & ſacris in Regula præſcriptis; ſtudiis verò literarum dumtaxat quantum, & quatenus conferunt, aut conferre queunt ad pietatem, perfectionem Chriſtianam, Religioſam, Monachalem, & tandem ad perfectam charitatem erga Deum, & Proximum. Sed quid Ego immorer in iis explicandis, quæ uberrimè à te inſigni eruditione in hoc Libro explanata ſunt, & erunt; Quin & à Congregatione tua, obſervantiſſima pariter & doctiſſima uſu ipſo, ac vivido exemplo demonſtrantur? Perge igitur, Vir eximie, & proſequere, uti hactenus, ſimul cum aliis Sociis, quotquot incumbunt ſimilibus ſtudiis, & præcipuè correctiſſimis editionibus Operum SS. Patrum. Quales profectò ſunt in primis noviſſimæ Sanctorum Ambroſii, & Auguſtini, quorum poſtremos tomos accepi cum ingenti animi voluptate, & non minori erga vos gratitudine. Ne prætermittas quæſo grates meo nomine reddere quamprimum Reverendiſſimo Patri Generali, & ſalutem multam impertiri Eruditiſſimis Michaeli Germain, Theodorico Ruinart, Bernardo Montfaucon, aliiſque ſimilibus. Vale, & tuis, ac tuorum Sacrificiis, & precibus me nimiùm egentem, Deo commenda.

Romæ 22. Januarii 1692.

Addictiſſimus, tuique Amantiſſimus
Joſephus Card. de Aguirre.

Digitized by Google

Religioſis Alumnis Benedictinis Congregationis S. Mauri.

VObis potiſſimùm, dilectiſſimi Fratres, opus hoc dicare teneor, cùm propter vos ipſos ſpeciatim à me ſuſceptum fuerit, ac lucubratum. Quidquam temeritatis redoleret, credo, univerſo Monachorum noſtrorum cœtui ipſum nuncupare, quandoquidem plurimi inter ipſos ſunt, quos tamquam Didaſcalos venerari cogor, quive proinde præſentis non indigent lucubrationis. Hæc autem aliud non innuit, quàm ſtudiorum quamdam iſagogem, quæ jam plerique ipſorum toto ferè vitæ ſuæ tempore excoluere, eorumque poſſent ipſimet normam tribuere. Silentio tamen hoc peculiare prætereunt, jamque multum temporis labitur, quo à majoribus noſtris ad quaſdam notitias calamo exarandas ſtimulor, quas iis ſummè neceſſarias cenſent, qui primò ſtudiis incumbunt.

Verùm, cùm pluribus ab hinc annis id exequi diſtulerim, opportuna tandem arriſit occaſio, quæ ad iſtam Provinciam capeſſendam omninò me compulit. Compertum quippe nobis eſt, quamdam paulò ab hinc tempore, inter doctrinæ pietatiſque viros, emerſiſſe cavillandi rationem, ex qua plerique ipſorum autumant ſolitariam vitam degentibus ſcientiarum cultum minimè congruere. Quò circa vobis, dilectiſſimi Fratres, haud ægrè innoteſcere poteſt quid præſenti dederit anſam diſputationi, nec operæ pretium puto eamdem vobis exactiùs exponere. Varia autem ſuper hoc fuere opinantium placita, ne dum intrà, verùm & extra clauſtra degentium; meamque impræſentiarum cogor aperire ſententiam, unde etiam occaſionem ſumpſi eam vobis ſaltem adumbrandi rationem, ad quam pro recta ſtudiorum veſtrorum norma reſpicere poſſitis. Hocque in primis eſt, quod in præſenti opere exequi animo duxi, ut aliquam ſaltem meæ in vos intimæ propenſionis notam oſtenderem, quam jugiter in corde detinui.

Hinc etiam comperiri à vobis poterit, quantæ fuerim neceſſitati obnoxius, ut me aliquantulùm in iſto Tractatu diffunderem; non enim ſatis hìc erat antiquitatem ſtudiorum in toto

Ordi-

Digitized by Google

Ordine Monaſtico declarare, præſertim verò in noſtro, ſed inſuper neceſſum omninò fuit, modum, legeſve ritè ſtudendi tradere, Monachorumque cœtui reſerare. Porrò hæc regula eam methodum affert, quam, dùm varias ad ſcientias incumbere paramus, nobis convenit indeclinabiliter ſtabilire; præſertim verò in iis, quæ magis ad noſtrum conferunt inſtitutum, ſiſtendo in intimis illis diſpoſitionibus, quas ad rectum earum uſum adducere oportet. Meum itaque iſtud ſcribendi conſilium nonnihil, ut cernitis, aliò me tranſtulit; nec enim cohibere me potui, quin de iis omnibus ſermonem facerem, quæ ad Eccleſiaſticos maximè pertinent.

Non vereor, quin hæc ſcribendi methodus pleriſque admirationem pariat, qui fortè autumabunt, ipſam à me ſingulis Monachorum æquè proponi. Sed hæc mei non eſt meta conſilii; compertum quippè mihi eſt, quòd cùm pauci ſint ad horum omnium vaſtitatem laborum idonei, ſic etiam pauciores occurrunt, quos Deus ad eamdem metiendam advocet. Quinimmò ſæpè numero contingit, ex tot literariis occupationibus inanem curioſitatem augeri, potiùs quàm puro ad veritatem affectu attendatur. Verùm cùm non cuivis homini, ut fertur, contingat adire Corinthum, & ad peculiares ſcientias aptiores nonnulli appareant, quæ pleroſque alios vix decent; hinc operæ pretium fuit in præſenti **Tractatu** de iis variè diſſerere, eaſdemque multifariè proponere, ut ſingulorum inclinationi, ac viribus inſinuando modum ad eas ſe applicandi juxta proprium uniuſcujuſque inſtitutum, ſatisfaceremus. Cæterum prudentiæ, ac ſuperiorum conſilio remittendum erit, quibus onus incumbit ſubditos ſibi Monachos ad ea potiſſimùm ſtudia capeſſenda dirigere; quæ tum ipſorum captui ſint magis accomoda, tum etiam Eccleſiæ, aut Religioni, quam profitentur, magè proficua.

Contingere nihilominus poſſet, ut in tanto Monachorum numero aliquot eſſent, qui ſufficienti præditi ingenio, & pari propenſione ducti, ferrentur ad operam navandam ſtudiis doctrinarum Eccleſiaſticarum, has perſcrutando in ipſo Autographorum fonte; propterea ut ad id aſſequendum planior ipſis via reddatur, præcipuarum difficultatum ſeriem in calce hujus tractatus ſubdam, quæ in illorum lectione ſingulis quibuſque ſæculis poſſent ipſis occurrere; addito etiam ſelectiorum librorum

 Cata-

Catalogo, quos ad Bibliothecam Eccleſiaſticam conſtruendam cenſui utiliores. Utcumque tamen ſit, cùm volumen iſtud publicæ luci tradatur, proindeque univerſorum indiſcriminatim terendum manibus, hinc eſt, quòd ſi Monachorum paupertas ad id præſtandum obſtet, fortè ſecùs erit penès alios extra Clauſtra degentes.

Vobis inſuper, ſi libet, animadvertendum erit, quòd ſi infra ſingillatim de ſcientiis agens, multifarios ſuper qualibet ipſarum perlegendos libros proponam, non eſt quòd velim ad eorum omnium lectionem vos univerſim cogere, ſed ut variis ſingulorum placitis ſatisfaciam, qui ex iſta voluminum diverſitate, de conſilio Præpoſitorum ſuorum, vel alterius prudentis, ſapientiſque viri, utiliora ſibi ſeligere poterunt. Ad quod alia inſuper ſuppetit ratio, quia ſcilicet arduum nimis foret pro numeroſa aliquorum Cœnobiorum ſodalitate ſimilia in promptu habere volumina, quæ ſingulis diſtributa inſervirent. Ad hoc igitur abſurdum evitandum, multifaria ſuper una, ac determinata materia illa notare optimum duxi. Hæc interim vobis ſat ſint pro manifeſtatione mei conſilii, & pro præſentis operis declaratione, ſuper quo licebit mihi quadantenus gloriari, ſi quidquam ſpiritui potiùs, quàm ſcientiæ, fructuoſum contulerit.

Quandoquidem ſciendum vobis eſt, Fratres in Chriſto Chariſſimi, me hìc non præſumere noſtra transformare Cœnobia in Academica ſcientiarum lycea; cùm enim Apoſtolus de alio non gloriaretur, niſi de illo, in quo prædicabat Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum, haud alia pariter ſit oportet ſtudiorum noſtrorum meta. Hæc igitur à nobis taliter exercenda ſunt, quatenus in nobis ipſis, & in aliis reformemus, quantum poſſumus, novum illum hominem, cujus vivum exemplar in ſemetipſo nobis expreſſit Salvator Noſter, & ſi qua fuerit ſcientia, quæ ad hunc ſcopum recta non collimet, plus ſanè nocebit, quàm quidquam prodeſſe valeat. Sola charitas rectam in nobis ſtudendi praxin poteſt efficere, ipſaque dumtaxat illum cordis tumorem reprimere, quo ſpeculabilium ſcientiarum profeſſores ut plurimùm laborant, dum per ipſas ſe unicè inter cæteros diſtinguere conantur, item ab hominibus libenter ſciri volunt, propriique nominis gloriam comparare. In hunc profectò ſcopulum non impingetis, ſi cum Mellifluo voſmetipſos ſic ſæpè alloquamini: Malo ſine illa, quæ inflat, quàm abſque

Bernard. prol. in lib. de præcep. & disp.

abſque illa; quæ ædificat inveniri. Si ſingulæ cogitationes veſtræ, omneſque ſtudiorum conatus ad hoc tendant, nimirum ad vos ipſos probè cognoſcendum, ut humiliores inde evadatis, humanis oculis jugiter vos occultando, clarior etiam in vobis fiet Dei cognitio, ad eum intimiùs amandum dirigens, ipſique fervidiùs ferviendum. Perſpicuum utique eſt, teſte etiam Apoſtolo, quod ſcientia ſine charitate inflat, ſed tantundem pro certo habendum, quòd divina opitulante gratia, nihil utilius eſt ad humilitatem noſtram conciliandam; quoniam nihil vividiùs præſentem corruptionis noſtræ, miſeriarumque noſtrarum periſtaſin repræſentat. Si notiones, quas ſtudendo acquiretis, iſtum in vobis fructum non gignant, ſatius quidem erit eas prorſus omittere, quàm ex earum apparatu lethiferum in vobis virus confici, quod ſpiritum inflantem reddat. Quamquam ſi hoc aliquando eveniat, jam non eſt peſſimus hic effectus ipſarum ſcientiarum naturæ tribuendus, ſed perverſæ eorum diſpoſitioni, qui ad illas incumbunt. Cæterùm ſi ſatagatis in Deum corda veſtra dirigere, non minori utilitati vobis erunt, ac tot aliis inſignibus Ordinis noſtri viris, qui eas enixè coluerunt, & in augmentum direxere, tum propriæ, tum alienæ ſalutis. Quinimmò non abſimile cenſendum arbitror de profanorum lectione voluminum, quæ ſi recta intentione legantur, non modicum vobis fructum ad ſalutem pariter conferre poterunt. Id autem creditu difficile foret, ſi nobis non innoteſceret effectus ille mirabilis, qui ex lectione ethnici Oratoris in corde Divi Auguſtini ſubitò emerſit, ſicut in libris Confeſſionum teſtatur dicens: Liber verò ille, ipſius exhortationem continens ad Philoſophiam, qui vocatur Hortenſius, ille inquam mutavit affectum meum, & ad te ipſum, Domine, mutavit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere jam cœperam, ut ad te redirem. Non ergo ad acuendam linguam librum illum referebam, neque mihi locutionem, ſed quod loquebatur, perſuaſerat. Super hoc autem fuſiori non me extendam calamo; quinimmò vereor, ne nimius jam in ſcribendo fuerim, cùm ſimplici cuperem adumbratione totum opus exprimere. Unà interim mecum veſtras ad Deum preces effundite, ut huic meo qualicumque labori eòuſque benedicere dignetur, ut mihi, & vobis, atque ſingulis ipſum lecturis, præſtet emolumentum.

Aug. lib. 3. Confeſs. cap. 4.

MONI-

Digitized by Google

MONITIO
AD LECTOREM.

QUamquam, ut mihi videor, diligentiam omnem, atque conatum adhibui, ut nemo in præſenti Tractatu falſa decipiatur hypotheſi, nihilominus mihi nondum certo perſuadeo, num in ipſo intentam metam feliciter attigerim, vel ſaltem eò devenerim, ut ſatis æquo lectorum animo perferar. Quinimmò verendum mihi eſt, ne fortè plurima ſcripſerim, quæ ipſorum juſta mereantur inuri cenſura, niſi, ut precor, me tota proſequi humanitate dignentur. Propterea hinc eſt, haud me cohibere potuiſſe, quin poſt iteratum iſto ſuper opere examen loca quædam ſedulò explanarim, quæ ſecùs contra mentem meam perperàm intelligi poterant.

Quidam fortaſſe mihi poſſet objicere, legendos libros me identidem proponere ab hæreticis Auctoribus editos. Verùm nec ii à majoribus noſtris cuipiam interdicendi ſunt, quandocumque nihil fidei orthodoxæ contrarium contineant, legeſque ab Eccleſia Romana ſancitæ omninò ſerventur. Nec enim eos perlegi, aut retineri poſſe, debita priùs non obtenta facultate, præſumo. Alioquin operæ pretium foret ea quoque Auctorum profanorum prohibere volumina, quæ magis a vera recedere Religione videntur, quàm ſint eorum Hæreticorum, qui contra Eccleſiam orthodoxam, aut bonos mores, nihil palàm ſentire ſunt auſi. Quocirca nemo hinc pravum arbitrabitur, librum de Religione, à Grotio elucubratum, à noſtris perlegi poſſe, cùm nihil Doctrinæ Catholicæ in ſe complectatur oppoſitum. Cujuslibet veritatis Deus eſt Auctor, nec non cujuſque Eccleſiam ſuam participem voluit; proindeque jus amplum huic ineſt earum quamlibet undecumque ſibi vendicandi, etiam cùm inter infidelis diſpenſatoris manus elucere contigerit.

Poſſent inſuper mihi nonnulli opponere, quoſdam à me alicubi commendari Auctores, Catholicos quidem, non tamen univerſim receptos. Verùm hoc ideo mihi viſum eſt, quatenus intimiùs poſſent penetrari difficultates, Doctorumque rationes eventilari, qui oppo-

ſitæ

Digitized by Google

ſitæ extitere ſententiæ. Propterea hinc eſt, quòd de Conciliis ſermonem faciens, lectionem Richerii, Jacobatii, & Patris Lupi Auguſtiniani proponam. Haud ægrè percipi poteſt, me ullam non ſtabilire ſententiam, quam quis teneatur amplecti, Auctores citando ſenſui doctrinæ noſtræ contrarios; ſed mei metam conſilii aliam in præſenti non eſſe, niſi rationibus hinc inde ponderatis, ex opinantium varietate ſimplicem veritatem eruere.

Fortè quis dixerit, me opus iſtud Junioribus lectitandum ſcribere, nec à prudentibus æquibonique fieri hujuſcemodi libros ipſorum immaturitati tradere. Verùm ſic pro juventute ſcribo, ut hac ætate florentes ad ſenectam uſque perducam, dum inter varias temporum rationes pro ſingulis eos capeſſendos libros diſtinguo, qui ſint uniuſcujuſque ætati, captuique conformes.

Quantum ad Auctorum catalogum, quem ad Eccleſiaſticam Bibliothecam conſtruendam innui in hujus calce tractatus, nonniſi perpaucos eorum ibi notavi, qui de hæreſi ſcribere profitentur; enimverò licèt hujus farinæ volumina facilè haberi poſſe contingat, magnum tamen ipſorum cumulum congerendum eſſe non arbitror, niſi fortè pro Religionis, aut Eccleſiæ orthodoxæ defenſione, ad iis utendum (Eccleſiaſtico quidem jure ſervato) neceſſitas cogat.

Nos

Digitized by Google

NOs D. Hippolytus, & D. Aurelius Auguſtinus à Placentia Caſinates, juſſu Reverendiſſimi Pat. Præſidis, perlegimus Librum, cujus titulus eſt: *Tractatus de ſtudiis Monaſticis. a P. D. Joſepho Porta Aſtenſi*, Monacho Congregat. noſtræ, exaratum, in quo cùm nihil Catholicæ Fidei, ac bonis moribus adverſum invenerimus, propterea quantum noſtra intereſt, publica luce dignum arbitramur. Dat. Ceſenæ in Monaſt. Sanctæ Mariæ 19. Julii 1704.

DEcretum Reverendiſſimi Patris Præſidis Congregationis Caſinenſis. Viſa, atque perlecta atteſtatione P. D. Hippolyti, & P. D. Aurelii Auguſtini à Placentia, quibus à nobis demandatum fuit, ut Librum, cui titulus eſt: *Tractatus de Studiis Monaſticis, à P. D. Joſepho Porta Aſtenſi exaratum*, examinarent; quia ab iiſdem ex omni parte prælo dignus nobis proponitur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, ideò & nos facultatem concedimus ut typis mandetur.

Dat. Anverſæ die 1. Auguſti 1704.

D. Hippolytus à Neap. Abb. & Præſidens.

D. Raymundus à Neap. Procancell.

NOI

Digitized by Google

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

CONcedemo Licenza ad Andrea Poletti Libraro di riſtampare il Libro intitolato: *Tractatus de Studiis Monaſticis in tres Partes diſtributus, &c. Auctore P. D. Joanne Mabillon Monacho Benedictino*, ſecondo l'eſemplare ſtampato nell'Anno 1705.

Dat. 29. Agoſto 1728.

(
(Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.
(Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segret.

20. Novembre 1728.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Antonio Canal Nodaro.

Appro-

Approbationes Doctorum.

Approbatio Domini Gabillonii, in Sorbonenſi Univerſitate Sac. Theologiæ Doctoris, & Parochi Sancti Laurentii.

NObis jam ſatis, ſuperque liquet quantum ædificationis Eccleſiæ univerſæ contulit Benedictina Religio, quantumve ipſi ob ſuam doctrinam profuit; quis ergo ulteriorem ejuſdem applicationem ad ſtudia meritò non approbet? In puritate ſui Inſtituti ea nunquam magis illibata permanſit, niſi cùm cæteris ſuis regularibus obſervantiis laudabilem iſtam occupationem adjunxit; & ſi aliquando in relaxationem aliquam incidit, hoc ideò contigit, quòd illam nonnihil intermittere viſa eſt. Quis unquam floridiorem ipſam inſpexit, quàm cùm ex ſcientiarum cultu egregios illos edidit viros, qui Fidem Catholicam propriis ſcriptis ſuſtentarunt, ipſam exteris nationibus prædicando dilatarunt, & tandem ob ſua præclara merita ad primas fuere dignitates aſſumpti? Hic ille eſt Ordo, cui multum debet Eccleſia, eò quòd tot Sacrorum Scriptorum, & Patrum manuſcripta exemplaria hucuſque ſervaverit, quorum etiam nunc temporis renovat editiones, diligentiſſimo examine tutas, ac profundiori eruditione refertas. Argumentum autem nec fortius, nec illuſtrius afferri poterat ad evincendum quem fructum pariat Regularium doctrina, quàm vividum Authoris operis iſtius exemplum, qui cùm pleraque alia præſtantiora in lucem ediderit, optimum inſuper duxit in præſenti unicuique propria ſtudia regulandi methodum tradere, viam pariter oſtendendo, quam ipſemet calcavit ad tam miram ſcientiarum vaſtitatem emetiendam. Nihil ſanè ſapientius, nihilve opportunius in præſentia percontari libet inſtructionibus ab ipſo traditis pro Authorum, ac materiarum ſelectione. Nos interim nil penitùs invenire ibi potuimus, quin Catholicæ, Apoſtolicæ, ac Romanæ Fidei ſit planè conſentaneum. Sic inquam pro veritate atteſtamur. Lutetiæ Pariſiorum die 31. Maii 1691.

N. Gabillonius.

Ap-

Digitized by Google

Approbatio Domini Gerbaſii, in Sorbonenſi Univerſitate Sacræ Theologiæ Doctoris, & in Regio Galliarum Collegio Regii Profeſſoris.

PErlegi Librum, cujus inſcriptio eſt: *Tractatus de Studiis Monaſticis, in tres partes diſtributus: concinnatum à R. P. D. Joanne-Mabillon, Monacho Congregationis S. Mauri*: Ut autem egregio huic Operi tota, & condigna laus tribuatur, non minori ſanè ingenii perſpicacitate præditum eſſe oportet, ac ſit illa Authoris, qui ipſum edidit in lucem. Videbatur, quod ex titulo dumtaxat ſtudiorum Monaſticorum, quem poſuit in fronte hujus operis, nil aliud in progreſſu legendum occurreret, niſi vel præclarorum Virorum hiſtoria, qui ex vaſta comparatione ſcientiarum celebres in ſtatu ſe reddidere Monaſtico; vel ſiquid amplius; ideam quamdam, aut methodum traderet pro ſtudiorum norma, iis præcipuè, qui Monaſticum cucullum induunt. Verùm ubi exacto, excellentique modo quoad hæc, partes abſolvit, egregiam inſuper methodum tradit omnibus, qui in ſcientiis Chriſtifideles univerſos decentibus, nonnihil proficere cupiunt, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtant. Non enim in uno tantùm cognitionum genere ſiſtere voluit, quæ Regulares ſpectare unicè videantur, ſed & quaslibet tum ſcientias, tum facultates perluſtravit, ut earum univerſi fierent reſpectivè participes; ſuper unaquaque enim ipſarum peculiares quaſdam annotationes tradit, modum innuendo, qua gradatione queant attingi, & qua ratione tractari. Quo circa Diſcipuli, non minùs ac Magiſter, inibi reperirent unde ſe inſtruant; adeò ut ſi quidquam utrique velint proficere ſuper his ab ipſo impertitis lectionibus, ſperandum ſit, majores impoſterum Sapientes futuros, quàm ſint hiſce temporibus, ipſaſquemet ſcientias à moleſtis quibuſdam methodis abſolutum iri, queis nunc in ſcholis miſerè ſubduntur. Æqua ut minimùm, atque honeſta ratio, qua utitur Author in rebus proponendis, nemini non debet eſſe accepta. Unicuique quod ſuum eſt tribuit, ſine ulla perſonarum acceptione; & modeſtia, quam proprias enuntiando ſententias exhibet, ſola obſtinatiorum Authorum duritiem poſſe vincere creditur. Cæterum opus hoc, quod ob materias, & geſta, quæ complectitur, eſt eruditionis prodigium, continet etiam

etiam plenam Academici diſcurſus venuſtatem. Floribus undequaque conſperſum cernitur, ſelectis in amœnioribus, tum ſacræ, tum profanæ literaturæ campis. Quodque majorem adhuc æſtimationem ſibi vendicat, eſt, quòd documenta, quæ claudit, non minùs intellectum illuſtrant, quàm ipſa apprehendentis animum ædificent; inde namque norma ſimul colligitur, nedum ritè ſtudendi, rectèque loquendi, verùm & piè vivendi. Tandem ut verbo concludam, opus eſt omnibus abſolutum numeris. Sic ergo pro veritate atteſtor, nullatenus metuens vel minimam mendacii notam.

Datum Pariſiis die 30. Maii *1691*.

Gerbaſius.

Approbatio Domini Abbatis Piroti, in Sorbonenſi Univerſitate Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris. Item altera Domini Abbatis Courcierii, *in eadem Univerſitate Sacræ Theologiæ Doct. Canonici, ac Theologi Eccleſiæ Pariſienſis.*

JAm toti literariæ Reipublicæ innoteſcebat mira ſapientia, & ſingularis modeſtia R. P. Mabillon, ex multis nempe aliis operibus, quæ dudum in lucem edidit; ſunt enim procul dubio pretioſiora literaturæ ornamenta, & præcipua ſapientum ſubſidia. Tractatus de Studiis Monaſticis, quem nunc prælo committit, publicam hanc, ſolidamve tanti Patris æſtimationem penitùs confirmat. Non enim meliùs poterat fructus demonſtrari, qui in Monachorum Cœnobiis ex ſtudio paritur, nec ipſi prudentiùs dirigi ad opportunam librorum ſelectionem, ut eidem utiliùs vacent, nec tandem majori zelo ſcopus ipſis oſtendi, quem ſibi præfigere, & finis quem ſibi deligere debeant. Ex humilitate quidem voluit librum ſuum tantummodò intrà clauſtra concludere, eumdemque non niſi Religioſis ſuæ Congregationis alumnis nuncupare, quæ multum profectò Eccleſiæ confert, tum propter regularis obſervantiæ exemplum, quo cunctis mirè reſplendet, tum ex literariis ſuis occupationibus, queis ſit de ſapientibus optimè merita, potiſſimùm autem ex nuperis, diuturniſque Sanctorum Patrum, Eccleſiaſticorumque Auctorum eruditionibus, quas prælo jugiter tradit, in ipſis

b reſe-

referando quamplurima ſcripta nos hucuſque latentia, & alia in priſtinam ſuam puritatem redigendo. Cùm præſentis operis lectioni operam dabimus, faciliùs dignoſcere poterimus univerſo literatorum cœtui idem profuturum; ſiquidem ne dum tyronibus ritè ſtudendi leges inibi occurrent, verùm & provectiores inde normam diligere poterunt pro ſuorum conſummatione ſtudiorum; Quin immo vel ipſis ſapientum Coryphæis fortè non deerit, unde proficere valeant. Omni ergò æſtimatione dignus reputandus eſt Auctor, cui tam vaſta ineſt ſcientiarum moles, cujus ideæ adeò perſpicuæ, diſtinctæque ſunt de rebus omnibus, ut nobis admirationem concilient; Cujus demùm ſolida virtus eò majorem ipſi ſplendorem parit, quò præſtantiori gaudet Rempublicam literariam humilitate latere, cuique nonniſi urgenti Majorum ſuorum Imperio manifeſtum ſe redderet.

Datum in Sorbonenſi Univerſitate die 31. Maii 1691.

Pirotus, & Courcierius.

Approbatio Domini Philippi Du-Bois. Sac. Theologiæ Doctoris Facultatis Pariſienſis.

SOlum Auctoris præſentis Tractatus nomen ſat ſuperque reor ad publicam, & univerſalem ejus æſtimationem; illud enim ubique locorum celebrant opera, quæ is prælo mandavit. Religio, pietas, modeſtia, ac profunda eruditio R. P. Joannis Mabillon univerſim adeò commendantur, ut vel inviſtiſſimi in Orbe terrarum Regis laudes, ac præconia meruerint. Nobis onus planè incumbit divinam jugiter providentiam extollere, eò quòd noſtra hac tempeſtate egregium, ſapientemque virum excitarit ad curandum peſtiferi cujuſdam morbi genus, præſenti inauditum ſæculo, nonnullorum ſcilicet opinionem, ſeu potiùs impudentiſſimum errorem, aſſerentium ſtudia, ſcientiaſque, nedum nullum fructum gignere, ſed potiùs detrimento eſſe iis præſertim, qui cœnobiticè degunt, cùm ad Chriſtianarum virtutum exercitium teneri unicè videantur. Novum tamen, ut verum fatear, omninò non eſt hocce perverſum dogma;

ma; ſapientiſſimus enim, ac diſertiſſimus Eccleſiæ Doctor Gregorius Nazianzenus in ſacra Panegyri, quam ſuper Divo Baſilio Magno, ſibi intimo, ſcribit, dolebat vehementer, quòd etiam tun temporis plerique Chriſti fidelium inaudita prorſus novitate, ſub devotionis prætextu ſtudia vituperarent, ſcientiaſque proſcriberent, utpotè noxias, veræque pietati, ac Religioni infenſas; & hinc eſt, quòd omni ſuæ eloquentiæ conatu, propriique zeli fervore, totus ſit Sanctus Doctor ad hortandum fideles, ut maximè caveant, ne hujuſce morbi contagione ullatenus afficiantur, neque ad iſtam mentis cœcitatem aliquando deveniant. Nobis inſuper certò aſſeverat, quòd cùm ſtudia, ac ſcientiæ inter ea principalia munera locentur, quæ hominibus Deus gratis impertit, propterea nonniſi ut pervicaces, cimmeriiſque tenebris involuti habendi ſint, quicumque illa contemnunt: Illud quidem (inquit S. Doctor) inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum tenere; nec de hac noſtra ſolùm, hac nobiliori loquor, quæ contempto omni ſermonis lepore, atque ornatu, ſaluti uni, earumque rerum, quæ mente intelliguntur, pulchritudini arctiſſime inhæret; ſed etiam de externa, quam plerique Chriſtiani pravo quodam judicio, ut inſidioſam, ac pernicioſam, & à Deo procul avertentem, aſpernantur ..... Non idcircò tamen ſequitur Sanctus Doctor) eruditio contemnenda eſt, quòd ita quibuſdam videatur; Quin potiùs inſulſi, atque imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant, qui nimirum omnes ſui ſimiles eſſe cupiunt, ut privata ipſorum ignorantia communis ignorantiæ tenebris eſſe videatur obtecta, nec quiſquam eorumdem inſcitiam prodat. Hoc itaque Divi Gregorii Nazianzeni exemplo motus eſt P. Domnus Joannes Mabillon ad præſentis operis lucubrationem in defenſionem ſtudiorum. Et ſanè rem hanc omni prudentia, ſoliditate, ordine, atque eruditione pertractat, conſtantique traditione ne dum ſtudiorum utilitatem confirmat, verùm & omnimodam eorumdem neceſſitatem ita demonſtrat, etiam reſpectu eorum, qui cœnobiticè vivunt, quique ſuaptè ſpontè ſeſe intrà Clauſtra ſolitariè concludunt, ut pro certo habeamus, quoſcumque, qui ſublato omnis livoris velamine, rectave ducti ratione, libri hujus lectioni vacabunt, perſuaſum iri de veritate,

Gregor. Nazianz. Orat. fun. S. Baſilii.

ritate, quam docet. Methodus ejus pura eſt, doctrinaque ſana, atque orthodoxa, quam ubi multa attentione perlegimus, aſſeveranter concludimus, nil prorſus in hoc opere ſcriptum, quin Eccleſiæ Catholicæ, ac doctrinæ Evangelicæ ſit plane conforme. Quamobrem omnibus neceſſarium idem eſſe ſentimus, qui ordinatè, ac methodicè ſtudere, brevique ſapientes fieri cupiunt. Sic pro mera veritate atteſtamur.

Datum Pariſiis die 29. Maii 1691.

Philippus Du-Bois.

Approbatio Domini Salmonii, in Sorbonenſi Univerſitate Sac. Theologiæ Doctoris, ac Profeſſoris.

QUi R. Patrem Joannem Mabillon non aliunde norunt; præterquam ex gradu, quem tenet in Republica literaria, ex vaſta nimirum eruditione, ac doctrina, queis præſtat, aſtutum arbitrabuntur per publicam præſentis operis eruditionem haud aliud ipſum velle, quàm legitimam ad ſcientias, quibus maximè nomen dedit, propriam fuiſſe applicationem oſtendere. Et ſanè ſi earum cultus, prout ad Monachos attinet, novo errandi generi aſcribitur, nemo magis, quàm libri iſtius Auctor, in hoc apologiam expoſcit. Apud omnes Europæ ſapientes jus eſt ipſum compellandi, quòd prodigioſè ſtudio vacaverit, proindeque aſſerendi, rem ſuam potiſſimum agere in cauſa nempe, cui patrocinatur. Verùm ſi paululum ad humilem, modeſtum, & pietate plenum reflectatur modum, quo in omni doctrina ſua procedit, ad probandum ſcilicet, ſcientiarum cultum Monaſticæ conditioni nil penitùs adverſari; facilè hinc poterit inferi, ipſum ex ſimplici erga veritatem effectu ductum fuiſſe ad præſentis materiæ pertractationem. Studendi methodus ab ipſo tradita, poſtquam propriam quoad hoc ſententiam firmiter ſtabilivit; item potiorum difficultatum, ſingulis quibuſque ſæculis occurrentium, catalogus, quem in calce operis ſubdit, Auctores ibidem indigitans, qui legendi ſunt ad plenam earumdem ſolutionem, perutiles mihi videntur iis omnibus, qui Eccleſiaſticam doctrinam cupiunt exactè comparare. Satis jam compertum eſt quantum temporis inſumant, nedum Juvenes, ſed & provectiores ætate viri, eò quòd veram

adhuc

Digitized by Google

adhuc ſemitam ignorent, quæ recta ad ſcopum ducit, ad quem ſtudendo collimant; & inſuper quantum proprio experimento inſudent in meliorum ſelectione voluminum, hæc ab iis ſecernendo, ex quorum lectione nullus propemodùm fructus eruitur. Unum adhuc deeſſe videbatur, iis in primis utile, qui poſtquam Theologiæ facultati operam navare ſtatuerunt, libros in dicta materia comparare deſiderant; Operæ ſiquidem pretium erat exactam ipſis potiorum Auctorum notitiam tradere, qui ſubinde ad Eccleſiaſticam Bibliothecam conſtruendam inſervirent; & inſuper ipſos dirigere ad eorumdem meliores editiones diſtinguendas; quod quidem adunguem præſtitit R.P. Joannes Mabillon. Præterea Auctorum ſelectiorum elenchus, quem in calce operis ſubdit, dignus prorſus eſt tanto viro. Circa methodum tandem, qua librum hunc eruditiſſimè concinnavit, ſi quidquam vellem ſuper addere, ſupervacaneum penitus foret. Quicumque vel minimam reliquorum operum Auctoris iſtius notitiam habent, profectò etiam norunt, nihil niſi perfectum, & omnibus abſolutum numeris, poſſe de hoc ſcientiarum penu prodire. Hoc unum duntaxat ſubdam, videlicet non minori opus iſtud pietate abundare, ac eruditionum copia ad Chriſtianam ſcilicet ideam ritè formandam, in ſtudiis præſertim, quibus ad Eccleſiæ ſubſidium Theologus vacare tenetur. Sic pro veritate atteſtor poſtquam ſedulò & attentè librum hunc perlegi.

Datum Pariſiis die 30. Maii *1691*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE

Salmonius.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

Tractatus de Studiis Monaſticis.

TOMUS PRIMUS.

Præambulum, occaſio, finis, & diviſio Operis.

PARS PRIMA.

Cap. I. *Quòd Monaſtica ſodalitia inſtituta non fuerunt, ut eſſent Academiæ ſcientiarum, ſed virtutum; & quòd ſcientiæ in iiſdem eatenus ſolùm excultæ fuerint, quatenus ad perfectionem Religioſam conducere poterant.*

II. *Quòd rectus ordo, ſeu Œconomia, quæ in Monachorum ſodalitiis ab initio ſtabilita fuit, vix ſubſiſtere poterat abſque ſtudiorum ſubſidio.*

III. *Quòd abſque ſcientiarum adminiculo nequeunt Abbates, aut alii Superiores eas obtinere dotes, quæ ad perfectum regimen exiguntur.*

IV. *Quòd Monachi ad Clericalem ſtatum evecti, ad ſtudia tenentur incumbere.*

V. *Viri egregii, qui inter Monachos effloruere, certò indicant, quòd literarum ſtudia apud ipſos impensè colebantur.*

VI. *Quòd Cœnobiorum Bibliothecæ ſunt etiam ſtudiorum indicia, quæ ibi fiebant.*

VII. *Quòd ab ipſomet Divo Patre Benedicto ſtabilita fuerint ſtudia in ſuis Cœnobiis.*

VIII. *Inter cauſas ruinæ ſtatus Monaſtici hæc pariter recenſeri poteſt, defectus nempè ſtudiorum, & amoris literarum.*

IX. *Inter varias reformationes Ordinis Benedictini, diligens ſemper cura adhibita fuit pro ſtudiorum reſtauratione.*

X. *Continuatio ejuſdem Capitis; ubi etiam fit ſermo de Ciſtercienſis Ordinis reformatione, nec non de inſtitutione Abbatiæ Beccenſis, & Carthuſianorum.*

XI. *Quòd Academiæ, ſive Collegia, quæ ſingulis temporibus in Cœnobiis Ordinis Divi Benedicti floruere, apertè indicant continuam in ipſis ſtudiorum approbationem.*

XII. *Quòd*

Digitized by Google

XII. *Quòd neque Concilia, neque Summi Pontifices, ſtudia unquam Monachis interdicere; quinimmò eoſdem ad illa adſtrinxerint.*

XIII. *Ubi ponderantur abſurda, quæ poſſunt occurrere in ſtudiis Monachorum.*

XIV. *An ſtudium licitè ſubſtitui queat loco operis manualis.*

§. I. *Ubi diſcutitur obligatio Monachorum ad dictum laborem, & rationes perpenduntur, quæ adduci poſſunt pro ejuſdem diſpenſatione.*

§. II. *Applicatio præſentis doctrinæ ad propoſitum ſtudiorum, ubi etiam difficultates proponuntur, quæ poſſunt objici ſuper dicta Monachorum ad manualem laborem obligatione.*

XV. *Traditio Studiorum intrà Cœnobia, & potiſſimùm intrà ea Orientis.*

XVI. *Continuatio ejuſdem traditionis apud Occidentales.*

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

Cap. I. QUòd illæ eadem ſtudia, quæ Eccleſiaſticis convenire cenſentur, etiam Monachis permitti poſſunt.
II. *De ſtudio ſcripturarum Sanctarum.*
§. I. *Ubi primùm diſcutitur, an Monachis permitti indiſcriminatim debeat lectio omnium librorum Sacræ Paginæ.*
§. II. *De Methodo à Monachis ſervanda in lectione Sacræ Scripturæ.*
§. III. *Quænam diſpoſitiones prærequirantur ad utiliter legendam Sacram Scripturam.*
§. IV. *Qualiter proficere debeamus ex lectione Sacræ Scripturæ.*
III. *De lectione, & ſtudio Sanctorum Patrum.*
IV. *Continuatio ejuſdem aſſumpti, ubi fit ſermo de Sanctorum Patrum lectione, quatenus ad Theologiam confert.*
V. *De ſtudio Conciliorum, & juris tum Canonici, tum Civilis.*
VI. *De Theologia tam poſitiva, quam ſcholaſtica.*
VII. *De Doctoribus caſuum conſcientiæ.*
VIII. *De ſtudio ſacræ, ac profanæ Hiſtoriæ.*
IX. *De ſtudio Philoſophiæ.*
X. *Continuatio ejuſdem Capitis, ubi etiam diſſeritur de ſcriptis, & Diſputationibus Philoſophicis.*

Finis Indicis primi Tomi.

TRA-

TRACTATUS
DE STUDIIS
MONASTICIS

In tres Partes diſtributus.

Præambulum, occaſio, finis, & diviſio Operis.

VEtus quædam adeſt controverſia, quæ identidem refricata fuit, ac celebris noſtra hac tempeſtate evaſit, videlicet an deceat Monachum ad ſtudia literarum incumbere. Univerſim autem ſtudiorum nomine communes quædam, ordinatæque exercitationes intelliguntur, quæ in ſcholis fiunt, ad ſuperiores (ut ajunt) ſcientias addiſcendas, quales nunc temporis ſunt: Curſus Philoſophicus, Theologicus, & id genus aliæ, quarum notitia, vel multùm congruit, vel Eccleſiaſticis viris apprimè neceſſaria cenſetur. Hic ergo non agitur de lectione, vel de peculiari ad quaſdam materias applicatione, quæ ad ſtatum Monaſticum ſpectant; nemo enim hactenus cogitavit iſtiuſmodi occupationum genera Monachis interdicere, quæ in ſingulis, ſive priſcis, ſive recentibus Regulis, valdè ipſis commendantur.

Difficultas tamen quoad hoc inſurgit, quouſque poſſit extendi materia, ſuper quam cadere debet peculiaris hæc applicatio; plerique namque autumant eam dumtaxat intra Sacræ Scripturæ limites, ſive ex toto, ſive ex parte, debere concludi, vel etiam libros illos comprehendere, in quibus de rebus Monaſticis, & aſceticis agitur. Secùs verò alii ſentiunt, illam omnium penitùs ſcientiarum ſtudium poſſe complecti, quæ Eccleſiaſticos decere creduntur.

Non minoris momenti altera inſurgit difficultas circa finem, quem ſibi

ſibi poſſunt, aut debent Monachi proponere in omnium harum ſcientiarum acquiſitione. Quidam enim exiſtimant, haud alium præfigendum eſſe, niſi propriam ſingulorum eruditionem, ſeu peculiarem addiſcentium perfectionem. Alii verò opinantur, notiones dictas ad Proximi etiam eruditionem poſſe referri, quandocumque Superiores, aut Eccleſiarum Paſtores, ipſos ſic eſſe applicandos autumarint.

Omnes iſtæ difficultates apertam nobis neceſſitatem innuunt hanc ſtudiorum materiam ſedulò examinandi, cum ex uno capite valdè opportuna videatur, ex altero verò majoris, quàm credatur, egeat illuſtrationis. Id porrò eſt, quòd ad tractandum de Studiis Monachorum impræſentiarum me impulit, præter majorum juſſa, & amicorum conſilia, qui arbitrati ſunt, materiam hanc adhuc in obſcuris latitantem, diligentiori eſſe ſubjiciendam examini. Me utique non latet, plures quoad id diverſimodè opinari Non enim deſunt ſophiſtæ pervicaciter ſentientes, nihil Reipublicæ literariæ de rebus aſceticis, vel de omni, quod Monachorum nomine cenſeatur, eſſe curandum, præterquam ſi criſi, aut ſatyra ſit utendum. Verum non omnes falſa hac imaginatione laborant; ſanioris quippè mentis viri oppoſitum docent, utiles nimirum noſtras eſſe poſſe lucubrationes, etiamſi ad explanandum ſint quidquid Monaſtici dumtaxat perhibetur inſtituti; cum jam inter alios Patrum Græcorum diſertiſſimus id egregiè demonſtraverit. Nil tamen ad inanem hanc ſuſpicionem reſpexi, neque id fuit, quod me in ancipiti aliquandiu detinuit ad iſtam Provinciam capeſſendam. Difficultatum numerus, quæ mihi objiciebantur, multaque extenſio, quam opus exigere videbatur, meum certe magis turbarunt animum: Sed quod in primis quaſi ab incœptis deſiſtere urgebat, eſt, quod eximius quidam Dei famulus, nunc temporis Monaſtici ſtatus ſplendor, adeo excellenter ſubtiliterque ſe quoad hoc declaravit, ut arduum omnino ſit poſt ipſum intentam metam pertingere; enimverò ſi ejuſdem ſententiam plane ſequamur, nihil ferè ampliùs ſuperaddendum reſtat; & ſi ab illa prorſus recedamus, periculum ingens univerſalis reprobationis inſmus.

Impoſſibile tamen fortè non erit rem hanc adeò moderari, ut nos invicem concordare quadantenus valeamus. Si etenim cuncti ſolitariè degentes iis, qui ab ipſo reguntur, planè aſſimilarentur, & ſi certò innoteſceret, quemcumque Superiorem eodem fore lumine præditum, quo ipſe præfulget, tunc utique opportunum valde non eſſet, Monachos ad ſtudia incumbere; tunc namque Superiores ipſi pro codicibus inſervirent, juxta Divi Auguſtini effatum: *Nos ſimus codex ipſorum*. Siquidem abundè Præpoſitorum ſcientiæ ſupplerent, quas aliter ſtudio ac labore deberent ſibi ſubditi comparare. At vero quia laborioſum valdè eſt, ne dicam impoſſibile, quælibet Monaſtica ſodalitia in tam ſublimi perfectionis gradu conſiſtere, qualem in ſacro ejus Cœnobio meritò admiramur; vel eſto, quòd ſingula talem gradum tenerent; cum tamen, non niſi rariſſime, abſque ſtudiorum adminiculo Superiores occurrant, qui ſufficienti ſcientiarum lumine polleant ad

Auguſt. in Pſalm. 90. Con. 2.

exa-

exactum Monachorum regimen, & ad ipſos in tam excelſo perfectionis ſtatu conſervandum; propterea in hoc caſu, qui etiam paſſim contingit, procul dubio exiſtimabitur, ſtudia fore prorſus neceſſaria, tum ut ex inferioribus Superiores idonei Monachorum ſodalitiis ſeligantur, tum etiam, ut tantum luminis Monachis inſit, ut pro aliquo ſaltem ſupplemento inſervire queant, quandocumque ipſis tale ſubſidium deficeret. Alioquin Monaſticæ Communitates in præceps quantocyùs ruerent, multa namque relaxatione, imò & erroribus innumeris abundarent, ex defectu nempè, tum inferiorum, tum etiam Superiorum doctrinæ.

Non itaque reor, obſequium meum erga præfatum Dei virum tantilliùm minui, ſi hactenus dicta in præſenti Tractatu diſcutienda aſſumam. Hunc ergo in tres dividam partes; in prima demonſtrare conabor, tantum abeſſe, ut ſtudia abſolutè opponantur perfectioni Monaſticæ, ut potiùs ſint quodammodò neceſſaria ad Religioſarum Communitatum conſervationem. In ſecunda quænam ſtudiorum genera Monachis magè ſint conſentanea, aperiam, ſimulque methodum tradam, ritè ab ipſis ſervandam, ut brevi ea perficere valeant. In tertia demum finem indicabo, quem ſibi in dictis ſtudiis proponere debeant, quæve ſint diligenda media, ut prorſus utilia, ac fructuoſa ipſa reddantur. Hæc porrò ſcribendi ratio planè inutilis fortaſſe non erit Reipublicæ literariæ; Utcumque tamen ſit, hoc ſaltem fine neutiquam fruſtrabitur pro meis ſodalibus, in quorum gratiam à me præcipuè ſuſcepta fuit, ac lucubrata.

PARS PRIMA.

In qua demonſtratur, ſtudia nedum minimè opponi ſpiritui, ac perfectioni Monaſticæ, nec unquam fuiſſe Monachis interdicta, verùm iiſdem potius eſſe quodammodo neceſſaria.

CAPUT I.

Quòd Monaſtica ſodalitia inſtituta non fuere, ut eſſent Academiæ ſcientiarum, ſed virtutum; & quòd ſcientiæ in illis eatenus tantùm excultæ fuerint, quatenus ad perfectionem Religioſam conducere poterant.

FAlſa proculdubio fuit quorundam imaginatio, qui præcedenti ſæculo ſcripſere, Monachorum Cœnobia non aliter ab initio inſtituta fuiſſe, niſi ut inſervirent tamquam lycea, aut publicæ

Digitized by Google

Academiæ, in quibus ſcientiæ humanæ traderentur. Si vel minimùm de Antiquitate notitia habeatur, operoſum valdè non erit commentitiæ hujus hypotheſis detegere falſitatem, inde namque ſuadebitur, amorem potius ſolitudinis, ac virtutum, non autem ſcientiarum, Mundique deſpectum, & fugam ab hujus corruptela fuiſſe, quæ ad ejuſmodi ſancta inſtitúta unicam anſam præbuerint; denique id haud aliter fuiſſe, præterquàm ex deſiderio perfectè Chriſtum imitandi, omniaque propter ipſum relinquendi, exemplo Principis Apoſtolorum, Dominum in Evangelio ſic interpellantis: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Ex quibus tantùm verbis, ut notat Sanctus Bernardus, factum eſt, ut Clauſtra, & Eremſ, Monachis, & Anachoretis abundarent. *Matth. 19.*

Tantùm igitur abeſt, ut ſola cupiditas humanas acquirendi ſcientias majores noſtros impulerit ad Cœnobiorum Monaſticorum fundationes, ut potius è contra aſſeverare poſſimus, ipſaſmet ſcientias ſub contemptu, qui de reliquis habebatur, ab iiſdem fuiſſe omninò comprehenſas. Colligitur hoc ex Divo Gregorio Nazianzeno, cauſas referente, queis unà cum Sancto Baſilio inductus fuit ad ſe recipiendum in Ponti ſolitudinem, ut cum Sanctis Anachoretis ibi degentibus viveret: *Cuncta, quæ poſſidebam* (inquit ipſe) *Deo ſacravi, divitias, famam, ſanitatem, & ſcientias ipſas, quas acquiſieram; ex quibus fructum hunc tantummodò derivavi, eas videlicet propter Chriſtum poſſe deſpicere.* *Greg. in Carm. de Vita ſua.*

Hinc tamen non licebit arguere, Sanctum Doctorem ſub hoc ſcientiarum deſpectu ſtudium quoque Sacrarum incluſiſſe Scripturarum: Imò aſſerendum eſt, ex potioribus ſeſe ab hominibus abdicandi cauſis unam fuiſſe, ut pleniùs iiſdem vacaret; Ut enim nobis ipſemet teſtatur, ex Scripturarum ſtudio profanos libros maximo cœpit habere deſpectui, quibus jampridem ſummopere delectabatur.

Hic porrò profanorum Auctorum contemptus nedum iis peculiaris erat, qui ſe Religioni dicabant, verùm etiam ad quoſcumque Eccleſiaſticos, qui tunc temporis aderant, extendebatur. Hinc eſt, quòd cùm Divus Gregorius Nyſſenus à Laicorum ſtatu ad Clericalem tranſiiſſet, & Lectoris munus, quo jam diu in Eccleſia functus erat, prætermiſiſſet, ut ad Rhetoricæ ſtudium incumberet, tantam admirationem, & ſcandalum iſta ex mutatione peperit, ut ſinguli ſuper hoc palàm ſuſurraverint, tamquam de opere, nedum ipſi improprio, verùm & toto Ordine Eccleſiaſtico prorſus indigno. Sic refert Sanctus Gregorius Nazianzenus in quadam epiſtola ad eundem ſcripta. Præterea unicuique compertum eſt quid Magnus Gregorius noſter ſuper hoc ad Deſiderium Epiſcopum Viennenſem ſcripſerit. *Greg. Nazianz. ep. 43.*

Mirum itaque hìc non erit, quòd qui Monaſticum induebant cucullum, profanarum ſcientiarum ſtudio peniiùs abrenunciarent; ſed foret ſtupendi ratio ſi etiam illud ſacrarum literarum abdicaſſent, in quo tunc temporis tota conſiſtebat Eccleſiaſticorum ſcientia, non quia primarius eorum ſcopus eſſet eidem incumbere, quandoquidem nedum ſinguli ad id non erant apti, verùm nec qui ad illam planè aſſequendam

dam

dam erant idonei, eò ipſi vacabant, ut principalior hic eſſet ipſorum finis. Nonniſi tantum temporis in hujuſcemodi ſtudio ut plurimùm inſumebant, quantum nempe ſat erat ad ſpiritum proprium rore iſto Cœleſti nutriendum, vel etiam, ut inde eas omnes leges intelligerent, quas in exercitio Chriſtianarum, religioſarumque virtutum, præceptorum, conſiliorumque ſervare debebant. Hæc inquam potiſſima, ne dicam unica, in ipſis erat ſolitariè degendi ratio. Cæteræ igitur quæcumque notiones, ac ſcientiæ, haud aliter illis erant in pretio, niſi quatenus ad talem finem referebantur; contemptis enim omnibus iis, quæ vel pernicioſæ videbantur, vel prorſus inutiles, reliquis nec utebantur, niſi quatenus ſibi ipſis inſervire poterant, ut præfatam metam faciliùs attingerent: Quo circa Monachus inter alios aderat, cui unus tantùm Scripturæ verſiculus ſatis erat ad occupandum uno, vel pluribus annis totum cor, ac ſpiritum proprium; nec ſibi ulteriorem, ſive meditandum, ſive ſubtiliùs intelligendum, proponebat, donec quidquid in primo continebatur, exactè compleſſet. En igitur qualis erat præcipua veterum ſcientia Monachorum, exercitium ſcilicet vitæ pœnitentis, Mundi, & ſuimet contemptus, amor, ac deſiderium æternorum, verbo denique tota illorum ſcientia erat ſcientia Sanctorum.

Hæc porrò illa eſt idea, quam ſibi omnes propoſuere, qui temporum decurſu conati ſunt horum inſignium virorum penè Cœleſtem vitam imitari, inter quos maximè recenſetur præſtantiſſimus Sancti Vincentii Vulturni in Italia Abbas, Ambroſius Autbertus nomine, qui in calce ſuorum Commentariorum in Apocalypſim, iſtas ad Deum preces effundit: Utinam placitum eſſet Divinæ Majeſtati, unà cum ſcientiis, ſtudium, & exercitium virtutis mihi concedere, ſed ſi utrumque poſſidere ſimul dignus non inveniar, eligam magis tamquam inſanum ab hominibus exiſtimatum iri, quàm ſapientem, & virtutum expertem; Neque enim (ſequitur Sanctus Abbas) ideò Patriam, parenteſque reliqui, ut mihi ſcientiarum dona largireris, ſed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Et paulò poſt ſubdit: Nolo certè hanc commutationem; ſed ſi utraque non merear, doctrinam ſcilicet, & operationem, aufer quæſo doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum. En igitur, qualis eſſe debeat ſpiritus Monachorum; oportet enim totum ipſorum Spirituale ædificium niti fundamento Chriſtianarum, Religioſarumque virtutum, vitæ pœnitentis, fugæ à Mundo, & ſuimet deſpectus; denique quod non aliter ſcientiis ſe dedant, præſertim Sacræ Scripturæ, niſi quatenus ad præfatam metam faciliùs queunt perducere.

CAPUT II.

Quod rectus ordo, ſeu Œconomia, quæ in Monachorum ſodalitiis ab initio ſtabilita fuit, vix ſubſiſtere poterat abſque ſtudiorum ſubſidio.

QUamquam verum eſt, ut etiam a me nuper fuit oſtenſum, ſtudia in Cœnobiis numquam fuiſſe præcipuum Monachorum intentum, neque ſingulis ipſorum neceſſaria ad acquirendam proprii ſtatus perfectionem, nihilominus poteſt indubitanter aſſeri, impoſſibile fuiſſe abſque eorumdem adminiculo Monachorum ſodalitia diu in eo Ordine, rectaque Œconomia ſuſtineri, quam ibi ab initio hujus profeſſionis Authores ſtabilierant. Nos non latet, Sanctum Pachomium primam hujuſmodi jeciſſe fundamenta, & meritò dici poſſe ipſum ad perfectionis culmen Monaſticum ſtatum brevi redegiſſe. Contigit autem hoc in Tabennæ Tebaidis Inſula intra Nilum, Ægypti Erèmo, ubi id primùm inſtituit. Viſebantur ibi Cœnobia ſub unius Patris, ſeu Abbatis, directione, qui etiam ſub ſe Secundum habebat (hoc nimirum nomine appellabatur) ut regiminis, & adminiſtrationis pondus contemperaret. Ad Œconomum quendam ſpectabat temporalium cura, cui pariter Secundus addebatur. Porrò Monaſteria diſtribuebantur in domos, quarum ſingulæ ſuo Priore regebantur. Singulæ inſuper Domus in plura Cubicula, ſeu Cellulas erant diſtributæ, ternique in ſingulis iſtarum Monachi habitabant. Item ex ternis, aut quaternis Domibus tribus quædam formabantur. Vaſta demum Monaſteria ibidem aderant, ex triginta, ſeu etiam quadraginta Domibus compacta, quarum ſingulæ quadraginta ferè Monachos capiebant. Divus autem Pachomius tamquam Generalis ſupremus horum omnium Cœnobiorum habebatur, ex quibus nempe univerſus ordo componebatur, quæ ſtatis temporibus inſuper viſitare ſolebat.

Palladio teſte, numerabantur in Ordine Tabennæ ſeptem fere millia Monachorum; unde nonnulli meritò opinantur, deceptum fuiſſe Divum Hieronymum in Prologo in Regulam Sancti Pachomii, ubi refert, præfatum numerum acceſſiſſe ad quinquaginta millia; *Recipiebantur ibi non minus pueri, quam adulti, præter Catecbumenos, qui ad Baptiſmum inſtruebantur.*

Reg. S. Pachom. cap. 139. & 140. ibid. c. 21.

Ter in dies lectio habebatur pro ea indigentibus; cunctiſque onus incumbebat novum ſaltem Teſtamentum, atque Pſalterium addiſcere. Prior uniuſcujuſque Domus ter in Hebdomada cum ſuis Monachis conferebat, & hujuſmodi Collationes, Diſputationes, aut etiam Catecheſes dicebantur. Cæteri item Monachi ad invicem poſtea conferebant quidquid ex dictis collationibus perceperant. Denique in ſingulis Domibus aderat Bibliotheca, cujus cura Œconomo, & Secundo commiſſa erat. Neſcio an de hujuſmodi Sanctis Monachis Sermonem peculiariter habeat Sanctus Auguſtinus in ſuo tractatu de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, ubi refert, quod ſinguli Patres terna ut minimum

Ibid. cap. 138.

Ibid. cap. 30. & Vita n. 38.

Auguſt. in mor. . . Eccleſia l. 1. c. 21.

ſub

ſub ſuo regimine habebant Monachorum millia, cum quibus ſingu-
lis diebus ad Veſperam de rebus Spiritualibus conferre ſolebant.

Zelus præterea Sancti Pachomii intra ſui dumtaxat Cœnobii limi- *Vitæ n. 19.*
tes non concludebatur, quandocumque enim propinquorum loco-
rum populi inſtructionum neceſſariarum inveniebantur expertes, ſa-
tagebat, ut Monaſterii Œconomus iis Myſteria Fidei ter in Hebdo- *Ibid. n. 20.*
mada explanaret, ſcilicet ſemel in Sabbato, & bis die Dominica. In-
ſuper, Epiſcopo loci hortante, Eccleſiam prope, & extra Monaſte-
rium ædificari mandavit prò miſeris Agricolis, quos ſingulis Hebdo- *Theodor.*
madis, Catecheſibus, Sacræque Scripturæ lectionibus imbuebat; Quod *Hiſtor. Re-*
etiam de Sancto Abrahamo apud Theodoretum legimus: Demum Ca- *ligioſ. c. 17.*
techumeni in Domibus Sancti Pachomii erudiebantur, ut ex quadam
Theodori ejus Diſcipuli epiſtola colligimus, quæ viſitur in Regula-
rium codice. Idipſum quoque fieri ſolitum in Monaſterio Bethleemi-
tico, & in aliis pluribus legimus; ſed de hoc fuſius infra.

Si modicum ad iſtam regularis diſciplinæ normam reflectamus,
haud ægrè perſuadebimur, nullatenus eamdem abſque ſtudiorum ad-
miniculo potuiſſe ſubſiſtere. Si enim operæ pretium eſt, quod Pa-
rochus, uni tantùm Parœciæ præpoſitus, ſit doctrina non minùs,
quam virtute præditus, ut ritè miniſterio ſuo fungatur, qui fieri
potuiſſet, ut unus ſuperior, à quo ſeptem Monachorum millia ut
minimum regebantur, muneris ſui partes æquè perſolveret, ſi ad
hoc opportuno ſcientiarum lumine caruiſſet? Quomodo ſingularum
domorum Præſules potuiſſent ter in hebdomada de rebus ſpirituali-
bus conferre, ſi fuiſſent doctrinæ expertes, frequenti huic exercitio
oppidò neceſſariæ? Rurſus nonne oportebat, privatos etiam Religio-
ſos à quibus Juniores identidem inſtruebantur, tantùm intelligentiæ,
ac ſcientiæ lumen ſalem poſſidere, quantum fas erat ad ſacræ pagi-
næ explanationem? Fortène res eſt levis momenti verum, germanumve
Scripturæ ſenſum aperire, & ita inoffenſo pede eam explanando per-
currere, ut nullum omninò adſit uſpiam errandi periculum? Verùm
difficilius hoc ipſum cenſebitur, ſi ſciatur, quòd per dictas collatio-
nes nedum moralia exponebantur præcepta in ſacris literis contenta,
ſed etiam difficultates inibi occurrentes enodabantur, quemadmo-
dum ex Synchrono Auctore nobis legendum datur, qui S. Pacho-
mii vitam exactè deſcripſit: *Scripturæ Sacræ* (inquit) *ſermones iiſ-* *Vitæ n. 36.*
dem exponebat, maximè ſi qui intellectu occurrerent difficiliores, aut
magis abſtruſi de Domini incarnatione &c. Liberum inſuper erat di-
ſcipulis, S. Præceptore annuente, dubia identidem proponere, &
horum ab ipſo ſolutionem petere: Scripturæ alicujus ſolutionem diſ- *Ibid. n. 63.*
quirebant, tantique faciebat ipſius reſolutionum dogmata, ut eadem
ſcribere congauderent etiam ad aliorum utilitatem.

Indubitatum inſuper eſt, quod Sancti Pachomii diſcipuli nedum
lectioni Scripturarum Sacrarum vacabant, verùm & Sanctorum Pa-
trum opera jugiter perlegebant. Seriò tamen ipſis interdicebat; ne

unquam legerent ea Origenis, imò nequidem aures de iiſdem cuicumque loquenti præberent, propter errores nempe, queis paſſim infecta notantur; adeò ut cùm die quadam Origenianum comperiſſet volumen inter cujuſdam ex Diſcipulis ſuis manus, illud extemplò in aquam projecit, ſubdiditque nonnihil excandeſcens, cuncta præfati Auctoris ſcripta tunc à ſe combuſtum iri, niſi Divini Nominis in ipſis paſſim contenti reverentia id ſibi vetuiſſet. Sed ut ad ejuſdem Sancti Patris Alumnos redeamus, univerſis ubique gentium adeò perſuaſum erat intelligendi acumen, quo iſti pollebant, addita mira facilitate dicendi, ut plerique Philoſophorum data opera, Tabennam venerint, ut id proprio experimento probarent: *Ea de vobis fama percrebuit, quòd Monachi ſitis, qui multa, & ſubtiliter intelligere, & ſapienter profari poſſitis.* Theodorus, ad quem præ aliis ſeſe illi contulerant, pari ſapientia, & ſubtilitate, ænigma promptè enodavit, quod ſibi à quodam iſtorum Philoſophorum propoſitum fuerat. Theodoro item, cùm adhuc junior eſſet, Sanctus Pachomius die quadam præcepit, ut ſine mora in ſupplementum ſui collationem faceret, in qua bene adeò ſe geſſit, ut ſenioribus ipſis æmulationem conciliarit. En igitur qualis, plus minuſve, erat Regularis Monaſteriorum Sancti Pachomii diſciplina; undè etiam maniſeſtè infertur, ſtudia, ſcientiaſve tunc non fuiſſe in minimis habita.

Ibid. n. 21. *Ibid. n. 51.* *Num. 49.*

Divus Baſilius Monaſticæ Diſciplinæ ſplendor, Græcorumque Doctorum Coryphæus, eaſdem ferè normas Monachis impertivit, qui ipſum in doctrina ſequuti ſunt. Inter hos enim pueri recipiebantur, qui eòuſque ætatis erudiebantur, donec maturè ſtatum illum poſſent ſeligere, in quo potiſſimum quieſcere optabant; quod etiam teſtatur Sanctus Joannes Chryſoſtomus de Cænobiis ſuæ nationis, ut liquet ex Libro tertio ab ipſo edito ſuper defenſione Vitæ Monaſticæ cap. 16. Ulteriùs Monachi Divi Baſilii invicem ſæpiſſimè conferebant; idemque Magnus Doctor in prima ſuarum epiſtolarum, Sancto Gregorio Nazianzeno ſcripta, inter alia præclara monita, quæ Monachis relinquit, methodum quandam rerum ab ipſis ritè gerendarum exarat, quam inviolabiliter ſervare tenentur. Prohibet in primis ibi ambitionem quamlibet cæteros quoquomodo ſuperandi, oſtentationem, & quidquid minimum vanitatis, aut Cenodoxiæ redolere poteſt; item omnem contradictionis ſpiritum, & cavillationem quamcumque. Hortatur inſuper, ut jugiter modeſtiam ſervent cum multa ſuavitate, ac humilitate, tum colloquendo, tum ſodales audiendo; quinimmò vel vocis moderationem ipſis præſcribit. Præterea ibidem jubet, ſeligendas eſſe materias, ſuper quibus invicem conferre debent, licèt ad id ſolùm ab ipſo reſtringantur, quod virtutum exercitium reſpicit, & intelligentiam Scripturarum Sanctarum. Animadvertendum tamen hic obiter eſt, iſtud tunc fuiſſe unicum Eccleſiaſticorum ſtudium; credituque difficillimum eſt, abſque jugi labore, & applicatione eas ſibi notitias potuiſſe comparare, quæ ad illius conſummationem prorſus requirebantur. Id etiam confirmare poſſumus ex collationibus Caſſiani,

ſiani, quæ doctrinam, & eruditionem continent verè ſingularem.

Nobis utique compertum eſt, ex jugi Chriſtianæ, Religioſæque vitæ exercitatione, aliquos quandoque evehi ad talem intelligendi gradum, ut id tantùm pro quolibet ſtudendi conatu ſufficere poſſet; & quòd per minimum Spiritus Sancti Chariſma plus ſcientiæ nobis unico ictu interdum communicetur, quàm per quaſcumque meditationes, ſeriaſque applicationes, diuturno noſtro labore acquirere valeamus; ut enim inquit Sanctus Auguſtinus: *Mores perducunt ad intelligentiam*. Verùm neque nos latet, hujuſcemodi gratiarum genera non omnibus de lege ordinaria impertiri, multoque proprii ingenii acumine nos ut plurimùm indigere, tum ne à recto veritatis tramite unquam declinemus, tum ne noſmetipſos in cogitatibus noſtris aliquando fallentes, alios quoque decipiamus. Nonniſi ex peculiari Dei miraculo poſſunt iſthæc abſurda vitari; & Deus ipſe tentari videretur, ſi Studiorum quis velit adminicula ſpernere, ut intelligentiam Scripturarum attingat, ea tantùm ſpe nixus, quòd ſcilicet nonnullis Sanctorum Divinitùs fuerit tale privilegium conceſſum. Id pariter Divus Auguſtinus expreſsè notavit in Prologo ad Libros Doctrinæ Chriſtianæ, ubi inquit, non eſſe recedendum ab ordinaria ſtudendi, atque addiſcendi Lege, ut eas ſcientias conſequamur, quæ nobis neceſſariæ perhibentur. Hoc etiam nobis apertè declarat Venerabilis Abbas Guerricus, cùm dicit, non omnes Dei electos privilegio ſcientiæ infuſæ gaudere, ſed opus eſſe ad intelligendum, gratiæ Cœleſti induſtriam, & laborem addere: *Non enim omnes Sancti*, inquit ipſe *docentur eam, ſed illi dumtaxat, in quibus, nec induſtria gratiam, nec gratia deſtruit induſtriam*.

Auguſtin. tract. 18. in Joan.

Serm. 3. in Epiph. n. 1.

Caſſianus Collat. 16. neceſſitatem nobis oſtendit, qua Sapientum ſubſidio omninò egemus, ne in Sacrarum Scripturarum intelligentia in errores aliquos labamur: „ Memini (inquit) cùm me adhuc adhærere fratrum Conſortio junior ætas pateretur, hujuſmodi nobis intelligentiam, vel in moralibus diſciplinis, vel in Scripturis Sanctis, „ frequenter inſertam, ut nihil ea verius, nihil ve rationabilius crederemus. Sed cùm in unum convenientes ſententias noſtras promere cœpiſſemus, quædam communi examinatione diſcuſſa, primùm ab „ altero falſa notabantur, mox deinde ut pernicioſa communi pronunciata judicio damnabantur. Et paulò poſt ſubdit: & idcirco nullus ſibi, multa quamvis ſcientia prædítus, inani tumore perſuadeat, quod alterius collatione non egeat; nam etiamſi judicium ejus „ diabolica non fallat illuſio, elationis tamen, ac ſuperbiæ graviores „ laqueos non evadet. Quis enim hoc ſibi abſque ingenti valeat uſurpare pernicie, cùm Paulus vas electionis, in quo Chriſtus, ipſo teſtante, loquebatur, ob id unicè aſſerat, Hieroſolymam ſe conſcendiſſe, ut cum ſuis Coapoſtolis Evangelium, quod gentibus, revelante, & cooperante Domino, prædicabat, ſecreta examinatione „ conferret? Dici ne ergo hinc poterit, Monachos quantumvis Sanctos aliorum non egere inſtructione ad errores omnes evadendos, illuſio-

luſioneſque vitandas, in lectione, ac ſtudio ſacrarum literarum?

Divus Gregorius, ſeu Author Commentariorum in Libros Regum, quæ pro Monachis ſpeciatim elucubrata videntur, egregiè oſtendit, Dæmonem prævidentem fructum, qui etiam ex humaniorum literarum ſtudiis poteſt in Spiritualibus obtineri, omnem induſtriam adhibere, ut nos ab iiſdem retrahat, quatenus impedimento nobis ſit perveniendi faciliùs ad rerum Spiritualium intelligentiam: *Ut & Sæcularia neſciant, & ad ſublimitatem Spiritualium non pertingant*. Non quia, ut Sanctus Doctor, ſubdit, humaniores literæ penes ſe tantùm inſpectæ, multum conferant ad ſpirituale ædificium; ſed quòd in ordine ad ſacram paginam (cujus ſtudium animabus iis maximè congruit, quæ ad Deum ſe attollere cupiunt) potiſſimè juvant.

Greg. lib. 5. in lib. Reg. c. 3.

Concludendum itaque eſt, ac dicendum, quòd ſi eſt veritati planè conſentaneum, quemadmodùm etiam infra magis probabimus, rectam nimirum Diſciplinæ Regularis Œconomiam, qualiter ab initio a Sanctis Pachomio, & Baſilio inſtituta fuit, cùm nempè in ſuæ puritatis fonte adhuc vigeret, ſtudiorum abſque præſidio vix potuiſſe ſubſiſtete, merito inquam inferri inde poterit, ſubſidium idem non minùs noſtro hoc ævo neceſſariò requiri. Licèt enim nunc temporis minoris ætatis pueri intrà Cœnobia non ampliùs recipiantur, nihilominùs Monaſticum cucullum induentes eo ut plurimùm lumine carent, quo ſuper eorum Codicum lectione valeant proficere, qui in Regula nobis permittuntur, ac præſignantur. Cumque Superiores noſtri eorum de numero ſeligantur, ex quibus integra Monachorum ſodalitia coaleſcunt, idcircò nonniſi rariſſimè tales inveniri continget, qui ad alios vel dirigendos, vel erudiendos ſint apti, niſi priùs à ſuis prædeceſſoribus ſufficientem ad hoc præſtandum notitiam hauſerint. Verum id peculiarem infra diſcuſſionem expoſcit.

CAPUT III.

Quod abſque ſcientiarum adminiculo nequeunt Abbates, aut alii Superiores eas obtinere dotes, quæ ad perfectum regimen exiguntur.

Quemadmodùm Monachorum Cœnobia abſque Præpoſitis ſubſiſtere nequeunt, dici etiam poterit, de lege ordinaria loquendo, nec aptos ad eorumdem regimina poſſe ſine ſcientiis ſuperiores aliquos inveniri. Ejuſdem prorſus neceſſitatis videtur eſſe doctrina in Superioribus, qualis eſt Dux iter habenti, vel nauclero nautica pixis. Propterea hinc eſt, quòd inter dotes, quæ ex ſingulis antiquioribus Regulis in Abbatibus debere eſſe prænotantur, ſcientia ſemper, atque ſapientia cum morum rectitudine referuntur. Sic etiam cap. 64. præſcribit Sanctiſſimus noſter Patriarcha Benedictus. Vitæ merito, & ſapientiæ doctrina, &c. & reverà quis unquam percipere valeat, abſque ullo ſcientiarum apparatu Monachorum

rum

rum Prælatos muneris ſui partes implere? Præcipuum, quod iſtis onus incumbit eſt: proprios erudire ſubditos, ſanamque ipſis doctrinam tradere, ſcilicet juxta germanum Scripturarum, Sanctorumque Patrum ſenſum; item eoſdem præmunire contra quodlibet errandi periculum, & adverſùm quaslibet Satanæ calliditates, & illuſiones, ipſis viarum ſalebras, & offendicula indicando, ut rectam virtutum ſemitam ingrediantur, ac teneant; Rurſus eorumdem difficultates explanare quandocumque ſe prodet occaſio; denique ipſos identidem redarguere, & ad bonum frequentibus monitis dirigere. Qui autem fieri poteſt, ut ſingula hæc munia ritè ab iis perſolvantur abſque ullo ſcientiarum munimine? Poterunt quidem aliqui, naturali dumtaxat intelligendi acie prædití, vel etiam modico acquiſito lumine, ſufficientem habere vim pro intelligentia librorum ſacræ paginæ captu faciliorum, putà Proverbiorum, quatuor Evangeliorum, nonnullorum operum Sanctorum Patrum, quæ minus in ſe difficultatis habere videntur; Verum ut hæc omnia aliis communicentur, hoc eſt quod regulariter ſine ullo ſtudiorum adminiculo fieri nequit. Nos utique non latet, Divum Auguſtinum teſtari, plures in ſolitudinibus vixiſſe abſque ullo librorum ſubſidio, imò & ſine Scripturarum Sanctarum codice, ſolis fidei, ſpei, charitatiſque virtutibus, quibus intimè replebantur, defectum eorum ſupplentes; Attamen excipiuntur ab ipſo quicumque erant aliorum inſtructioni addicti: niſi ad alios inſtruendos. Hac etiam de cauſa Sanctus Ferreolus immunes in ſua Regula à quocumque manuali opere Abbates eſſe declarat, ne ipſis tempus deeſſe contingat in ſtudio eorum inſumendum, quæ ſuos inferiores edocere tenentur.

Auguſt. l. 1. de doctrin. Chriſt. c. 39. S. Ferreol. c. 30.

Semper igitur, ut liquet, multis laudibus commendata eſt in Abbatibus, vel Superioribus Regularibus, ſapientia, atque doctrina, tuncque potiſſimùm cùm morum ſanctitati copulabatur; & hinc eſt, quòd Sanctus Bernardus Abbatis cujuſdam ſui ordinis Elogium texens, inter cæteras præclariores dotes, quibus ille condecorabatur, hanc notat, ſcientiam nimirum, qua pollebat, propriæ dignitati apprimè conſentaneam: ***Adhuc homini non deeſt literatura congruens.*** Serlonius item ordinis ejuſdem Cancellarius, diſtinctiùs deſcribens præfati Præſulis qualitates, addit, ipſum nedum fuiſſe doctum in ſacris literis, verùm & in humanioribus inſignem: Homo in Scripturis Sanctis non mediocriter eruditus, & in liberalibus artibus, ac humanis literis ſufficienter edoctus.

Bernard. epiſt. 306.

Verum enimverò magis magiſque ſcientia Regularium Prælatis neceſſaria tunc cenſebitur, ſi Eccleſiaſticas conſulentes Hiſtorias ſpectemus eminentem gradum, quo Abbates plurimi fuere in Eccleſia inſigniti. Cùm ſiquidem varia olim celebrarentur Concilia, plerúmque etiam iis tenebantur adeſſe, propriam coram Patrum conſeſſu aperire ſententiam, ipſiſque tandem ſubſcribere. Exemplum de hoc legendum nobis occurrit in Vita Sancti Pachomii, qui unà cum aliquot Monachorum ſuorum aſtitit Concilio Latopolitano propè Memphim Ægy-

S. Pach. Vita n. 72.

Ægypti; quò etiam convenere; præter alios plures Monachos, duo Epiſcopi, qui fuerant ipſius diſcipuli. Si verum eſt, Chilonem, ad quem ſcribit Divus Baſilius, ex Cœnobita Anachoretam ſe feciſſe, ut refert latina verſio, licèt in textu Græco id expreſsè non legatur, procul dubiò in ſe inferri poteſt, quòd Cœnobitæ aſſiſtebant Synodis ejus temporis; quandoquidem S. Doctor de omni artificio eumdem ibi certiorem facit, quo Dæmon uti poterat ad ipſum retrahendum à ſolitudine, ſuggerendo nempe ex Anachoretica vita occaſionem penitùs adimi amplius interveniendi ad ea Sacra Concilia, in quibus tot difficultates, ac dubia reſolvebantur, tum ad ſacram paginam, tum ad Theologiam pertinentia. Sed quod majoris adhuc momenti impræſentiarum arbitror, eſt, à Divo Athanaſio Monachos quoſdam memorari, quos Apollinaris Epiſcopus Anno 362. Alexandriam miſit, ut magno Concilio ibidem tunc celebrando intereſſent; ut colligere eſt ex epiſtola ejuſdem Concilii ad Antiochenos ſcripta.

Porrò Abbates variis temporum decurſibus nedum Conciliis interfuerunt, iiſque ſubſcripſerunt, verùm etiam ad ipſa propriorum Epiſcoporum nomine, qui eis intereſſe haud poterant mittebantur. Plurima de hoc leguntur exempla in Conciliis Galliæ, ac Hiſpaniæ, ſexto, ſeptimoque Sæculo celebratis. Tertio item Concilio Conſtantinopolitano, adversùm Monothelitas congregato, complures Abbates, imò etiam ſimplices Monachi, propria contulere ſuffragia. Inter alios autem Abbas Theophanes actione octava duo affert teſtimonia, ùnum ſcilicet Sancti Athanaſii adversùs Apollinarem, Sancti Auguſtini alterum contra Julianum; quod ſanè evidenter indicat, ab Abbatibus hiſce dogmatica Patrum opera ſolerter fuiſſe perlecta. Inſuper Petrus Abbas Sancti Sabbæ Romæ, Summi Pontificis nomine præſedit Concilio Œcumenico Nicæno ſecundo, unà cum Petro Archipresbytero. Item alii plures, nedum Abbates, ſed & ſimplices Monachi, propriorum Epiſcoporum nomine eidem Concilio interfuere, inter quos Joannes Monachus, unà cum Thoma Hegumeno, (Abbatem ſonat apud Græcos) vice Patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum; Cyrillus Monachus vice Nicetæ Epiſcopi Gothiæ; Antonius item Monachus vice Epiſcopi Smyrnenſis, & alii plures, præter potiorem partem Hegumenorum Orientis, qui ſubſcripſerunt actioni quartæ hujuſce Concilii, à quo inſuper Stephanus Monachus, fidus librorum illuc allatorum cuſtos, & ſcripturarum chartophylax delectus fuit. Qua igitur fronte, & quonam auſu tot inter viros, dignitatum non minùs, quàm ſcientiarum culmine affulgentes, Abbates, Monachive adſtare potuiſſent, rudes, ac indocti, ſacrarumque eruditionum expertes?

Denique ſi attentè conſiderare velimus plurium Eccleſiarum Dignitates, ac munera, quæ Monachis identidem collata fuere, noſtroque hoc ævo pariter conferuntur, & ad varias earumdem Eccleſiarum prærogativas nonnihil reflectamus, facilè quempiam ad noſtram poterimus trahere ſententiam, quod ſcilicet ut dignè, ac laudabiliter ea

regan-

Digitized by Google

regantur, neceſſum eſt aliquo præmuniri ſcientiarum apparatu, & quidem non vulgari. Quis enim abſque multo animi mœrore, atque indignatione, ferre valeat, Antiſtitem aliquem primam in Eccleſia occupare Sedem, ineptum prorſus, ac ignarum?

Idipſum facilè confirmari poteſt exemplo antiquæ Abbatiæ Inſulæ Barbaræ, paulò ſupra Lugdunum ad Ararim ſitæ: Leydradus hujuſce Urbis Archiepiſcopus, in epiſtola, quam ſcripſit ad Carolum Magnum, notum nobis facit, ſe Sancto Abbati Benedicto poteſtatem Pœnitentiarii omni fiducia, & ſecuritate tradidiſſe: Poteſtatem ligandi, atque ſolvendi? Quam Archiepiſcopi prædeceſſores Abbatibus ejuſdem Monaſterii dederant à temporibus uſque Sancti Eucherii, hoc eſt tercentum ex tunc Annis, cum ampla juriſdictione totam Diœceſim viſitandi loco Archiepiſcopi; tum ob conſervandum penitùs illibatum fidei orthodoxæ candorem, tum etiam ad impediendum, ne perverſorum errorum dogmata illuc aliquando intruderentur; & inſuper poteſtatem regendi Eccleſiam Lugdunenſem tempore Sedis vacantis, quæ poſt modùm ſucceſſu temporum Auguſtodunenſibus Epiſcopis conceſſa eſt. Oportebat ſine dubio, quòd tam præclari Antiſtites, tantoque zelo præditi, ſibi eſſent optimè conſcii de idoneitate præfatorum Abbatum priuſquàm eos ad hæc tam ſeria munia ſubeunda deligerent. Pleraque hujuſmodi alia nobis occurrunt exempla in perſona Mamerti Claudiani, Viennæ in Delphinatu inſignis Abbatis, qui, nobis ſic teſtante Sidonio, à Fratre ſuo ejuſdem Urbis Epiſcopo, Vicarius Generalis fuerat renunciatus. Item in Perſona Abbatis Modeſti, qui Hieroſolymis eodem munere fungebatur ſeptimo ſæculo, ut refert Bollandus 22. Januar. per hæc verba: Vicarius Apoſtolici Throni.

Sed quid effabimur de Eccleſiis Cathedralibus Angliæ, ac Germaniæ, quæ ſeptimo, & octavo Sæculo à Monachorum Cœtibus regebantur? Item de Abbatiis, in quibus, vel ab ipſarum fundatione, Superiores, Abbates ſimul & Epiſcopi erant? Sic fuit ea quondam celebris Benedictinorum Laubii in Belgio ad Sabim, in confinio Hannoniæ, & plures aliæ. Verum ſuper his fuſiori jam non me extendam calamo, ne longiùs, quàm par ſit, abérrare videar. Quid autem ſi à Cœnobiis ſtudia amandata, & proſcripta omninò fuiſſent? Numquid Regulares inveniri potuiſſent ad præfata munera ſubeunda idonei? Non ſane; plurimi namque ipſorum, qui Monaſticum habitum in adoleſcentia ſuſceperant, nequaquam poterant ante ingreſſum in Monaſteria ſcientias ad id requiſitas ſibi comparare, nec poſt ingreſſum, eò quòd vetita iiſdem fuiſſet ulteriùs ſtudendi via, unde poſſent pro tali defectu aliquando ſupplere.

Superaddi item poteſt, nullatenus ſufficere, quòd Superior, priuſquàm Fratrum ſuorum regimen ineat, ſcientias acquiſierit; ſed inſuper operæ pretium eſſet, ut etiam, atque etiam legendo, ac ſtudendo, adeptum lumen in dies roborare, ac magis augere ſatagat, quantum videlicet ex onere, cui ſubeſt, ſibi permiſſum fuerit; quantulacumque enim ſcientiarum plenitudine ante ſuum ingreſſum gaudere con-

contigerit, tota propediem evacuabitur, niſi diligentem curam adhibeat, ut reiteratis ſciendi actibus jam acquiſitum habitum confirmet. Senſim profectò, quod antea comparaverat amittet, niſi denuò meditando, aut ſtudendo proprium intellectum exerceat. Nefas quidem eſſet, ſi ſtudiorum prætextu ſemel negligeret animarum ſibi commiſſarum ſalutem: attamen nec de temporis brevitate adeò ſe excuſabit, ut omnem penitùs lectionem abdicet. Tempus itaque ex aliqua occupationum minùs ſeriarum interpoſitione ipſi ſuffurandum erit, & potius de quiete propria, honeſtàve relaxatione demere nonnunquam tenebitur, quàm ſibimet in re tanti momenti vel minimùm deficere. Conſimili prorsùs modo ſe quoad hoc geſſere Abbates, doctrina, & ſanctitate conſpicui, inter quos Divus Bernardus, qui temporalium cura Fratri ſuo Gerardo commiſſa, tantundem temporis conabatur inſumere in oratione, ac ſtudio, & in eruditorum ſermonum lucubratione, ad Monachorum ſuorum ſpirituale emolumentum, atque ædificationem. Hac inquam ratione votorum ſuorum compos fiebat, ut ipſe teſtatur, nihil unquam negligendo, ſive pro exacto ſui Monaſterii regimine, ſive pro Animarum directione, quarum ſibi cura fuerat demandata.

CAPUT IV.

Quòd Monachi ad Clericalem ſtatum evecti ad ſtudia tenentur incumbere.

QUæ hactenus ſcripſimus de neceſſitate ſtudiorum, nonniſi ad Monachos quatenus Cœnobitas ſpectare videntur; at ſi tamquam Clericos, aut Presbyteros, eos conſiderare velimus, arduum minùs erit, quemlibet evincere, ut nobiſcum ſentiat, eoſdem novo hoc titulo ad longè majores cognitiones ſcientificas habendas teneri; quandoquidem eò ipſo, quòd ad Sacerdotalem gradum evehuntur, urgens omnino ratio expoſcit, ut talibus dotibus ornentur, quales ab hujuſmodi Sacro Charactere exiguntur. Etenim ſi in Eccleſiaſtico Seculari ignorantia iniquo fertur animo, profectò minùs tolerabilis in Monachis erit, qui Sacerdotio initiantur. A me quidem conceditur, ipſis onus haud incumbere, regulariter, & per ſe loquendo, populos inſtruere; Verumtamen quia vel in propriis Cœnobiis Sacramenta ſæpè adminiſtrant, & quia ad cæterorum ſodalium directionem poſſunt à majoribus deſtinari, propterea non mediocri opus eſt ipſis intelligentia, ut æquè iſtorum numerum penſa perſolvant; ſat quippè compertum eſt in Sacramentorum adminiſtratione ipſos in multis poſſe deficere, præſertim verò circa illud pœnitentiæ; Unde quidam inter Ciſtercienſium Monachorum primates, qui etiam Sancto Bernardo à ſecretis eſſe meruit, ſcripſit, non minùs ſcientiæ, quàm pietatis exigi, ut hujuſmodi miniſterio quis dignè laudabiliterque fungatur: Opor-

Nicol. Claraval. Ser. de S. Andr. num. 11.

Oportet eum eſſe non minùs literatum, quàm Religioſum; ex indiſcreto enim zelo, quem prudentia, ac doctrina non moderantur, plus certè damni, quàm fructus emergit; nec unquam fieri poteſt, ut abſque ſufficienti ſcientia ſalutaria pœnitentium morbis remedia tribuantur.

Hæc porrò eſt ratio, propter quam Divus Auguſtinus in excellenti eo Tractatu, quem ſuper Monachorum obligatione ab operibus manualibus vacandum, edidit, immunes eos aliquando declarat, qui vel miniſtrant Altaribus, vel Sacramenta diſpenſant: *Si Miniſtri Altaris, ſi Sacramentorum diſpenſatores.* Quare ſi Sanctus Doctor non dubitavit tunc Regulares ab onere eximere, quod alioquin valde neceſſarium ipſis arbitrabatur, procul dubio nec iiſdem ſtudia tunc cogitavit interdicere, utpotè ad eas notiones habendas conducentia, quæ pertinet ad dicta miniſteria; quamquam ipſis præcisè ut Monachis illa permittere neceſſe non fuiſſet.

Auguſt. de oper. Monach. num. 24.

Reſpondebitur fortaſſe, propter dubia paſſim occurrentia Superiores ab ipſis eſſe tum conſulendos. Verùm cùm plurima ultrò ſe offerant, quæ ob inviolabile Sacramenti Pœnitentiæ ſigillum, nefas omninò eſt ſuperioribus aperire, qui fieri inſuper poterit, ut circa ejuſmodi dubia ſubditorum mentes à Superioribus illuſtrentur, ſi vel iſti ſufficienti ad id præſtandum lumine careant? Undenam quæſò id ſibi comparare poterant, ſi nulla prorſus cura ſit adhibita ad ipſos inſtruendos prius quàm talia miniſteria ſubirent? Nec quidquam ſuffragatur iſtantia, quæ fieri poteſt, nunquam ſcilicet Religioni defuturos ſufficientis literaturæ viros, quin aliquis ſaltem ad regendum inveniatur idoneus. Primò namque hoc eſt, quod nunc controvertitur. Secundò rectum Religionis regimen fortunæ, vel caſui committi videretur, ſi nempe rei tam dubiæ prorſus eſſet fidendum.

Neceſſum ergo eſt, Monachos Presbyteratus charactère inſignitos, Eccleſiaſticis doctrinis imbui quo ad uſque ſtatus proprii conditio, & Sacer ipſorum ordo id videntur expoſcere. Cùm autem doctrinæ iſtæ in notionibus Scripturarum Divinarum, item diſciplinæ, & Traditionis Eccleſiaſticæ, conſiſtere maximè debeant; operæ ideò pretium erit, Monachos Sacerdotio initiatos, ſufficientem horum omnium habere cognitionem, ſicut etiam oportebit, ipſos præcisè ut Monachos, eorum notitia præditos eſſe, quæ ad proprium ſtatum unicè ſpectant. Idipſum egregiè confirmat Monachus quidam Abbatiæ Prumienſis, ſub ditione, ac Diœceſi Trevirenſi, qui zelo non minùs, quàm pietate affluens, vixit tempore Divi Bernardi, in opere in quinque libros diſtincto, de Domo Dei, quod legitur in Bibliotheca Patrum, ubi ſic: „ Particularia præcepta, quæ cuilibet profeſſioni ſpecialiter ſunt aſſignata; ab univerſalibus inſtitutis in nullo diſcordare debent; nam particularia inſtituta ſi ab univerſalibus diſcreparent, vim ſuam amitterent, ſicut ramus ab Arbore, rivus à Fonte præciſi, ariditate pereunt. Hùc accedit, quòd Monaſtica Profeſſio, quæ particularia inſtituta ex quavis Regula Sanctorum Patrum

Potho lib. 3.

„ trum ſervanda ſuſcepit, ab univerſalibus inſtitutis, quibus Cano-
„ nica authoritas omnem Eccleſiaſticum Ordinem inſtruit, nequa-
„ quam excluditur; nam Monaſticus Ordo ſic Regulæ ſuæ terminis
„ contentus eſſe debet, ut etiam qualiter eum oporteat Sacris obe-
„ dire Canonibus non ignoret; ſunt quippe in Monaſtica vita quam-
„ plurimi, qui ſimpliciter Monachi dicuntur, quia Sacris Ordinibus
„ minimè funguntur; ſunt qui Monachi ſimul, & Clerici vocantur;
„ iſti nimirum & Regulæ ſuæ obedientiam, & Sacris Canonibus re-
„ verentiam exhibere debent; habent enim ex Regula vivendi præce-
„ pta, quibus obtemperent, & habent ex Canonica traditione ritum
„ miniſtrandi, quem ſervent; ſicque ſunt Regulæ ſuæ debitores, ut
„ & Sacrorum Canonum debeant eſſe obſervatores. Ampliùs igitur
„ ex debito obligati ſunt, qui & ex Regulæ cuſtodia, & ex Canonum
„ obſervantia reddituri ſunt rationem. Quò contra illi deſipiunt, ne-
„ ſcientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, qui cum ſint
„ in Sacris conſtituti, in ſola tamen Regula glorianres dicunt. Quid
„ nobis cum Canonibus? Habemus Regulam noſtram, hac igitur
„ contenti ſimus. Bene, & argutè Regulæ prætendunt authoritatem.
„ An non Regularum omnium magiſtra eſt Canonica authoritas?
„ Nonne Romani Pontifices, qui in plenitudine poteſtatis Eccleſiæ
„ præfuere, illis præferendi ſunt, qui in partem ſolicitudinis vocati,
„ particularia dumtaxat nonnullis inſtituta in ſuis Regulis edidere? San-
„ ctus quoque Pater Benedictus, quamvis ſpiritu omnium Juſtorum
„ plenus, tamen in Regula, quam Monachis ſpecialiter ſcripſit, teſtatur,
„ non omnem juſtitiam eſſe conſtitutam; Neque enim Regula ejuſdem
„ Sancti Patris, neque ullæ majorum traditiones, quæ morum corre-
„ ctionem docent, honeſtæque vitæ formam demonſtrant, his, qui in
„ Monaſteriis degunt, imminuere, vel infirmare ullo modo poſſunt
„ Sacrorum Canonum authoritatem, quorum videlicet obſervantia cùm
„ generaliter omnibus Eccleſiæ filiis indicta ſit, Monachi ſoli non exci-
„ piuntur; Nam Canones ad Monachos quoque pertinere, eoſque Sy-
„ nodalibus Patrum decretis obedire debere, ex ſcriptis Magni Gregorii
„ liquidè nobis conſtat, qui in ſua Synodica Sanctiſſima quatuor Con-
„ cilia confirmat, dicens: Sicut Sancti Evangelii quatuor libros, ſic
„ quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor, Nicænum ſcili-
„ cet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur; Conſtantinopolita-
„ num, in quo Eunomii, ac Macedonii error convincitur; Epheſi-
„ num primum, in quo Neſtorii impietas judicatur; & Calcedonen-
„ ſe, in quo Eutychetis, Dioſcorique pravitas reprobatur, tota de-
„ votione amplector. Secùs enim juſtè timeri poteſt, ne ipſi quoque
Oſee 4. 6. „ ſententiæ, ac punitioni Divinæ aliquando ſubjaceant, quam Sa-
„ cerdotibus quibuſque Deus per os Prophetæ minatur: Quia tu ſcien-
„ tiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.

En itaque qualis fuit Docti hujus, piique viri ſententia circa obli-
gationes Monachorum addiſcendi Eccleſiæ Canones, cùm pro Eccle-
ſiaſti-

Digitized by Google

ſiaſticis ſpecialiter editi videantur. Huic etiam doctrinæ conformatur paræneticus ſermo, quem Caſſiodorus Monachis ſuis ſcripſit; hos namque hortatur, ut Sacrorum Canonum collectionem legere non omittant, à Dionyſio Abbate, cognomento exiguo, congeſtam; & ſubdit: *Ne videamini tam ſalutares Eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare*. Inſuper ad vitandum quemlibet infauſtum eventum, qui ex tali inſcitia poſſet ipſis inopinatò contingere, iiſdem conſulit, ut pariter Concilium Epheſinum primum, & Chalcedonenſe ſæpè revolvant, unà cum epiſtolis, quibus ambo fuere confirmata. Hortamenta autem hujuſmodi ab ipſo generaliter ſcripta ſunt Monachis Vivarienſibus, inter quos plerique ſine dubio aderant, qui nullo prorſus ordine initiati erant; ex quo etiam argumentum fortiùs urget reſpectu Monachorum, qui Sacerdotali charactère ſignantur. Quid quæſò, inquit Trithemius Abbas Monachos ſuos alloquens, miſerabilius Sacerdote indocto, qui licèt nullum prædicationis officium habeat, ratione tamen ſuſcepti ordinis ad ſcientiam obligatur Scripturarum? Quod idem eſt ac ſi adderet, & ad eorum omnium notitiam habendam, quæ præſertim Eccleſiaſticos decent. Sic ſcribit Homil. 4. digna quidem, ut tota attentè legatur.

Caſſiod. Divin. Inſtit. c. 23.

Hæc item ratio fuit, quæ Divum Fulgentium Epiſcopum Ruſpenſem impulit ad uniendum ſimul Clericos, & Monachos in Monaſterio Ruſparum in Africa, itaut utrorumque ſtudia, orationes, ac victus communiter fierent: *erat quippe eis communis menſa, communis oratio ſimul, & lectio*. In alio item Cœnobio, in quo longè a laicorum, mundanorumque conſortio, idem Sanctus aliquandiu vixit, Clerici educabantur, ut ad dignitates, & Eccleſiaſtica munia fierent apti. *Eccleſiaſticis dignitatibus multos viros idoneos emutrientes*. Sic ſemper fuit etiam ab initio inſtitutionis Monaſticæ; ſiquidem Ammon, qui poſtea fuit ad Epiſcopatum aſſumptus, cùm anno decimoſeptimo ætatis ſuæ in Tabennæ ſolitudinem ſe recepiſſet, Sanctus Theodorus Abbas, qui jam certò prænoverat felicem juvenis indolem, ac exitum, ipſum Theodoro lectori, & Auſonio adoleſcentium magiſtro inſtruendum tradidit, ut per ſanctarum intelligentiam Scripturarum tanto miniſterio dignus evaderet; ſic ipſemet narrat in epiſtola ad Theophilum Alexandrinum ſcripta.

Vita S. Fulgent. n. 43. — *Ibid. n. 30.* — *Bolland. Tom. 4. Maii pag. 349. col. 1.*

Gregorius Turonenſis nobis ſatis apertè demonſtrat, Galliarum Cœnobia fuiſſe ſuo ævo tot veluti adoleſcentium collegia, in quibus ſcientiæ Eccleſiaſticis apprimè neceſſariæ tradebantur: Refert namque, Meroveum, cùm in cuſtodia à Patre ſuo Chilperico Primo Francorum Rege, retineretur, juſſu ejuſdem tonſuratum fuiſſe, mutataque veſte, qua Clericis uti mos erat, Presbyterum fuiſſe initiatum, & ad Monaſterium Cœnomannicum, quod Aninſula dicitur, ſeu etiam Sancti Carilephi, directum fuiſſe, ut ibi Sacerdotali regula erudiretur. Unde palàm liquet, quòd vel ex tunc Monachi Eccleſiaſticam tradere ſcientiam in dictis Cœnobiis profitebantur;

Greg. Turon. lib. 5. cap. 14.

hacque de cauſa, ſicut etiam ex aliis infra adducendis, factum eſt, ut complures eorum doctrinarum, eruditionumve culmine celebres, immortalem apud poſteros ſibi nominis famam vendicarint, ut clariùs ſequenti capite patebit.

CAPUT V.

Quòd Viri egregii, qui inter Monachos effloruere, certò indicant, ſtudia literarum impensè ab ipſis exculta fuiſſe.

Cum regulariter loquendo contingere nequeat, quempiam virtutibus præditum fieri, abſque diuturno earum experimento, & exercitatione, ſic nunquam fiet, ut ſcientiæ perfectè acquirantur, abſque jugi in ſtudiis labore. Hinc procul dubio dicendum, iſthæc à primis uſque temporibus impensè in Cœnobiis exculta fuiſſe, cùm egregii in ſcientiis viri memorentur, qui non minùs propriis doctrinis Eccleſiam illuſtrarunt, quàm eidem mira ſanctitate præfulſerint.

Supervacaneum ergo, atque importunum omninò foret ſingulorum nomina exactè in præſentia conſcribere, qui nimirum, tum ſcientia, tum pietate excelluere. Ut tamen præſentem materiam paululum adhuc expendamus, nonnulla ſuperaddere, & animadvertere proſequor.

Primum, quod hîc perpendendum occurrit, eſt, quòd potior celebriorum, ſapientumque virorum pars, qui propria ſanctitate, ac Doctrina Eccleſiam illuſtrarunt, vel in Cœnobiis vitam jugiter degere, vel diu in iiſdem fuerunt educati, ac nutriti, adeò ut majorem operum ſuorum partem ibidem lucubrarint. Ex quatuor enim Sanctis Doctoribus, quos Græca Eccleſia veneratur, duo quidem Monachi fuere, hoc eſt Sanctus Baſilius, & Sanctus Joannes Chryſoſtomus, reticendo Divum Gregorium Nazianzenum, quem vitæ ipſius deſcriptor inquit, Monaſticam potiùs, quam ſæcularem duxiſſe vitam. Item Sanctus Athanaſius aliquandiu inter Ægypti Monachos vixit, ad quos multoties etiam ſcribere dignatus eſt, & ipſorum gratia Sancti Antonii vitam concinnare, ut Synchronus auctor vitæ Sancti Pachomii nobis teſtatur. Tantumdem ferè dici poteſt de Sanctis Doctoribus Eccleſiæ Latinæ, quoniam dempto Divo Ambroſio, qui Cœnobium ullum nuſquam incoluiſſe legitur, reliqui tres, Sanctus nempe Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Gregorius Magnus, vitam Monaſticam procul dubio profeſſi ſunt, horumque ſinguli varia, & egregia in lucem ediderunt Opera, dum adhuc Monaſticam degerent vitam, quam Divus Hieronymus tanto jugiter amore proſequutus eſt, ut neque Sacerdotalis character, quo velut invitè initiatus fuerat, ipſum ab ea unquam dimovere potuerit.

Gregor. in Vita Gregorii Naz.

Vita S. Pachom. Bollan. n. 63.

Alterum, quod notare debemus, eſt penè innumerabilis Epiſcoporum ſeries, qui tam de Orientalibus, quàm de Occidentalibus Cœnobiis prodiere. Quì enim fieri potuit, ut tot Sancti Antiſtites prævias

omnes

omnes conditiones ad dignè fungendum proprio miniſterio habuerint, niſi priùs intrà clauſtra degentes, ſcientiam conſequuti fuerint ad id muneris neceſſariam? Numquid dici poterit, eos in ſæculo jam ſcientiis imbutos, Monaſticam ſubinde vitam amplexos fuiſſe? Id ſanè de illis omnibus objici ſaltem nequit, qui à teneris annis ſe Religioni, Deoque ſacrarunt, ut nobis certò conſtat de Sancto Epiphanio, Salaminæ in Cypro Epiſcopo, de Sancto Attico Patriarcha Conſtantinopolitano, de Alexandro Epiſcopo Baſinopolitano, de Palladio Epiſcopo Helenopolitano, deque aliis innumeris, tum Græcis, tum Latinis. Quod etiam æquali certitudine non ambigitur de Sancto Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, de Sancto Donato Epiſcopo Veſontienſi, de Sancto Bonifacio Germanorum Apoſtolo, deque aliis pluribus, qui brevitatis gratia reticentur. Plerique autem ipſorum clauſtralem tunc elegerant vitam, cùm nequidem legere didiciſſent; nec ab ea unquam receſſere, niſi cùm Epiſcopi fuerunt renuntiati. Concludendum itaque reſtat, ipſos intra Cœnobia degentes, ſcientiis pro Epiſcopali munere inſtructos fuiſſe.

Tantumdem pariter aſſerere licet de iis, qui vota ſolemnia in Religione emiſére aliquantulùm adulti, vigeſimo nempè, vel quinto ſupra vigeſimum ætatis anno. Enim verò nec tunc fieri potuit, ut illas animi dotes examuſſim obtinerent, ad Epiſcopale munus requiſitas, niſi eaſdem in progreſſu Religioſæ vitæ ſibi comparaſſent. Cùm autem innoteſcat, demptis iis, qui ſe impuberes Deo ſacrarunt, reliquos ut plurimùm præfata ætate Monaſticum induiſſe cucullum; idcircò jure etiam inferimus, omnes, tum ſcientias, tum virtutes fuiſſe in Religione conſecutos.

Inſuper in dubium minimè vertitur, quòd vel a prima Monaſticæ vitæ inſtitutione plerique Monachorum fuerint ab Epiſcopatum aſſumpti; Dracontius ſiquidem Monachus ad dignitatem hanc promotus fuit à Sancto Athanaſio; & quia nonniſi invitus promoventi videbatur acquieſcere, continuò vir Sanctus ipſi exemplum attulit de aliis ſeptem Monachis, qui à propria ſolitudine ad Eccleſias Epiſcopali miniſterio moderandas fuerant evocati. Vivente pariter Sancto Pachomio, duo ex ejus diſcipulis ad eamdem dignitatem aſſumpti fuere. Præterea tantum abeſt, quòd Summi Pontifices iſtam eligendi conſuetudinem aliquando abrogarint, ut potiùs in ſuis Decretalibus eamdem ſæpenumero confirmaverint; quod manifeſtè colligitur ex illis Syricii, Innocentii, Bonifacii, & Gelaſii. Quinimmò Honorius Imperator idipſum conſuluit, dicens: ex Monachorum numero rectiùs ordinabunt. Articulus inſuper legitur in regula Sancti Aureliani, qui talem conſuetudinem approbat. Tandem fructus, quem ex eorum electionibus Eccleſia jugiter conſequuta eſt, ſatis indicat, eas fuiſſe à Deo peculiariter inſpiratas.

Cod. Theod.

Regula S. Aureliani cap. 46.

Sed quid de tot inſignibus Scriptoribus effabimur, qui Eccleſiam, æquè ac Rempublicam literariam propriis ſcriptis locupletarunt, deque tot aliis inclytis viris, qui licèt nihil ſcriptis, aut prælo mandarint, non minùs tamen præſtitére ſapientia, quàm doctrina? Verùm quidem

B 2 dem

dem eſt, quòd iſti non adeò nobis innoteſcunt, ut primi; nihilominùs plurium ex ipſis clara apud poſteros remanſit cum laude notitia, ut Sancti Nili junioris, & aliorum, quorum dotes eximias infrà recenſebimus. Quantum verò ad Scriptores, tametſi nonnulla ipſorum opera ad nos uſque minimè devenerint, plura tamen alia affatim ſuperſunt, ut manifeſtè arguatur, ſtudia omni ævo in Cœnobiis exculta fuiſſe. Inſuper dicere aſſeveranter poſſumus, inter Eccleſiaſticos Scriptores, quamplures ex Monachorum numero inveniri, quorum major pars Beatorum albo adſcripta cenſetur, itaut gratis oblatrari ſolùm queat, eos in hoc Monaſticæ conditionis puritati derogaſſe. Id autem nemo ſaltem ſuſpicari poteſt de Sancto Ephrem Syro, de Sancto Iſidoro Damiatenſi, de Sancto Nilo ſeniori, Caſſiano, Vincentio Lerinenſi, Divo Maximo, Anaſtaſio Synaſta, Beda Venerabili, Theodoro Studita, Divo Anſelmo, Divo Bernardo, deque aliis innumeris, quorum omnium doctrina, æquè ac religioſæ pietatis ſplendor univerſim commendantur; Neque dixeris effectum iſtum fuiſſe divini dumtaxat, & ſupernaturalis auxilii, quòd nimirum tot recenſiti Doctores Monachi ad tam eminentem ſciendi gradum pertigerint; oppoſitum enim potiùs aſſerendum eſt, videlicet ordinario ſtudiorum curſui id tribuendum eſſe, quæ jam ab initio in Monachorum ſodalitiis impenſè colebantur.

Porrò ut veritas hæc magis illuceſcat, ſat ſuperque erit ſeriò perpendere quàm plures inſignium virorum de Cœnobiis eodem ferè tempore prodierint, ut ex Lerinenſi, & ex eo Sancti Martini Turonenſis, de quo Severus Sulpitius nobis aſſeveranter teſtatur, nullam tunc temporis Urbem extitiſſe, quin Epiſcopum de numero Alumnorum ejus concupierit ſibi præſidere. Quis autem ambigat, an Præſules iſti, doctrina non minùs quàm pietate affulſerint? Quòd ſi ſolùm ex ſupernaturali quadam vocatione, & impulſu ſcientiis nomen dediſſent, tantus ſanè non fuiſſet ipſorum numerus; quæ ſiquidem de extraordinaria tantùm lege fiunt, rarò contingunt; Deus quippe ſic res conditas ut plurimùm adminiſtrat, ut eas proprios motus agere ſinat. Idipſum pariter de Lerinenſi Abbatia dicimus, quæ ſæculo quinto tot Sanctorum Epiſcoporum Eccleſiis Arelati, Fori-Julii, Regii, aliarumque finitimarum urbium, diſtribuit, ut Sanctus Cæſarius, qui ex eodem Sacro Cœnobio ad Arelatenſem Epiſcopatum aſſumptus fuerat, Inſulam illam verè fortunatam appellarit, eò quòd tam præclaros ediderit viros, tamque eximios ſingulis Galliarum Provinciis Paſtores diſtribuerit. Quare de ipſa ſic habet: *Hæc eſt, quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes Provincias diſtribuit Sacerdotes*. Monaſterium itaque Lerinenſe cæterorum omnium Galliæ Cœnobiorum exemplar fuit, & prototypon. Cùm autem ſtudia in ipſo vel à propriæ fundationis tempore floruerint, in dubium non eſt vertendum, quin & reliqua ejuſdem veſtigia tenuerint.

Cæſarius hom. l. 25.

Animadvertere hìc etiam poſſumus, quòd ſi ſcientia repugnaſſet diſci-

ſciplinæ ordinariæ Cœnobiorum, quæ tali ævo omni ſtudio, & cura regebantur, nec ulla prorſus laude digni habiti fuiſſent Monachi, qui tunc ſtudiorum cupiditate præ cæteris magis flagrabant; ſed potiùs ii majora meruiſſent encomia, qui dumtaxat intra genus Monaſtici inſtituti jugiter permanſiſſent. Verum id Sanctorum Patrum teſtimonio palàm contradicere comperímus; Quandoquidem Divus Auguſtinus Sanctorum Monachorum ſuo ævo viventium mores exactè deſcribens, refert, quòd ipſi totum vitæ ſuæ tempus orando, legendo, ac diſputando inſumerent: *Viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus.* Item quòd nedum morum ſanctitate, ſed & doctrinarum copia præcellerent; ſubdit enim: *Hi verò Patres non ſolùm ſanctiſſimi moribus, ſed etiam Divina doctrina excellentiſſimi.*

Divus Fulgentius præfati Sancti Doctoris Alumnus, ac Monaſticæ Diſciplinæ, quam etiam diu profeſſus fuerat, præſtantiſſimus Magiſter, in hac pariter verſabatur ſententia; enim verò, ut refert quidam diſcipulorum ejus, qui ejuſdem Sancti Patris vitam exaravit, inferioris longè æſtimationis apud ipſum erant Monachi, qui operibus tantùm manualibus vacabant, ac ii, qui corporeis viribus ad illa exercenda expertes, ad ſtudia, lectioneſque ſedulò incumbebant. Laborantes Fratres (inquit deſcriptor vitæ ejus) & opera carnalia indefeſſis viribus exercentes, lectionis autem ſtudium non habentes, minùs diligebat, nec honore maximo dignos judicabat; in quo verò fuit ſcientiæ ſpiritalis affectus, etiamſi virtute corporis deſtitutus operari manibus nunquam poſſet, peculiariter dilectus habebatur, & gratus. Et ut nobis indicet, ſcientias, quas Sanctus Doctor plurimi faciebat, non ex vulgaribus, ſed ex ſublimioribus fuiſſe, ſubdit quòd Divus Fulgentius tunc præſertim jucundabatur, cum in diſputationibus, quas cum ſuis Monachis frequenter habebat, ſibi ab horum aliquo dubia difficilia proponerentur, unde perſpicaciſſimum, quo pollebat, exerceret ingenium. Amabat autem quando coram Fratribus diſputabat, ſi quis ei quæſtiones propoſuiſſet acerrimas, in quibus excellentiſſimo laboraret ingenio. Denique addit, quòd Sanctus Doctor proprio nunquam acquieſcebat animo, uſque dum omni prorſus difficultate explanata, ab ipſiuſmet proponentibus certò comperiſſet de eorumdem ſolutione dubiorum plenè fuiſſe ſatisfactum: Nec priuſquàm ſibi ſatisfactum confiterentur, rationem reddere, victus tædio, vel labore, ceſſabat. Quod ſi hinc ſufficienter non arguitur, ſtudia, ſcientiaſve in praxi, & æſtimatione fuiſſe in Divi Fulgentii Cœnobio, neſcio qua id ratione fortiùs evinci queat.

Auguſt. de morib. Eccl. cap. 31.

Alia inſuper ad hoc probandum ratio notatu digna videtur, quam ſuggerit nobis Author idem Vitæ Sancti Fulgentii; quandoquidem nedum Sanctum Doctorem laudibus extollit, eò quòd cum adhuc intrà Clauſtra degeret, ſupra reliquos Confratres doctrinarum copia emineret, verùm etiam quia omnium diſertiſſimus habebatur; inquit enim: Fulgentius fulget ſuper cæteros ſcientia mirabili, eloquentia ſpeciali. Non minori pariter encomio à Scriptoribus Eccleſiaſticis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

celebratur Divus Gregorius, Agrigenti in Sicilia Epiſcopus, nec non Sanctus Plato Abbas, ut infra cap. II. & part. 2. cap. 4. oſtendemus. Unum tamen hìc pro præſentis capitis coronide prætermittere nolo, celeberrimum nempe Elogium, quod Sidonius Apollinaris ſapienti Monacho Mamerto Claudiano, Viennæ in Delphinatu Epiſcopo, pro ſepulchrali Epitaphio inſcripſit, in quo de eo ſic habet: *Hoc dat ceſpite membra Claudianus Mamertus, triplex Bibliotheca, quo Magiſtro, Romana, Attica, ac Chriſtiana fulſit, quam totam Monachus virente in ævo ſecreta bibit inſtitutione: Orator, Dialeticus, Poeta, Tractator, Geometra, Muſicus, Doctus ſolvere vincla quæſtionum, & verbi gladio ſecare ſectas, ſi quæ Catholicam Fidem laceſſunt, &c.* Quod totum nos manifeſtè docet, ſtudia, ſcientiaſque fuiſſe omni ævo à Cœnobiis, multo pietatis zelo præſtantibus, ſemper exculta; tantumque abeſſe, ut ſanctiores Epiſcopi illa improbaverint, ut potiùs ſummis jugiter laudibus commendarint.

Lib. 4. Epiſt. 11.

CAPUT VI.

Quòd Cœnobiorum Bibliothecæ ſunt etiam nobis ſtudiorum argumenta, quæ ibi colebantur.

MUltifaria voluminum genera, quæ in Monaſteriorum Bibliothecis antiquitùs ſervabantur, validum etiam nobis argumentum præſtant ad dignoſcendum qualia fuerint ſtudia, quæ ibi in dies fiebant. Incongruum namque omnino foret, Monachos de magno librorum apparatu gloriari, nihilque ex eorum lectione proficere; *Magnæ enim verecundiæ pondus eſt, inquit Caſſiodorus, habere quod legas, & ignorare quid doceas.* Jam ſupra notavimus, quòd in ſingulis S. Pachomii Cœnobiis aderat Bibliotheca; in hac autem diligens cura adhibebatur in Codicibus diſtribuendis, & per quaſdam tabellas diſtinguendis, juxta propriam ſingulorum claſſem. Quod quidem onus Œconomo, atque Secundo ipſi aſſignato incumbebat; Unde etiam arguitur, quàm ingens ibi adeſſet librorum numerus: Libri ſimiliter omnes, ſuis accuratè loculis diſpoſiti, ad duorum, quos dixi, ſpectabant curam. Singulis inſuper Monachis imponebatur, ut ſpecialem de Codicibus diligentiam haberent, ut liquet ex cap. 100. Regulæ Sancti Pachomii, in quo ſtatuitur, quod inſtante hora proficiſcendi, vel ad Sacram Chori ſynaxim, vel ad refectionem, nemo Monachorum audeat librum, quem præ manibus habet, apertum derelinquere, & quod in primis ad Secundum ſpectet ſingulo quoque die ad Veſperam eos ſingillatim recognoſcere, & loco deponere pro uſualibus libris ſpecialiter deputato. Porrò cùm multus admodum eſſet in S. Pachomii Monaſteriis Aſcetarum numerus, ſingulæ quippe Domus, ex quibus ea conſtabant, quadraginta ad minus capiebant Monachos, & ſingula Monaſteria ex triginta, aut

Divin. Inſtit. cap. 16.

Vita n. 38.

qua-

Digitized by Google

quadraginta domibus coaleſcebant, ſi inquam ſinguli Codex legendus diſtribuebatur, & plurimi adhuc ſupererant ad Bibliothecam conſtruendam neceſſarii, meritò inde poterit inferri, ingentem admodùm fuiſſe eorum numerum.

Si autem hoc de primævis Cœnobiis ſine dubio comprobatur, idipſum potiori jure dici poterit de iis, quæ poſtmodum fuere fundata. Quod ſanè ex ſolerti potiſſimùm, aſſiduoque ſtudio confirmari à nobis poterit (cui navabant operam præclariores ipſorum Monachi) tranſcribendi nimirum libros nimia vetuſtate corroſos. Hic quippe unicus erat labor in Monaſteria Divi Martini Turonenſis Epiſcopi uſitatior: *Ars ibi, exceptis Scriptoribus, nulla habebatur*. *Sulp. in Vita S. Mart. c. 7.* Laudatur inſuper Sanctus Fulgentius eò quòd hanc artem excellentiſſimè exercuerit. *Fulgentius Scriptoris arte laudabiliter utebatur*. Similì etiam encomio extolluntur Sancti Monachi Lucianus, Philoromus, & Marcellus, aliique plures, quorum nomina hîc reticemus. *Hiſt. Monaſt. Orient. pag. 295. 441. 517. &c.* Hujus item laudabilis occupationis indicia habemus ex Regula Iſaiæ Abbatis, qui ægrè ferebat, Monachum oſtentationem ullam affectare in ſuperfluo voluminum, quæ exſcriberet, ornatu: *Si feceris librum, ne exornes illum, hoc quippe affectum tuum oſtendit*. *Iſa. Reg. cap. 23.* Hoc idem pariter uſitatum erat in Italia ab eo uſque tempore, quo Sanctus Pater Benedictus ſuum inſtituit Ordinem; quoniam cum Defenſor quidam Julianus nomine, ad Monaſterium Sancti Equitii Abbatis in Provincia Valeriæ perrexiſſet, quamplures ibi Monachorum invenit Voluminum tranſcriptores: *Antiquarios ſcribentes reperit*. *Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 4.*

Verùm hujuſcemodi exercitium nil nobis evidentiùs confirmat, quàm quod Caſſiodorus cap. 30. Inſtitut. Divin. ſcribit: Monachos enim proprii Monaſterii Vivarienſis ibidem alloquens inſignis hic Doctor, ſic habet: Ego tamen fateor votum meum, quæcumque poſſunt inter vos corporeo labore compleri, Antiquariorum mihi ſtudia (ſi tamen veraciter ſcribant) non immeritò forſitan plus placere, quòd & mentem ſuam relegendo Scripturas Divinas ſalubriter inſtruant, & Domini præcepta ſcribendo longè, lateque diſſeminent. Felix intentio, laudanda ſedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, ſalutem mortalibus tacitam dare, & contra Diaboli ſurreptiones illicitas, calamo, atramentoque, pugnare. Tot enim vulnera Satanas accipit, quod Antiquarius Domini verba deſcribit. Uno itaque loco ſitus, operis ſui diſſeminatione per diverſas Provincias vadit. In locis Sanctis legitur labor ipſius, audiunt populi, unde ſe à prava voluntate convertant, & Domino pura mente deſerviant. *Operatur abſens de corpore ſuo*. Hæc ille. Petrus item venerabilis ad Recluſum quemdam ſcribens, Giſlebertum nomine, iiſdem ferè utitur verbis ad tam fructuoſi laboris commendationem; *Pet. Venerab. lib. 1. epiſt. 20.* ſicut etiam venerabilis Guigo, quintus Carthuſianorum Miniſter Generalis, ut liquet ex peculiaribus decretis ab ipſo emanatis. Denique ex Monacho Jona habemus, quòd Sanctus Euſtaſius Luxovienſis Monaſterii Abbas, nullatenus ſuæ Dignitati incon-

gruum reputaret antiquos Codices plerumque tranſcribere. Quòd etiam legimus de S. Stephano juniori.

Opponet fortaſſe aliquis, quòd libri, qui tunc tranſcribebantur, non continebant, niſi Scripturam Divinam, vel ea tantùm, quæ ad Monaſticum ſtatum ſpectabanr. Verumtamen facillimum eſt huic objectioni occurrere, afferendo Doctrinam, quam Caſſiodorus præfatus in duobus Divinarum inſtitutionum libris nobis reliquit, & in gratia ſuorum Monachorum elucubravit; Tametſi enim eximii iſtius viri principale intentum foret, ut ii notitia Scripturarum Sanctarum tantummodò imbuerentur, nihilominùs certò etiam autumavit, neutiquam id abſque aliis multis præviis cognitionibus ipſos aſſecutos eſſe. Quapropter nedum voluit ea omnia congerere volumina, in quibus Sacra Scriptura contineretur, quemadmodum ſunt illa veteris, novique Teſtamenti, unà cum ſuis Commentariis; ſed inſuper totus fuit in inquirendis omnibus iis, quæ exiſtimavit legentis animum ad præfatam intelligentiam poſſe conducere. Quamobrem non modicis ſumptibus univerſa emit Sanctarum Patrum opera, Cypriani, Hilarii, Ambroſii, Hieronymi, & Auguſtini; item hujus S. Doctoris operum omnium Σ.. ογῳ editam ab Abbate Eugipio, reticendo PP. Græcos, quorum etiam lectionem Atticam linguam callentibus ſummoperè commendabat. Inſuper quoſcumque Hiſtoricos, quos invenire potuit, collegit, tractantes præſertim de rebus populi Dei, & Eccleſiæ, ut ſunt Joſephus, Euſebius, Oroſius, Marcellinus, Proſper; Libros item Sanctorum Hieronymi, & Gennadii, in quibus agitur de Scriptoribus Eccleſiaſticis; Item Hiſtorias Eccleſiaſticas Socratis Sozomeni, & Theodoreti, quæ etiam, ipſo ſuadente, ab Epiphanio Scolaſtico Latinè verſæ, atque in unum corpus redactæ, Hiſtoriæ, quam nunc tripartitam dicimus, nomen dedere. Tandem arbitratus eſt, operæ pretium eſſe à Monachis perlegi Libros de Coſmographia, ac Geographia tractantes; Authores item Rhetoricorum, & qui de Orthographia ſcripſere; iſtorum namque omnium lectio videbantur ipſi ad exactam ſacræ paginæ intelligentiam valde opportuna. Addito, quòd cùm optaret ſingularum materiarum generibus Bibliothecam abundare, rariores quoque Medicinæ Authores hinc inde ſelegit, ut iis, ad quos ægrotantium cura pertineret, inſervirent, unde poſſent, agnita qualitate morborum, eorumdem ſaluti opportunè conſulere.

Poſtquam autem omnium harum materiarum ſeriem redegit, unde etiam proprii Monaſterii Vivarienſis Bibliothecam amplè ditaverat, devotam ad Deum Orationem habet, ut Monachorum ſuorum mentem illuſtrare dignetur ad plenam Sacræ Scripturæ intelligentiam; & propè ejuſdem orationis finem diſcipulos ſuos alloquitur, eos excitando ad fructum hauriendum ex tam opportuna occaſione ſtudendi, quam ipſis præbuerat, ut in lectione Divinarum Scripturarum magis, magiſque proficerent; Eja nunc, Fratres chariſſimi, feſtinate in Scripturis Sacris proficere, quando me cognoſcitis pro

doctri-

Digitized by Google

doctrinæ veſtræ copia, adjutorio Dominicæ gratiæ, tanta vobis, & talia congregaſſe.

Beda item venerabilis tradit, Divum Benedictum Biſcopum, fundatorem, primumque ſui Monaſterii Abbatem, multum operis impendiſſe, ut amplam ibi Bibliothecam conſtrueret; variiſque itineribus, quæ Romam versùs peregit, toties inde innumerabilem librorum omnis generis copiam aſportaſſe; & tandem in mortis agone conſtitutum Diſcipulis commendaſſe, ut omni ſedulitate incumberent ad ejuſdem copioſæ Bibliothecæ conſervationem, omnique ſtudio caverent, ne propria negligentia quidquam in ipſa perditum iri contingeret. *Lib. 1. de Biſcopo n.6. & 11.*

Difficile rurſum non eſſet hic oſtendere idipſum alibi in praxi fuiſſe, & quidem in Cœnobiis, ubi major regularis diſciplinæ fervor vigebat, in quibus, tum libri omnis generis in dies colligebantur, tum etiàm multi aderant Antiquarii, voluminum ſcilicet tranſcriptores. Exploratum quippe nobis id etiamnum reddunt tot celebres Bibliothecæ, videlicet Lerinenſis Majoris Monaſterii propè, & extra Turones, Montis-Caſini, S. Germani de Pratis, Bobienſis, Luxovienſis, Floriacenſis, illæ utriuſque Corbejæ, S. Remigii Rhemenſis, Fuldenſis, S. Galli; S. Emmerani, Ratiſponenſis, B. Virginis Eremitarum, pleræque aliæ antiquiores, Univerſa item literatorum Reſpublica conſentit, multum Monachis deberi, eò quòd proprio ſtudio nobis huc uſque ſervaverint veterum Scriptorum Volumina; nam nihil propemodùm, vel valde parum de Antiquitate, ſive ſacra, ſive profana, ſuperſtes haberetur, ſine ipſorum peculiari induſtria, & labore. Et ut paucis quoad hoc me expediam, Abbatia Corbejæ novæ in Saxonia, ea fuit, quæ nobis quinque primos libros Annalium Taciti conſervavit, teſte Meibomio in Procemio ad tertiam editionem Witixindi. Item ſublata omni ſpe ampliùs recuperandi, pretioſiſſimum Lactantii Monumentum ſuper interitu perſecutorum prorſus amiſiſſemus, quod paulò ab hinc tempore diligenti cura eruditiſſimi Baluzii fuit in lucem editum, niſi inter Reliquias Bibliothecæ Abbatiæ Moiſſacenſis in Cadurcis ſervatum hactenus fuiſſet.

Sed quod majorem adhuc admirationem ingerit, nedum Monachos, verùm & Moniales piis hujuſmodi exercitiis operam dediſſe legimus; Enim verò Diva Melania junior, ſecundùm quod refert Auctor vitæ ejus, mirum in modum perfectè ſcribendi artem exercebat. Scribebat quippe celeriter, pulchrè, & citra errorem. Item Moniales Monaſterii S. Ceſariæ, Sororis S. Ceſarii Archiepiſcopi Arelatenſis, ſuæ S. Abbatiſſæ exemplum ſectantes, ſacros jugiter libros tranſcribebant; ſicut etiam Beatæ Harnildis, & Renildis Abbatiſſæ cujuſdam Monaſterii noſtri Ordinis in Belgio. Divus quoque Bonifacius Germanorum Apoſtolus rogat Abbatiſſam quandam, ut ſibi aureo charactere tranſcribat Divi Petri Apoſtolorum Principis epiſtolas. Iſtis porrò pleræque aliæ Sanctimoniales poſſent adjici, quæ nedum *Boniſac. ep. 28.*

Anti-

Antiquariorum more volumina tranſcribebant, ſive ut hæc in pauperum ſubſidium venditarent, quemadmodum de S. Melania legitur, ſive ut eſſent aliorum uſui, verùm etiam ut ſibi inſervirent. Quinimmò Monachorum ſequendo veſtigia, plurimæ ipſarum ſcientiis vacabant, ut in Proœmio in tertium ſæculum Benedictinum jam ſatis tradidimus.

CAPUT VII.

Quòd à Divo Patre Benedicto ſtabilita fuerint Studia in ſuis etiam Cœnobiis.

POſtquam in Superioribus demonſtratum eſt, ſtudia, ſcientiaſve in antiquioribus Cœnobiis à Monachis fuiſſe exculta, ſupereſt nunc idem oſtendere etiam in Monaſteriis a Divo Benedicto fundatis, & inveſtigare num Sanctiſſimus hic Monachorum Occidentis Patriarcha eumdem ſpiritum, ac fervorem prædeceſſorum ſuorum quoad hoc fuerit æmulatus. Quod ut nobis liquidò conſtet, Monaſticam dumtaxat diſciplinam, quam in ſua Regula ipſe præſcripſit, attentè conſiderabimus, ex quo ſubinde quænam in hoc fuerit S. Patris mens facilè dignoſcemus, num ſcilicet abſque ullo ſtudiorum adminiculo eam ſubſiſtere voluerit.

Divus itaque Pater Benedictus in Abbatis ordinatione duo potiſſimùm præcepit attendenda eſſe, vitæ ſcilicet meritum, atque doctrinam; inquit enim cap. 64. Vitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur. Declarans verò in quo conſiſtere debeat talis doctrina, ſubdit: Oportet ergo eum eſſe doctum Lege Divina, ut ſciat unde proferat nova, & vetera. Quare hujuſmodi doctrinam non in alio ſitam eſſe fas erit, quàm in plena divinarum legum intelligentia, ex Scripturarum Sanctarum promptuario, tum veteris, tum novi Teſtamenti, deſumpta; adeò ut Abbas ſit ſufficienter idoneus ad eas, quandocumque ſe prodet occaſio, Monachis, quibus præerit, explanandum. Idipſum S. Patriarcha exigit omninò a Monaſterii Decanis; præcipit namque Abbatibus, quatenus in eorum electione non tantùm ſpectent locum profeſſionis, quem tenent, ſed potiùs bonum teſtimonium ſanctæ, ac doctæ converſationis; inquit enim: Et non eligantur per ordinem, ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam. Sub hac item lege Præpoſitus procul dubio comprehenditur, ſive Monaſterii Prior, qui nimirum poſt Abbatem primus eſt ſuper omnes Decanos; ait namque Sanctus Pater cap 21. Et de Præpoſito eadem conſtituimus. Inſuper Magiſter Novitiorum, qui ut cap. 58. eligi debet ſenior, prudentia præditus, aptus ad lucrandas animas; & tandem Monaſterii Cellerarius, ſive Œconomus, qui ut cap. 31. eligi debet de congregatione ſapiens, & maturus moribus. En igitur quales Sanctus Benedictus promoveri jubeat ad principaliora pro recto Cœnobiorum regimine, miniſteria ſubeunda.

Sin-

Singulorum porrò Monachorum exercitia in primis redigebantur ad horarum Canonicarum recitationem, ad lectionem, & ad opera manualia; & qualibet die poſt Primam cunctis binarum horarum ſpatium concedebatur, ut lectioni privatæ vacarent; trium verò tempore Quadrageſimali à manè ſcilicet, uſque ad tertiam plenam, & ſingulis tunc diſtribuebatur legendus Codex juxta uniuſcujuſque exigentiam, *Regu. c. 4.*
qui de Bibliotheca extrahebatur: Hyberno verò tempore totum etiam legendo inſumebatur intervallum, quod erat inter Matutinum, & Laudes; & à Menſe Octobris uſque ad Quadrageſimam totum quod inter prandium, & Veſperas, reticendo inſuper pomeridianas horas in Æſtate ad id pariter deſtinatas, ſicut & dies Dominicos, in quibus completa Sacra Synaxi, & Oratione, toto quod ſupererat tempore ad hoc ipſum incumbebatur. Qualibet inſuper Anni tempeſtate Monaſterii Abbas ſummopere ſatagebat, quatenus lectio præſcriptis horis indeclinabiliter fieret; Quinimmò cujuslibet ante oſtium Cellæ parva quædam tabella, hinc inde facilè mobilis, appendebatur, ut unus, vel duo ſeniores, qui Monaſterium identidem circumibant, comperirent num verè ſinguli eſſent lectioni intenti; ſi quis autem aliquando ita negligens, aut deſidioſus inveniebatur, ut nec legendo, nec meditando occuparetur, aliud ei opus continuò injungebatur, ne otio, malorum omnium ſentina, tabeſceret.

Quantum verò ad libros attinet, facilè erit eos ſcire, quorum videlicet lectio tunc Monachis permittebatur, ſiquidem poſtquam Divus Benedictus propria ductus humilitate aſſeruit, Regulam à ſe compoſitam non eſſe, niſi quoddam Chriſtianæ, ac Religioſæ perfectionis ſpecimen; ſubdit cap. 73. Cæterùm ad perfectionem converſationis qui feſtinant, ſunt doctrinæ Sanctorum Patrum, quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis; quæ enim pagina, aut quis ſermo divinæ authoritatis veteris, ac novi Teſtamenti, non eſt rectiſſima norma humanæ vitæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum? Adſunt etiam collationes, & inſtitutiones Caſſiani, nec non & Regula S. Baſilii, quæ non aliud indigitant niſi bene viventium, ac obedientium Monachorum exempla, atque inſtrumenta virtutum. En igitur quales ſint Codices, quorum lectionem Divus Pater Benedictus Monachis valdè commendat, præter Sanctorum Patrum expoſitiones, & commentaria in ſacram paginam, quæ in Matutina legebantur Synaxi, præſertim diebus Dominicis.

Inſuper ſi præter Regulam, Sanctiſſimi Patriarchæ vitam ſedulò inſpiciamus, intelligemus ipſum Caſinenſi in Monte, commorantem circumquaque Infidelium multitudinem prædicatione continua ad fidem *Greg. l. 2.*
vocaſſe, qui inter cimmerias Idololatriæ tenebras cæcutiebant; Verùm *Dial. c. 8.*
fortè quis dixerit, hoc totum extraordinariæ, ac ſupernaturali S. Patris inſpirationi tribuendum eſſe, vel etiam, neceſſitate urgente, ipſum tunc præfato charitatis munere fungi debuiſſe. Attamen Gregorius Magnus

Digitized by Google

gnus, qui lib. 2. Dialog. totam vitæ ejus ſcripſit hiſtoriam, haud meminit id patratum fuiſſe ex peculiari, vel extraordinaria tantùm vocatione, ut enim cap. 36. ait: Sanctus vir nullo modo potuit aliter in ſua Regula docere, quàm vixit; Unde jure etiam dici poteſt, ipſius vitam non aliud fuiſſe, quàm vivum ejuſdem Regulæ à ſe conſcriptæ exemplar, proindeque Monachis ab ipſo inſtitutis licere ejuſdem in cunctis veſtigia ſequi, quæve in ſua Regula S. Pater non interdixit, executioni mandare.

Hæc autem non ex ſimplici ducti conjectura audemus aſſerere, ſed ex firmiſſima ratione, quam ex ipſomet Divo Gregorio colligimus. Enim verò S. hic Pontifex narrat, quòd noſter Beatiſſimus Pater ad oppidum quoddam, non longè à Caſini Monte diſtans, aliquot Monachorum ſuorum ſæpenumerò mittere ſolitus erat, tum ut plures loci incolas, quos ad fidem noviter ipſe converterat, neceſſaria doctrina imbuerent, tum etiam ut Sanctimoniales inibi commorantes inſtruerentur. *Crebrò iſthuc pro exhortandis animabus, Fratres ſuos mittere Benedictus Dei famulus curabat.* Greg. c. 19. Dici ne ergò hinc poterit, occupationem iſtam Divi Benedicti ſpiritui adverſari, nec licitum eſſe Diſcipulis ejus eamdem amplecti, niſi ex ſpeciali vocatione divinitùs excitentur, cùm Vir Dei nedum ſe ſolo talem Provinciam ſuſciperet, verùm etiam indifferenter, ac identidem Monachis fuit illam committeret? Quidni igitur aſſeveranter dici poterit Sancti hujus Patriarchæ; Diſcipulorumque ejus exemplum veluti rectam normam iis omnibus proponi, qui eorumdem veſtigia ſectari impensè æmulantur?

Cùm itaque res ita ſe habeat, imperceptibile prorſus videtur, potuiſſe in Cœnobiis Monachos inveniri, qui Sancti Patris Regulam exactè profiterentur, quæque hactenus innuimus examuſſim perſolverent, quin ſtudia, ſcientiaſve ibidem aliquo modo excoluerint; Quandoquidem ubinam gentium divinis in Scripturis verſatus Abbas nobis occurret, quique jugiter, ſive ad exhortandos Monachos, ſive etiam ad ipſos inſtruendos ſit aptus, abſque ullo ſcientiarum munimine? Quomodò Priores, Decani; ac Novitiorum Magiſtri talibus præditi dotibus, quas Divus Benedictus in ipſis prærequiri mandat? Rurſus qua ratione lectiones cum fructu, & quidem binis, aut ternis ſaltem horis in dies haberi poterant, ſacram nimirum revolvendo paginam; ſenſumque percipiendo, Sanctorumque Patrum opera, abſque ulla prævia ſtudiorum diſpoſitione? Quomodo autem hanc aſſequi potuiſſent, niſi priùs inſtruerentur? Demum qui fieri poterat, ut ipſi nedum ad pueros erudiendos forent idonei, qui nimirum quinquennes, vel ſeptennes intra Clauſtra, tunc temporis recipiebantur, ſed etiam ad Neophytorum multitudine frequenti doctrina in fide ſolidandam? Imaginari ſanè nemo poteſt, hæc ita ſe habuiſſe, quin autumet, Aſceras illos ſcientiis diu fuiſſe præmunitos, ut ad præfata munia ſubeunda fierent apti; arduum namque eſt, ne impoſſibile dixerim, ſenſum Scripturarum intimè ſcrutari, medullitúſque enucleare, Aug. lib. 9. Confeſſ. abſque ullius viva voce Magiſtri, quemadmodum olim etiam Eunuchum

chum Reginæ Candacis ad Philippum Diaconum reſpondiſſe legimus. Difficilius ſubinde videbitur cæteros iiſdem ſcientiis imbuere, quin priùs ad id ritè præſtandum ſufficiens fuerit comparata notitia per ſtudium, ſive publicum, ſive privatum; Quod ſanè paucis datur conſequi abſque ullo docentis adminiculo, admiſſa vel hypotheſi, quòd qui tunc Monaſticum induebant habitum, humaniores in ſæculo literas jam antea didiciſſent.

Confirmari hoc totum poteſt ex regula Magiſtri, quæ reverà non eſt, niſi quoddam veluti commentarium Benedictinæ, Author enim hic, qui uno vix ſæculo poſt Divum Benedictum vixit, decernit ſtatis horis ad legendum juniores Monachos ab idoneo Magiſtro inſtruendos eſſe; ſic enim ait: ***Ab uno literato literas meditentur.*** Inſuper ſtatuit, quòd qui provectioris erant ætatis, literarum ſtudio uſque ad annum quinquageſimum vacarent: Ad quinquagenariam ætatem literas meditari. Hujuſmodi autem ſtudium præcipuè conſiſtebat in humanarum ſcientiarum acquiſitione, necnon Pſalmorum intelligentia, qui cùm ſint principalior ſcopus, ad quem collimare debet exercitium diurnæ, ac nocturnæ Pſalmodiæ Monachorum, propterea reſpiciebantur ab ipſis ut potiſſima ratio Monaſticæ applicationis, & hinc eſt, quod Divus Benedictus ſtabilierit, ut ſingulis diebus temporis hyemalis, totum quod inter nocturnas vigilias ſupererat, & matutinas laudes, à Fratribus, qui Pſalterii, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſerviatur. Vult inſuper præfatus Author, incumbentibus Monachis ad opera manualia, alicujus libri lectionem ab aliquo literato faciendam eſſe. Rurſus ex eodem tenebantur deni, & deni in unum congregati, totum temporis intervallum inter Nonam, & Veſperas, vel legendo, vel docendo inſumere: Alii literas diſcant, & doceant. Singulorum præterea onus erat eorum omnium rationem Abbati reddere, quæ memoriæ mandaverant. Eædem quoque leges in Sanctorum Aureliani, Ferreoli, & Iſidori regulis præſcribuntur, præſertim verò in illa Eremitarum cap. 20. ubi Grimlaícus vult Monachos exactè ſcire debere Divinas Scripturas, fidei dogmata, Eccleſiaſticam diſciplinam, Sacrorumque Canonum inſtitutiones, ut non modò eos pudeat alienam ſibi in his doctrinam emendicare, verùm etiam ut cæterorum poſſint eſſe Magiſtri.

Regula Mag. c. 50.

Regul. c. 8.

Nec in dubium verti poteſt, hujuſcemodi rem ferè ſemper ita ſe habuiſſe etiam in Cœnobiis, in quibus illo ævo diſciplinæ regularis rigor magis vigebat; etenim, quæ jam ſupra retulimus de Caſſiodori Monachis hìc reticendo, Divus Gregorius, quem procul dubio non latebat in quo conſiſteret puritas, ac perfectio vitæ Monaſticæ, cùm hanc ipſemet aliquando profeſſus fuerit, vehementer, inquam, in epiſtola ad quemdam Abbatem conqueritur, tamquam de abſurdo intolerabili, eò quod Fratres, ſub iſtius regimine conſtituti, nullatenus lectioni vacarent: ***In ipſis autem Fratribus Monaſterii tui, quos video, non invenio eos ad lectionem vacare.*** Divus quoque Joannes Chryſoſto-

Greg. lib. 1. epiſt. 3.

ſoſtomus conſimili ferè ratione Stagiram redarguit, quatenus ante infortunium, quod ipſi evenerat, lectionem, librolve penitus negligeret. Licèt autem Divus Gregorius ejuſmodi lectiones ad id ſolummodò redigere videatur, quòd nempe divinas reſpicit leges; attamen dici etiam poteſt, quòd nec aliud legendi genus ab Eccleſiaſtico viro exigeret, cùm Epiſcopum ibi profanos auctores lectitantem condemnet.

Lib. 9. ep. 48.

Et ſanè ex inſignium virorum copia, qui ex iſtius Sancti Doctoris Cœnobio prodiere, liquidò conſtat, ſtudium, ſcientiaſve primum inibi in cætera locum tenuiſſe. Quandoquidem præter plures Epiſcopos, quos ad multarum regimina Eccleſiarum inde extraxit, inter quos fuere Maximianus ab ipſo creatus Syracuſarum Antiſtes, & Marinianus Ravennæ, plures etiam Sancti Monachi recenſentur ab ipſo in Angliam directi, ut nationis illius converſioni, quæ adhuc inter denſiſſimas Idololatriæ caligines verſabatur, operam darent. Nec ulli dubitatio ſuboriri poteſt, num in præfato Monaſterio Monachi dicti ſcientias priùs comparaſſent, quæ ad ejuſmodi miſſiones laudabiliter explendas neceſſariò prærequirebantur; Enim vero Sancti Dei Famuli eodem tempore, quo catholicam fidem apud Anglos ſtabilierant, varia etiam Monaſteria ibidem ædificari curarunt, in quibus eamdem prorſus vivendi diſciplinam, quam Romæ ſub Sancti Gregorii regimine apprehenderant, obſervari mandarunt. Porrò quod ſcientiæ ſub hac vivendi norma ab ipſis fuerint inter cætera maximè comprehenſæ, fuſiùs infra patebit.

CAPUT VIII.

Quòd inter cauſas ruinæ ſtatus Monaſtici hæc pariter recenſenda ſit, defectus nempe ſtudiorum, & amoris literarum.

QUemadmodùm recta regularis diſciplinæ norma in ordine aliquo, ficut & in Cœnobiis, ex quibus is coaleſcit, varia obſervantiæ capita comprehendit, totidem pariter cauſæ notantur ad plenam ejuſdem relationem, ruinamque confluere. Solitudo, ſilentium, abdicatio ſui rerumque temporalium, amor item, ac deſiderium unicè adhærendi Deo, unà cum tribus votis ſubſtantialibus ad egregiam illam vivendi normam ſtabiliendam maximè conferunt, quam in Cœnobiis optimè diſpoſitis, vigere conſpicimus. Quamquam autem dici queat in primo naſcentis ordinis fervore hæc omnia comparari potuiſſe, & aliquandiu ad praxim redigi, abſque ullo ſtudiorum, aut ſcientiarum apparatu, præſertim ſi primis Religionis, vel Congregationis fundator vir fuerit non minus doctrina, quam pietate inſignis; attamen indubitanter etiam licet aſſerere, præfatam vivendi normam modicùm ſubſtituram, abſque ulla ſaltem privata ad ſtudia, ſcientiaſve applicatione, tam de ſuperioribus, quàm de inferioribus reſpectivè loquendo.

Rectæ

Rectæ illæ diſpoſitiones, quas Deus per ſanctas intellectus illuſtrationes, piaſve voluntatis affectiones, nonnunquam noſtris cordibus ingerit, variis alterationibus, viciſſitudinibus ſubduntur. Eas Deus plerumque interrumpit, noſtramque ſubinde cooperationem exigit, ut quantum valemus, tantundem impendamus ad earum ſuſtentationem, & incrementum, ſolitudinis nempe, ac ſilentii cultu, utilique librorum lectione, ac oratione. Non eo inficias, gratiam ſpiritalis unctionis poſſe interdum nobis ſufficere; Verùm ea nec ſemper nobis inhæret; nec ſingulis univerſim conceditur. Quamobrem opus erit naturales eas leges ſæpiſſimè amplecti, quæ nobis à Deo fuere præordinatæ, ut ſupra innuimus.

Quì ergo fieri poſſit, ut diu quis maneat in cella recluſus, vitamque ſolitariam penitùs degat, necnon ſilentium ſervet, abſque ullo ſtudiorum ſubſidio? Orationi, vel contemplationi jugiter vacare ſpecialiſſimum Dei munus eſt, quod proinde non omnibus conceditur. Quinimmò oratio ipſa, aut contemplatio piis identidem cogitationibus poſcit enutriri, devotiſque affectionibus, quas lectio parit, indiget ſuſtentari. Sunt enim hæc (inquit Tertullianus) fomenta fidei de Scripturarum interlectione. Hoc ſublato adminiculo, orationem areſcere, languere, at tædere, ſilentium, ac ſolitudinem pene intolerabilia reddi contingit; & hinc poſtmodùm fit, ut ea plerumque à Monacho quærantur exteriùs oblectamenta, quæ vel ex vanis occupationibus, vel ex materialibus objectis hauriuntur, cùm ſpiritualibus interiùs priventur, quæ Deus iis tantùm elargitur, qui ad ſe ipſum in cunctis operibus unicè intuentur.

Lib. 2. ad Uxorem.

Tritheim. Orat. 5. in capit.

Fortè dixeris, manualem laborem ſtudiorum vices poſſe ſupplere; Verùm hujuſmodi etiam exercitium, ut religiosè expleatur, ſpiritalis indiget unctionis, corpore laborare abſque ullo pietatis affectu, modicùm juvat: pietas autem vix poteſt ſubſiſtere abſque ſpiritualis lectionis munimine. Præterea lectio ipſa ſpirituum capacitati, ac intellectuum menſuræ adequari debet; quoniam ex libris ſpiritualibus ſunt qui mediocri ingenio, ac intelligendi acumine præditis, abundè ſufficiunt; qui verò perſpicaciori pollent mente, altioris quoque doctrinæ pabulo poſcunt enutriri; & ſi juxta horum intelligendi vires materiæ, quæ leguntur, haud conformentur, paulatim eorumdem ſpiritus langueſcent, facilèque proſternentur. Quare opus omninò erit, ut in ſuo naturali ſtatu conſiſtant, ſublimiores ipſis legendos Auctores impertire, ut ſtudium pietati copulatum, ſpiritale, quod optant, pariat emolumentum.

Ubi primùm in Cœnobiis ſtudia elanguerunt, omnis quoque diſciplinæ regularis honeſtas ad nihilum redacta eſt, rerumque temporalium cura illicò ſubſecuta, cum mundo, & vanitatibus ejus initum eſt ſtricto fœdere conſortium, ex quo ſubinde prodiit totius Monaſticæ perfectionis deſolatio. Hoc eſt, quod ſedulò notarunt plerique eorum, qui de Benedictini Ordinis ruina ſcripſere. Duo in primis, ait Trithemius,

Orat. 2. & 3. in Cap.

mius, Ordinis noſtri gloriæ, atque ſplendori incrementum dedere, ſanctitas ſcilicet, necnon divinarum Scripturarum intelligentia; ſed hæc ubi neglecta ſunt, mox eumdem ad ima deduxere. In hoc procelloſo, ac tempeſtatibus expoſito mari, in quo quaquaverſum ex ſibilantibus tentationum ventis impetimur, ſubdit præclarus is Doctor, ſacrarum Scripturarum ſcientia, tamquam unica, & ſecura ratis nobis inſervit; Quicumque verò hac uti contempſerit, in profundum quamprimùm rapietur aquarum. Per ſcripturam autem ſcientiam, præfatus Author nedum ſacram intelligit paginam, verùm & alias quaſcumque notiones, quæ ad plenam ejus perceptionem conducunt.

Epiſt. ad Tit. p. 12. Claudius Eſpencæus in hoc planè Trithemio adhæſit, quem ad verbum etiam tranſcripſit. Item Cardinalis Turrecremata duodecim grandia abſurda recenſet, ex ſtudiorum defectu intrà Clauſtra ut plurimùm *In Regul. S. Bened.* contigentia. Jacobus Faber Stapulenſis in Epiſtola in Pſalterium à ſe quintuplici verſione editum, certos nos reddit, quòd ubi in Cœnobiis divinarum Scripturarum ſcientia defecit, ipſa in deſolationem prorſus abjere; omnis quippe devotio Monaſtica in ipſis extincta eſt, item religio, pietas, & ſanctæ converſationis zelus corruerunt, Monachi demum ſpiritualium affectum in temporalia, & cœleſtium in terrena *Lib. 1. de Reb. Angl. cap. 3.* miſerrimè mutavere. Guillelmus Malmesburienſis Anglus longè pejores exinde caſus contigiſſe refert: quandoquidem ignaviæ, Monachorumve torpori vaſtationes, ac expoliationes adſcribit, à Danis in Anglia patratas, præſertim verò in ipſorum Cœnobiis; cujus ruinæ cauſam non aliam affert, præter eorumdem Monachorum inſcitiam, ac literarum oblivionem. In hac pariter ſententia verſatur Evagrius Mona- *Cod. Regul. Append. p. 36.* chus, cujus dogmata in Regularum Codice collecta habentur, ubi inquit unicum totius Monaſticæ diſciplinæ propugnaculum eſſe ipſas ſcientias, quo ſemel ſublato, extemplò in hoſtium ſuorum manus miſerè traditur, qui ceu latrones eam ſubinde depopulantur: *Converſationem Monachi cuſtodit ſcientia; qui autem ab ea diſcedit, incidit in latrones.* Plurium adhuc celebrium Auctorum, Patrumque teſtimonia poſſent impræſentiarum afferri, idipſum nobiſcum planè ſentientium; Verùm hactenus dicta ſufficiant pro concluſione præſentis capitis; nonnulla ſiquidem ad majorem veritatis hujus confirmationem in ſequenti trademus.

CAPUT IX.

Quòd inter varias Ordinis Benedictini reformationes, diligens ſemper cura adhibita fuit pro ſtudiorum reſtauratione.

IN ſuperioribus ſat liquidò à nobis monſtratum eſt, qualiter in Angliæ, ac Italiæ Cœnobiis literarum ſtudia ſub regulari diſciplinæ honeſtate fuerint comprehenſa. Operæ nunc pretium eſt eorumdem cultum probare in Monaſteriis Galliæ, præſertim poſt Monaſticæ diſciplinæ reſtaurationem Caroli Magni ævo factam, tum maximo

mo piiſſimi hujus Imperatoris zelo, tum etiam ſummo fervore S. Benedicti Anianæ Abbatis. Pro hujus autem veritatis teſtimonio ſat ſuperque reor hìc circularem afferre epiſtolam, quam maximus is Princeps, vel minima Imperii negotia accuratè conſiderans, ſcripſit tam ad Epiſcopos, quàm ad totius ſuæ ditionis Abbates, quemadmodum per extenſum legitur in Tomo ſecundo Conciliorum Galliæ ad Abbatem Fuldenſem expreſsè directa: „ Conſideramus (inquit piiſſimus „ Imperator) utile eſſe, ut Epiſcopia, & Monaſteria nobis, Chriſto „ propitio, ad gubernandum commiſſa, præter regularis vitæ ordi„ nem, atque ſanctæ Religionis converſationem, etiam in literarum „ meditationibus, eis, qui donante Domino, diſcere poſſunt, ſecun„ dum uniuſcujuſque capacitatem, docendi ſtudium debeant impendere. Duas autem præſentis Conſtitutionis rationes inibi affert, quarum prima eſt: „ Qualiter ſicut regularis norma honeſtatem mo„ rum, ita quoque docendi, ac diſcendi inſtantia ordinet, & ornet „ ſeriem verborum, ut qui Deo placere appetunt rectè vivendo, ei „ etiam placere non negligant rectè loquendo. Altera verò, quæ Imperatorem impulit ad hoc ipſum edictum promulgandum, fuit quatenus ex variis epiſtolis ineleganter compoſitis, quæ ex pleriſque Monaſteriis ad ipſum pervenerant, compererat, ſtudia literarum in iiſdem fuiſſe prorſus neglecta, ſuper quo propterea ſubdit: „ Unde „ factum eſt, ut timere inciperemus, ne fortè ſicut minor erat in „ ſcribendo prudentia, ita quoque & multò minor eſſet, quàm re„ ctè eſſe debuiſſet, in Sacrarum Scripturarum ad intelligendum ſa„ pientia. Et bene novimus omnes, quia quamvis periculoſi ſint er„ rores verborum, multò tamen periculoſiores ſunt errores ſenſuum. Tandem Epiſtolam concludit hortando non minùs Abbates, quàm Epiſcopos, ne humaniorum literarum ſtudia ullatenus negligant, quatenus ii queis præeſſe contigerit, ad exactam ſacræ paginæ notitiam hac ratione pertingere valeant; Quod examuſſim aſſequi abſque iſto adminiculo, nemini datur, tum propter troporum, figurarumve varietatem, tum etiam ob peculiares quaſdam exprimendi methodos, quarum captus ex Rethoricis pendet, ut fortaſſis ex Divi Auguſtini Libris de Doctrina Chriſtiana ipſe didicerat.

Tomo 2. Concil. pag. 121.

En igitur quid compendiariè contineat præfati Imperatoris Epiſtola, ſuper qua multa hìc poſſemus perpendere; ſed ſat ſit animadvertere, ipſam non minùs ad Monaſteriorum Abbates, quàm ad Epiſcopos dirigi, proindeque Imperatorem noſtrum non modò à Canonicis, & Cathedralium Eccleſiarum Clero, verùm & à Monachis ipſis literarum ſtudia vehementer expoſtulaſſe. Unde etiam infertur tantùm abeſſe, quòd ſtudia ipſa eorumdem diſciplinæ regulari, atque honeſtati tunc derogarent, ut potius oppoſitum omninò evincatur, ea videlicet maximæ fuiſſe neceſſitatis ad reparandum, conſervandumque intrà clauſtra honeſtiorum morum candorem, ac vitæ Religioſæ perfectionem.

Porrò ex hujus Imperialis edicti emanatione factum eſt, ut intra

Digitized by Google

Epiſcopia, ac Monaſteria Gymnaſia refloreſcerent. In Cœnobiis tamen duo diſtincta frequentabantur, unum ſcilicet magis intra clauſtra reconditum, quod Monachis tantùm patebat; alterum verò exteriùs ſitum, pro ſæculari Epiſcopiorum Clero, ne hic cum illis immiſceretur. Quapropter Theodulphus Aurelianorum Antiſtes decrevit, ut ſuæ Diœceſeos Clerici literas apprehenderent, ſive in ſcholis propriæ Cathedralis, ſive in illis Magduni, vel denique in lyceis Benedictinis Cœnobii Floriacenſis, quòd etiamnum inſignis eſt Abbatia Ordinis noſtri in eadem Diœceſi.

Fortè reſpondebitur, hujuſmodi ſenſa nobis efficaciora probari, utpotè de unius Imperatoris ore prodeuntia; qui tamen ſuper hoc nihil reverà præter politicæ vim gubernationis præfigere ſibi videbatur; cùm ſiquidem ut par eſt Monaſticæ conditionis puritatem minimè intelligeret, idcircò intrà Cœnobitica Clauſtra ſtudia, ſcientiaſve indixit, non quia per iſta eorum vellet in primis utilitati conſulere, ſed ut in bonum publicum potiſſimùm redundarent. Cæterùm qui veriores Monaſticarum rerum gerebant ideas, oppoſitum proculdubio ſuper hoc intus ſentire videbantur.

Ut ut tamen fuerit, fieri quidem potuit, ut Carolus Magnus in præfati edicti promulgatione nonnihil vel ad politiam reſpexerit; verùm aliunde nobis etiam compertum eſt, ipſius mentem quoad hoc peculiari, tum Monaſteriorum, tum Monachorum emolumento intentam fuiſſe, quorum reformationi præcipue operam dabat; de qua veritate ut planiùs vincamur, nil aliud nobis agendum eſtat, niſi rationes ſingulas ſeriò perpendere, queis Cæſar innititur, quæve ad conſtitutionem dictam ipſum impulere, ſupervacaneum namque reor quidquam ſuper hoc in præſenti ſuperaddere.

Ut verò palàm innoteſcat, eos, qui majori lumine, ac pietatis fervore præditi erant in cunctis, quæ ad Religioſæ vitæ perfectionem attinent, in eadem quoque fuiſſe ſententia de ſtudiorum nempe neceſſitate, ſufficit attentè conſiderare vitam S. Benedicti Anianenſis Abbatis, qui univerſo Religioſorum cætui à nobis proponitur velut inter primos, ſanctoque zelo plenos, noſtri Ordinis in Gallia reformatores. Nemo ſanè ibit inficias, digniſſimum hunc Præſulem fuiſſe optimè inſtructum veriori illa, ac puriori perfectione, quæ Monaſticum ſtatum maximè decet; quandoquidem huic tribuitur omnium antiquorum regularum, quæ apud nos ſunt, compilatio, quarum præterea concordiam, & præcipuè cum illa S. Patris noſtri Benedicti, egregiè demonſtravit. Ejus inſuper vita, & mores ad unguem exprimebant quidquid majorem ſanctitatem in priſcis Monachis redoluit, ut facilè nobis innoteſcere poteſt ex ejuſdem vitæ lectione à Smaragdo diſcipulo ejus conſcriptæ. Veſtigemus igitur quæſo quamnam ideam intrà ſe præſtantiſſimus hic Præſul de ſtudiorum neceſſitate formaverit: Dedit autem cor ſuum (inquit Author vitæ ejus), ad inquirendum qualiter fuerit Monachorum veterum mores, nor-

mam-

Digitized by Google

mamque utilem, & Monaſteriorum ſalubres conſuetudines didicit, fuiſque eas tradidit Monachis obſervandas, in cunctis nimirum Cœnobiis Imperii Caroli Magni, quorum tamquam generalis Reformator fuit ab ipſo conſtitutus: Inſtituit in iis Cantores, docuit Lectores, habuit Grammaticos, & ſcientiæ Scripturarum peritos, de quibus etiam quidam poſt fuerunt Epiſcopi, aggregavit; librorum multitudinem congregavit. Quam itidem normam receperunt illo ævo cætera Galliarum Cœnobia, ut cap. 11. oſtendemus.

Sanctus Berno, ſicut & S. Odo, ſequenti ſæculo poſt Divum Benedictum Anianæ Abbatem, juxta Sancti Antiſtitis conſimiles omninò ideas, ac normas, Cluniacenſium ſtabilierunt reformationem; certumque videtur, iſtum Eutitii illius nomine indigitari, de quo fit ſermo in vita S. Odonis, ubi legitur, quòd ejus diſcipuli veluti primi Inſtitutores extiterint ejuſdem tunc naſcentis Congregationis. Petrus Pictavienſis notavit, Abbates, qui eam rexerunt, literas omni ævo multùm commendaſſe: ſcribendi ſtudium (refert hic Author) ſpeciali prærogativa Cluniacenſes Abbates temporibus antiquis obtinuerunt. Nec ullus eſt ambigendi locus, num Abbates hi eaſdem normas Monachis ſuis ſervandas tradiderint, facillimum quippe eſſet hoc demonſtrare. Notatu autem id dignum eſt, quod licet Ciſtercienſes propriæ reformationis initio multa adversùm Cluniacenſes objecerint, quos à Monaſticæ perfectionis candore, necnon ab exactæ regulæ conſtitutione receſſiſſe arbitrabantur; nunquam tamen contra ſtudiorum conſuetudinem, quæ in tota Congregatione tunc enixè colebantur, vel minimùm muſſitarunt. Sat erit Apologiam legere à Divo Bernardo exaratam ſuper variis controverſiis ex tunc vertentibus inter ambas haſce Congregationes; ſicut etiam Petri Venerabilis Epiſtolas, quibus Ciſtercienſium objectiones validè enervat; indubitanter enim autumo, nihil inde in favorem iſtius adverſariorum conatus inveniri.

C A P U T X.

Continuatio ejuſdem materiæ, ubi fit ſermo de Ciſtercienſium reformatione, necnon de inſtitutione Abbatiæ Beccenſis, & Carthuſianorum.

Ciſtercienſes tamen redarguere abſtinebant Monachos Cluniacenſes circa literarum ſtudia, cùm nec ipſi ea proſcriberent, tametſi Monaſticæ Diſciplinæ candorem in priſtinum tunc redigere, regulam ad literam obſervando, ſatagerent. Quia verò hoc ad rei noſtræ confirmationem oppidò juvat, ideò in præſenti fuſiori nonnihil calamo de ipſo diſſeremus.

Ut autem manifeſtè pateat quanti facerent Ciſtercienſes ab ipſo ſuæ Congregationis exordio ſtudia, & ſcientias, ſat ſuperque puto primùm mente revolvere, quòd propriæ fundationis initio veterum Monachorum conſuetudinem renovare ſtuduerint, quæ in antiquaria arte verſaba-

ſabatur; certum quippe eſt in ſingulis hujuſce ordinis Cœnobiis Codices tranſcribendi laborem ad praxim fuiſſe continuò redactum. Id tantùm legere ſufficit, quod in epiſtola 25. ſcripſit Nicolaus Clarævallenſis, qui Divo Bernardo à ſecretis erat, ubi cellulam ſuam, quam & ſcriptoriolum vocat, deſcribit, in qua etiam volumina tranſcribere ſolitus erat. Hujuſmodi autem cellula prope Clarævallenſem Bibliothecam ſita erat, quæ omni librorum genere abundabat, & à Monachis illis jugiter frequentabatur, ſub caſtigata diſciplina codices ſingillatim aperientibus, non quidem ut ſciendi vanitatem merè oſtentarent, ſed ut ſeſe ad compunctionem, & ad pietatis opera excitarent: Non ut eventilent theſauros ſcientiæ ſuæ, ſed ut dilectionem, compunctionemque eliciant, ac devotionem. Pleraſque dictarum cellularum etiamnum Ciſtertii conſpicimus, in quibus antiquarii, librorumque compaginatores operabantur: ingenſque voluminum copia, quæ ad hæc uſque tempora in inſignioribus ejuſdem Ordinis Cœnobiis in Gallia ſervantur; præſertim verò in illis Ciſtertii Claræ-vallis, Pontiniaci, Longi Pontis, Vallis Lucentis, totum hoc nobis cumulatè teſtatur. Reperiebantur, ſicut etiam nunc temporis adſunt, in hiſce Bibliothecis omnium librorum genera, & præcipuè univerſa Sanctorum Patrum opera, tum quæ dogmata continet, tum quæ ſpeciatim de morum honeſtate pertractant; Noſque non latet, nonniſi ex Bibliotheca Claræ-vallenſi P. Vignierium opus perfectum Divi Auguſtini contra Julianum extraxiſſe, in quo profectò polemica controverſiarum dogmata, nedum pietatis opera leguntur Monachi præfati Aſceterii incolæ, ſed quarumlibet ſcientiarum Codices indiſcriminatim tunc revolvebant, ſolùmque Poeſeos Authores ipſis interdicebantur, ut ex epiſtola 15. prædicti Nicolai Claræ-vallenſis colligitur, ubi ait: *Nos nihil recipimus, quod metricis legibus continetur.*

Hujus inſuper rei gratia addi poteſt Epiſtola 29. ab eodem Nicolao Prioris ſui nomine exarata ad Philippum Eccleſiæ Colonienſis Præpoſitum, necnon Imperatoris Cancellarium, qui Crucis vexillum aſſumpſerat, quòd Hieroſolymam ire propoſuiſſet, hunc inquam hortandi gratia, ut Monachis Claræ-vallenſibus pretioſum Bibliothecæ ſuæ theſaurum relinqueret, quam mirabiliter, & incomparabiliter ex omni librorum genere congeſſerat, clauſtralibus proinde paupertatem profitentibus minimè congruam, ſed potiùs illuſtriori perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ in ſæculo viveret.

Neque dixeris, eos, qui jam ſufficienti literatura præditi erant, potuiſſe quidem libros doctrina, ac eruditione refertos privatim legere, verumtamen in ſcholis neminem tunc ſcientias profeſſum fuiſſe; Reſpondetur enim quatenus ad rem noſtram ſpectat, parum, nihilve referre, quòd ſcientias, ſive privato, ſive publico ſtudio didicerint, dummodo concedatur, applicationem ad illas, præſertim verò quæ Eccleſiaſticos, ac Regulares decent, neutiquam ipſis interdictam fuiſſe.

Rur-

Digitized by Google

Rurſus qua fronte huic veritati refragari quis valeat, cùm nos non fugiat, permiſſum fuiſſe juveni Principi Othoni, Leopoldi Ducis Auſtriæ filio, ubi primùm profeſſionem ſuam Morimundi Anno 1127. emiſit, in ipſis nempe Ciſtercenſis Ordinis primordiis, ad Univerſitatem Pariſienſem pergere, operam navandi cauſa, nedum humanioribus literis, verùm & Philoſophicis, ac Theologicis ſcientiis? In quibus adeò excelluit, ut inde illuſtrior non minùs propriis ſcriptis, dignitateque Epiſcopali Friſingæ, quàm generis nobilitate evaſerit. Verum quidem eſt, id ante ipſum in praxi nullatenus fuiſſe, attamen negari haud poterit, quin hoc Superiorum etiam regularium permiſſu aliquando contigerit. Nec legimus cæteros hujuſce ordinis Præſules, imò nec ipſummet Divum Bernardum, qui plura ſcripſit adversùs Arnoldi Abbatis Morimundi irregularem praxim, contra iſtud Othonis exemplum nonnunquam reclamaſſe; Quamquam hic parum amicè nonnulla de eodem Sancto in ſua Hiſtoria exaravit.

Manriq. Annal. ad Annum 1127. c. 2. num. 8.

Bernard. Epiſt. 2. & ſeq.

Silentio hìc prætերimus fundationes Collegiorum Lutetiæ, Tholoſæ, & aliorum, quæ dehinc data opera condita fuere, ut ejuſdem Ordinis Monachis inſervirent, ad Univerſitates illas ſtudiorum cauſa adventantibus; Quandoquidem nonniſi ſecundo ſæculo ab ordinis exordio ejuſmodi Collegia erecta fuere, atque fundata, ac proinde tali ævo, quo Ciſtercienſibus aliqua potuiſſet nota inuri de receſſu à primæva regularis diſciplinæ iſtitutione: & ſanè non ſine acri Patrum oppoſitione, Pariſienſe Collegium incepit.

Saltem tamen denegari nequit, quin in præfati Ordinis exordio facultas conceſſa fuerit ſufficienti ingenio, ac doctrina præditis libros concinnandi, eoſque in lucem edendi; & licèt ad hoc ſpecialis Superiorum licentia requireretur, ſecus tamen quoad ſtudia privata, quibus ad Codices elucubrandos fierent idonei. Nos non latet ſuper hoc admirabile exemplum Guerrici Abbatis Juniacenſis; cùm ſiquidem hic Dei famulus morti proximus eſſet, diligentique examine ſcrutaretur quidquid propriam tunc conſcientiam macularet, & præcipuè num contra debitum paſtoralis ſui muneris deliquiſſet, meminit à ſe compoſitum, ac publicatum fuiſſe quemdam ſermonum librum, quos, etſi pietate, ſanctoque zelo ubique affluentes, attamen in publicum prodire ſiverat abſque expreſſa generalis Capituli permiſſione, quæ ad id præſtandum omninò requirebatur: *Recordatus eſt libelli ſermonum, quem fecerat, ſimulque memoriæ occurrit, Patres ſtatuiſſe, nullum abſque Capituli Generalis licentia libros facere debere. Super quo cùm in ſe ipſum nonnihil præ dolore excanduiſſet, coram omnibus, tamquam de ingenti contra obedientiam culpa, ſe accuſavit, adſtanteſque precatus eſt, ut continuò præfatus ſermonum libellus flammis donaretur, quippe qui ab ipſo tamquam propriæ inobedientiæ partus reſpiceretur; Quod ſine mora fuit executioni mandatum.* At cùm alia ejuſdem ſupereſſent exemplaria, propterea digna hæc Sancti Præſulis elucubratio ad nos uſque feliciter pervenit.

Exod. Mag. ſtec. lib. cap. 8.

Conjici item poteſt ſeria applicatio, quam ad ſacras literas primi hujuſce Ordinis Patres habuere, ex eo, quod peregit S. Stephanus tertius Ciſtercenſium Abbas ab Anno 1109. decimo dumtaxat à fundatione primi Cœnobii ejuſdem Ordinis, ex diligenti nimirum ſtudio ab ipſomet adhibito ſuper Bibliorum emendatione, quorum Authographum ad hæc uſque tempora Ciſtertii accuratè ſervatur. Enim verò cùm pleraque Bibliorum manuſcripta collegiſſet, ſimulque comperiſſet unum inter exemplaria, quæ apud ſe habebat, à cæteris valdè differre, non modò quantùm ad verſionem, ſed ob varias additiunculas, quæ in aliis haud legebantur, ſtatim operam impendit, ut plures Hæbrei oppido periti illò accederent, emendandi cauſa quidquid ad vetus Teſtamentum pertineret; & cùm ſingula hiſce in libris contenta ſedulò ponderaſſet, ſtatuit obliteranda eſſe additamenta, quæ in libris Regum ſpeciatim reperiebantur; inſuper ut qui deinceps præfata Bibliorum volumina tranſcriberent, illa penitus omittere deberent. Quod ſtatutum etiamnum legitur ſub initium dicti primi Bibliorum exemplaris, quod Ciſtertii aſſervatur, & impreſſum modò eſt in calce primi voluminis operum Divi Bernardi poſtremæ editionis Liquet igitur id genus viros, qui Ordinis unius naſcentis exordio ad ſacri Textus emendationem ſolerti labore incumbunt; Hæbreos convocant, ut majori lumine, atque cautione id præſtent, non inquam, literarum ſtudiis planè abrenunciaſſe, iiſque in primis, quæ doctrinam, & ſacram redolent eruditionem. Quapropter nec aliud teſtimonium emendicandum forei ad hoc magis evincendum, ac redarguendum adverſarios, præter allatum exemplum Venerabilis Stephani ſupradicti, qui veluti primus inclyti ejus Ordinis Fundator dici poteſt, cui etiam fauſtiſſimè contigit Divum Bernardum Ciſtertii recipere.

Ne tandem fuſiorem de hac re ſermonem protrahere videar, ipſemet Divus Bernardus in ſtudiorum commendationem propriam nobis ſententiam aperit in quodam ex ſuis ſermonibus in Cantica; Etenim poſtquam initio ſermonis 36. oſtendit, quamplures Sanctos, & præſertim Apoſtolos, multa quidem, & admiranda patraſſe abſque ullo humanarum ſcientiarum præſidio: „ Non in ſublimitate ſermonis, „ aut in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed ſicut placuit Deo &c. „ ſubdit: Videar fortaſſe nimius in ſuggillatione ſcientiæ, & quaſi „ reprehendere doctos, ac prohibere ſtudia literarum. Abſit; Non „ enim ignoro quantùm Eccleſiæ profuerint, & proſint literati ſui, „ ſive ad refellendos eos, qui ex adverſo ſunt, ſive ad ſimplices in„ ſtruendos; legitur enim: Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam & „ ego te, ut non fungaris mihi Sacerdotio; & alibi: Qui docti fue„ rint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam eru„ diunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Idipſum ferè repetit ſermone ſequenti; inquit enim, ſe nullatenus præſumere literarum ſtudia vituperare, dummodò ad hunc unicum ſcopum coili-

ment,

Digitized by Google

ment, charitatem nempe erga Deum, atque humilitatem propriam diſcentis, ut non modò ſui ipſius illuſtrationi, ſed & aliorum eruditioni vacare intendat: Non tamen dico contemnendam, aut negligendam ſcientiam litterarum, quæ ornat animam, & erudit eam, & facit ut poſſit etiam alios erudire; ſed duo illa oportet ut præcedant, in quibus ſumma ſalutis conſtituitur.

Nulla autem ratio hinc ſupereſt ad reſpondendum, Mellifluum ſcilicet hic non loqui de peculiaribus ſuorum Monachorum ſtudiis, ſed de iis tantùm indifferenter, ac indefinitè, quoniam à nemine controvertitur, prædictos ſermones ab ipſo tunc fuiſſe elucubratos in gratiam eorumdem Monachorum, coram quibus eos identidem recitabat. Rurſus ſi ſcentias ipſis inhibere voluiſſet, eos procul dubio à reliquis Eccleſiaſticis quo ad hoc excepiſſet: At quia veras ibi tantùm ſtudendi metas ſignificare intendit, ut ſtudiorum fructum inde emergentem ad animæ præſertim ſalutem reportemus, meritò proinde concluditur, ea ab ipſo neutiquam reprobata fuiſſe, tum reſpectu Monachorum, tum quorumpiam Eccleſiaſticorum.

Gillebertus de Hollandia Abbas Svinſetinenſis, qui valde de vicino ſpiritum, pietatem, ac ſtylum Divi Bernardi inſecutus eſt in continuatione ſermonum ſuper Cantica, ex eo nimirum loco, quo is fuit morte præventus, variis in ejuſdem operis paragraphis ſe declarat in ſtudiorum favorem, & ignorantiam maximè in Prælatis condemnat; multoties enim conqueritur de quibuſdam Superioribus, quòd admodùm de rebus ſpiritualibus negligant frequenter, omnique fervore differere, magiſque ſe exerceant ad negotia ſæcularia, quàm Chriſti; ſtudiumque Scripturarum Sanctarum adeò parvipendant, ut nati, & edocti videantur non apud Monachatum, ſed apud mercatum, in quo ſenſu tantùm abundant, ſatis tenuiter, exiliter, & ſiccè de Chriſto ſapientes. Item quoſdam Abbates alibi redarguit, qui nihil validum, nihil ſublime, ſed infirmum, & humile ſentientes, præter ſimplicem radicem fidei, ſublimioris, ac Divinæ vix aliquid attingunt ſapientiæ. Et licèt Paulus dicat: *Fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei*; iſti è contra propria non contenti inſcitia, contemnunt aliorum ſcientiam, & invidi æſtimatores, ſapientiæ ſtudia ſtoliditatem interpretantur, ſobriam ſubtilitatem inſaniæ, vel jactantiæ denigrant nota, operantes ipſi cibum, qui perit, non qui permanet in vitam æternam. *Serm. 16. num. 4.* *Tract. 7. p. 1. n. 6.*

Summoperè etiam idem hic Author eorum laborem commendat, qui proprias ſcriptis cogitationes mandabant, necnon collationes, in quibus de Scripturarum Sacrarum captu agebatur; inquit enim: *Bonus aquæ motus diſputatio, & exagitatio ſacræ paginæ*; tametſi & ipſe ſtatutum ſui Ordinis multùm approbet, nullum ſcilicet opus à Monacho quocumque elucubrandum, niſi de expreſſa Capituli generalis licentia; unde ſubdit præcautionem iſtam, quam ipſe vocat (Surabondante) utiliter omninò fuiſſe ordinatam; quoniam etſi nonnulli generali tantum permiſſione laudabiliter uſi fuiſſent, contra ta-

men potuiſſent alii etiam inutiliter ad praxim eamdem redigere, dum proprii inſtituti munia omittentes, ad alia ſibi non impoſita arbitrariò incumberent; propterea ſequitur: *Ne aliquibus indulta licentia utiliter, aliis temerariæ præſumptionis ſcandalum fiat: Simul ne quis dum in onere ſibi non impoſito occupatur, otietur ab impoſito*. Præfatus itaque Author jam non intendit iſtud Ciſtercienſis Ordinis decretum Monachis fuiſſe abſolutè neceſſarium, ſed tantummodò ut retraherentur ab omni abuſu, qui fortè in aliquibus fuiſſet, ſi ſemel ad hoc generalis dumtaxat facultas conceſſa fuiſſet. En igitur quantùm ex Ciſterſientium reformatione prout ad rem noſtram colligitur.

Prætermitti hoc loco non debet inſigne Archiſterium Beccenſe in Normannia, à S. Herluino Abbate fundatum, unde etiam tot Monachi pietate non minùs, quàm doctrina celebres prodiere, quales fuerunt Lanfrancus, & Divus Anſelmus, ambo dein Archiepiſcopi Cantuariæ, qui nil minus in dicto Cœnobio literarum cultui, quàm Monaſticæ perfectionis incrementum dare ſtuduerunt, cujus potiſſimum ſubſtentaculum eas eſſe autumarunt. Hæc porrò diſciplina diffuſa eſt per reliqua Normannorum Cœnobia, præſertim S. Stephani Cadomi ſub Lanfranco, S. Ebrulphi in Sylva Uticenſi, Montis S. Michaelis, Feſcamni, Troarni ad Divam, S. Leuthfredi, ſive Crucis S. Audoeni, in quorum ultimis duobus educati fuere Durandus, & Guimundus Cardinalis, qui adversùs Berengarium egregiè ſcripſere de veritate Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti. Quamobrem liquet hinc manifeſtè, humaniores etiam literas, ac ſcientias ſublimiores in hiſce Monaſteriis non modicùm fuiſſe excultas. Quod præterea ex quadam Epiſtola à Divo Anſelmo ſcripta ad Mauritium diſcipulum ſuum, & Monachum confirmatur, ubi eidem conſulit, Virgilium, Authoreſve profanos liberè poſſe legere, iis tamen demptis, in quibus nonnulla reperiuntur puritati, ac honeſtati contraria. En igitur quantum fructum viri, ac Doctores iſti præclari ſibi perſuaſerint ex humaniorum literarum ſtudiis Monachis obvenire.

Anſel. l. 2. epiſt. 55.

In hac pariter ſententia fuerunt Reformatores ſinguli Monaſteriorum Angliæ decimo ſæculo; cum enim ex Floriacenſi Cœnobio veram exactamque regulæ normam hauſiſſent, Venerabilem Abbonem inſignis hujus Abbatiæ Aſcetam propria auctoritate compulere, ut in Angliam ſe conferret ad reſtauranda ibi ſcientiarum, ac literarum ſtudia.

Denique tantùm abeſt, quòd Reformatores Diſciplinæ Monaſticæ, qui tunc eximio Sanctitatis zelo affluebant, aliquando putarint, ſtudia pietati, ac Monaſticæ converſationi vel minimum derogare, ut etiam Carthuſiani ipſi à primæva ſui origine ſe iiſdem plurimum dediderint. Neutiquam in dubium verti poteſt, quin Venerabilis Guigo, qui primus almi hujuſce Ordinis ſtatuta calamo exaravit, Vir fuerit conſimili fundatoris ejus pietate, ac zelo plenus; & tamen ex praxi regulari, quàm tenuit perſpicuum eſt non modò multa fuiſſe ſapientia præditum, verùm etiam Monachos ſuos, prout ſingulorum

rum conditio videbantur exigere, tum in ſcientia Patrum, tum in doctrina Eccleſiaſtica ſæpius erudiſſe. Viſitur etiam num apud nos epiſtola quædam, ab ipſo Carthuſiæ Durbonis Monachis nuncupata, in qua ſerio examine dijudicat inter Epiſtolas Divi Hieronymi, legitimas nempe ab apocryphis diſcriminando; ibique ſtatuit hujus cenſuræ notam in fronte exemplarium, in quibus S. Doctoris epiſtolæ tranſcribebantur, locandam eſſe, ne earumdem lectores decipi umquam contingeret.

Ex epiſtola item, quam Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis ad ipſum mittit, clarè colligitur, piiſſimum hunc virum ab eo petiiſſe, ut ſe participem faceret plurium Sanctorum Patrum operum, quatenus à ſuis eorumdem poſſent exemplaria conſcribi. In hac autem epiſtola expreſſa fit mentio, nedum Vitæ S. Gregorii Nazianzeni, & S. Joannis Chryſoſtomi, ſed etiam Codicis Divi Ambroſii adversùm Præfectum Symmachum; item Commentariorum S. Hilarii in Pſalmos, Operis S. Proſperi contra Caſſianum, necnon Epiſtolarum SS. Auguſtini, & Hieronymi; unde infertur, hujuſmodi Sanctos Viros non modò Sanctorum Patrum operum lectionem commendaſſe, in quibus ad pios honeſtoſque mores attinentia exponebantur, verùm & ad alios eorumdem libros animum intendiſſe, quos in Orthodoxæ Fidei, & Eccleſiaſticæ Doctrinæ defenſionem conſcripſerant. *Petr. Ven. l. 1. ep. 23.*

Sed ut ad hujus Sancti Inſtituti primordia revertamur, Guibertus Abbas, qui ejuſdem inſpexit originem, eamque in primo libro vitæ ſuæ deſcripſit, teſtatur, quòd licèt primi Carthuſianorum Patres religioſam paupertatem rigoroſè profiterentur, multum nihilominus ſtudium impendebant in amplis, copioſiſque Bibliothecis conſtruendis: *Cùm in omnimoda paupertate ſe deprimant, ditiſſimas tamen Bibliothecas congerunt; quò enim minùs panis hujus copia materialis exuberant, tantò magis illo, qui non perit, ſed in æternum permanet, cibo, opere inſudant*. Et ſanè non ambigitur, inſignes illas Bibliothecas Codicum eminentioris Doctrinæ copia non minus abundaſſe, ac eorum, in quibus de rebus ad ſpiritum pertinentibus agitur, ut jam ſupra innuimus, ac proinde in utroque genere ad legendum Monachis illis diſtributa fuiſſe volumina. *Guibert. l. 1. de Vita ſua c. 10.*

Si ergo religioſiſſimi hi Patres, qui, ut pius quidam, ſapienſque illiùs ævi Author teſtatur, priſcum fervorem, ſpiritumque admirabilium Anachoretarum Ægypti planè reviviſcere in Occidente fecerunt, lectioni librorum eruditionis, ac ſcientiæ vacarunt. Quidni hoc ipſum æqui bonique fiet in Benedictinis alumnis, cùm in qualibet hujuſce Ordinis reformatione variis temporibus facta, nunquam prætermiſſa fuerit ſtudiorum pariter reſtauratio, ut jam cumulatè retulimus. *Guillel. Epiſc. ad Frat. de Monte Dei.*

C A-

CAPUT XI.

Quòd Accademiæ, ſeu Collegia, quæ ſingulis temporibus in Cœnobiis Ordinis Benedictini floruere, apertè indicant continuam in ipſis ſtudiorum approbationem.

PRæter eas rationes hactenus a nobis allatas, ſupervacaneum videtur alias emendicare ad majorem eorum confirmationem, de quibus in præſenti diſſerimus: Unam tamen, utpotè convincentem, præterire nolumus, quæ, ut ſic loquar, nonnihil attinget ipſas adverſariorum pupillas. Et eſt: Quòd Academiæ, ſive Collegia, quæ omni ævo in Ordinis Benedictini Cœnobiis floruere, manifeſtè innuunt, ſtudia, ac ſcientias jugiter in ipſis exculta fuiſſe.

Ratio autem hæc ex prædictis deduci à nobis facilè poteſt; cùm ſiquidem intrà Ordinis noſtri Cœnobia pueri minoris ætatis identidem reciperentur, tum qui à parentibus Deo offerebantur, & Religioni erant addicti, tum qui nonniſi ad tempus in iiſdem morabantur, ut educarentur, virtutibuſque imbuerentur; duo pariter aderant diſtincta Gymnaſia, quorum unum prò Monachis interius dicebatur, alterum verò exterius pro ſæcularibus & laicis. Pleraque iſtorum ſingillatim hìc recenſere oportet, ut rei hujus veritas oſtendatur. Et ut à celeberrimo Montis Caſini Archiſterio exordiamur, licèt nihil peculiare ante ipſius deſtructionem nobis occurrat, paucorum annorum decurſu à Divi Benedicti obitu à Longobardis factam, haud ægrè tamen conjici poterit, literarum ſtudia illo etiam ævo à noſtris exculta fuiſſe, tum ex generali argumento alibi adducto, tum ex aliis, quæ ſpecialiora ſuper ſunt. Carmina, quæ Marcus, Sancti Patriarchæ diſcipulus, ſuper ejus vita concinnavit, ſunt quidem unicum ſtudiorum illius temporis veſtigium, quod uſque modò ibi remanſerit; quicumque tamen ea perlegere voluerit, facilè inde dignoſcet inter Poetas mediæ ætatis vix alium occurrere, qui meliora cecinerit. Paulus Diaconus, qui nongentis ab hinc annis Monaſticam ibi vitam degebat, ea multùm commendavit, & Petrus Diaconus aſſeveranter tradit, præfatum Marcum ex Divi Benedicti Alumnis extitiſſe. Utcumque tamen ſit, procul dubio, ut ipſemet teſtatur, Caſinatis Montis Monachus erat, quemadmodum à nemine ambigitur, Sanctos Maurum, ac Placidum ibidem à teneris annis, unà cum cæteris nobilium Romanorum illuſtrioris generis, & conditionis filiis, à S. Patre Benedicto fuiſſe educatos. Poſt inſignem verò ejuſdem Abbatiæ reſtaurationem à Petronace Abbate factam, ſtudia quoque ibidem reſtituta fuerunt; Paulus enim Diaconus, qui Deſiderio, ultimo Longobardorum Regi, à Secretis fuerat, cùm ſe in iſtud Cœnobium recepiſſet Monachus factus, humaniores literas confratres ſuos ibidem edocuit. Sat Superque erit librum conſulere, à Petro Diacono de Viris Illuſtribus Caſinenſibus editum, inde namque manifeſtè arguitur, literarum ſtu-

ſtudia uſque ad duodecimum ſæculum nunquam fuiſſe interrupta.

Monachi à Magno Gregorio in Angliam miſſi, Monaſteria ibi erexerunt, in quibus pietatem unà cum ſcientiis edocuerunt, Benedictus Biſcópus in Cœnobio S. Petri Cantuariæ Monaſticam apprehendit diſciplinam, quam deinde in duobus aliis à ſe fundatis inſtituit, ubi etiam Beda Venerabilis omne ſcientiarum genus adeptus, iſtas ſubinde, tum proprii Monaſterii Fratribus, tum ſæculari Eccleſiæ Eboracenſis Clero impertiivit, cujus Viri exemplum ſecuti ſunt S. Adelmus, & alii plures.

Hæc eadem diſciplina univerſim diffuſa eſt per cætera Anglorum Cœnobia, tum quæ jamdudum extabant, tum quæ deinde fundata fuere, ut ſunt: Glaſconienſe, S. Albani, Malmesburienſe, Croylandiæ, aliaque plura, ex quibus unum extitit, in quo S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, à quinto ætatis anno educari cœpit, ubi ſcientias multas adeptus, has poſtea tradi impensè ſatégit in Monaſteriis Fuldenſi, ac Bogadienſi, quæ unà cum Heroſeldenſi in Haſſia, in quo quinquaginta Monachi à prima ſui fundatione degebant, inter celebriores Germaniæ Academias annumerata ſunt. Eodem ferè tempore floruerunt etiam Collegia S. Galli, Augiæ majoris intrà lacum Venetum apud Conſtantiam, Prumienſe, in quo vixit Regino Abbas; & paulò poſt illud S. Albani Moguntiæ, S Maximini, S. Matthiæ Trevirorum, Medelaci in Lotharingia, & Hirſaugienſe. Trithemius Abbas ſcientiarum profeſſores, qui literas in horum poſtremo edocuere, diſtinctè recenſuit. Iſtis præterea Academiis ſuperadditur Schaffnaburgenſis, in qua multùm excelluit Lambertus hujuſce Abbatiæ Monachus, & inſignis Chronographus.

Eodem quoque tempore, quo ſcientiæ, ac Religio apud Anglos invaleſcere cœperant, non deerant pariter in Gallia Academiæ, ac Collegia ſat præclara; Quod nobis exploratum reddunt ea Fontanellæ in Territorio Rhotomagenſi ſub S. Wandregiſillo Fundatore, & S. Ansberto; Item Academia Floriacenſis ſub S. Mommoli Abbatis regimine, quæ deinde illuſtrata fuit ab Adrevaldo Aymonio, Abbone, & aliis; Laubienſis in confinio Hannoniæ, ſub S. Urcmaro, poſtmodùm ſub Ratherio, Fulquino, Herigero, horumque ſucceſſoribus. Inſuper octavo, ac nono ſæculo, & ſequentibus, floruerunt eæ Anianæ extrà muros Aurelianorum, & S Cornelii Indani ſub Sancto Præſule Benedicto, nunc S. Gregorii in Alſatia, Corbejenſis in Gallia ſub Adhelardis, Walaſiis, Radbertis, Ratramnis, queis addi poteſt Corbejenſis in Saxonia, quæ nil minùs jam recensitis fuit preclara. Præterea ea Ferrariarum in Senonibus ſub Sapienti Abbate Lupo, S. Germani Antiſiodorenſis ſub Herico Lotharii Junioris Caroli Calvi filii Magiſtro, & ſub Remigio, qui ſequenti Sæculo celebris Profeſſor evaſit; S. Michaelis in Lotharingia in Diæceſi Virodunenſi, ſub Smaragdo Abbate, tempore ſcilicet Ludovici Pii; Denique, plures alias reticendo, Gemblacenſis, Beccenſis, & Sancti Ebrulphi, ex quibus omnibus quamplures doctrina, & ſanctitate inſi-

Digitized by Google

inſignes prodiere. Perlegi poſſunt ſuper hoc quæ accuratè ſcripſere Dominus Launojus in Libro, cui titulus: De Scholis; & Dominus Jolius Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus, in ſuo Tractatu Des E'coles.

Singulæ autem hactenus relatæ Accademiæ perſeverarunt, ac perpetuò durarunt in noſtris Cœnobiis, tametſi variis viciſſitudinibus, ordiniſque alterationibus jugiter ſubjectæ; modò namque effloruerunt, modò penè aruerunt, modò demum repullularunt, juxta majorem nempe, vel minorem regularis Diſciplinæ vigorem. Celebris etiamnum durat apud Benedictinos Patres Univerſitas Salisburgenſis; Item publicis ſcientiarum Ordinis ejuſdem Profeſſores non deſunt in Univerſitatibus Salmaticenſi, ac Duacenſi; ac tamdem Seminaria plura in Congregatione S. Mauri in Gallia, & in ea S. Placidi in Belgio.

Præfatus Dominus Jolius ad rem noſtram valdè appoſitè ſcribit:
Jolius Cap. 17. „ Qu' il ſemble qu' une des premieres Vues que S. Benoiſt ait eue dans
„ ſon Inſtitution, a eſté l'étude des lettres ſaintes, eſtimant qu' un
„ tel exercice étoit la ſource & l'entretiens de la pieté Chrétienne.
„ En quoy il ne fit que ſuivre & imiter les anciens Moines d' Orient,
„ dont la pluſpart ſe retiroient du Monde dans la ſolitude, a fin
„ d'auoir plus deloiſir de uacquer à l'etude de la Philoſophie Chrétienne.
Hoc eſt: Videri, quod inter primarios fines, quos ſibi in Regula praefixerit Divus Benedictus, hic unus fuerit, ſtudium ſcilicet Scripturarum ſanctarum, certò arbitrans hujuſmodi exercitium fontem eſſe, atque ſuſtentaculum totius Chriſtianæ pietatis: In quo adamuſſim veterum Orientis Monachorum videtur ſequutus fuiſſe exemplum, quorum potior pars de ſæculo, & mundo in ſolitudinem ſe recipiebat, nonniſi ut latiorem ibi campum inveniret Chriſtianæ Philoſophiæ ſtudio vacandi.

Prætermittendo pro nunc tempora Sanctorum Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Joannis Chryſoſtomi, de quibus infrà ſermo recurret, ſufficit, ut inveteratam ſtudiorum conſuetudinem demonſtremus, unum hic breviter addere de Magiſtro S. Joannis Damaſceni, nomine Coſmo, in Italia nato, qui cùm intrà Clauſtra Monaſticam vitam duceret, omnemque naturalem Scientiam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, Philoſophiam, Aſtronomiam, Theologiam ſibi comparaſſet, vehementer dolebat, neminem in Syria, quò ipſe captivus ductus fuerat, tunc temporis inveniri, quem harum omnium ſcientiarum participem faceret, ut in Vita S. Joannis Damaſceni legitur, qui ſingulas earum ab ipſo didicerat.

Tandem S. Gregorius, qui poſtea Epiſcopus Agrigenti in Sicilia renunciatus fuit, non alium in Grammatica, Poëſi, Rhetorica, & Philoſophia Magiſtrum habuiſſe gloriabatur, præter doctiſſimum quemdam Monachum, ad quem miſſus fuerat à Macario Patriarcha Conſtantinopolitano. Quare hinc liquet, Græcos, & Latinos Monachos literarum ſtudia omni ævo impensè coluiſſe, tum ad faciliorem Divinarum Scripturarum captum, tum ad virtutum animi incrementum.

Cum itaque generalis ſingulorum temporum praxis, ſtudia inter Mona-

Monachos perſeveraſſe teſtetur, dici etiam poteſt, eamdem ab effectu in Republica literaria comprobari, cùm nonniſi per Monaſticas Academías, & Cœnobiorum Collegia ſcientiæ tamdiu duraverint, & ad nos uſque devenerint, ut facile hic eſſet oſtendere, ſi id ab univerſo literatorum cœtu minimè reciperetur. Nonnulla tamen ſuper hoc in calce hujus primæ partis adijcere non omittam.

CAPUT XII.

Quòd neque Concilia, neque ſummi Pontifices Monachis unquam interdixerint ſtudia; Quinimò eoſdem ad ipſa ſæpè compulerint.

SI literarum ſtudia ſpiritui, aut Monaſticæ perfectioni vel minimùm derogarent, vix potuiſſet fieri, quin contra præfatam conſuetudinem, quæ ſingulis quibuſque ſæculis viguit poſt Aſceticæ vitæ inſtitutionem, aliquando fuiſſet reclamatum. Verùm tantum abeſt, quòd ipſi unquam fuerit contradictum, ut potius Patres omnes, ut hactenus vidimus, eamdem unanimi conſenſu approbarint. Pro hujus autem rei confirmatione impræſentiarum ſuperaddimus, Monachos vel à Conciliis ipſis, ſummiſque Pontificibus ad ſtudiorum cultum fuiſſe ſæpenumerò adſtrictos.

Nos non fugit Canon quidam, editus prout ad rem præſentem facit, in Concilio Œcumenico Viennenſi, celebrato Anno 1312. ſub Pontificatu Clem. V. Verba autem Canonis, quæ ad literam etiam in Clementinis referuntur, ſunt; *Rurſus, ut in ipſis Monachis proficiendi in ſcientia via opportuna non deſit, in ſingulis ipſorum Monaſteriis, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, idoneus teneatur Magiſter, qui eos in primitivis ſcientiis inſtruat diligenter*. Fundamentum, cui Conſtitutio innititur, ſtudium proculdubiò eſt Scripturarum ſanctarum; Quandoquidem Concilium rationabiliter exiſtimans, hujuſmodi ſcientiam Monachis eſſe neceſſariam, nec perfectè poſſe acquiri abſque aliarum cognitionum prævio adminiculo, propterea ſtatuit, in ſingulis Monaſteriis Magiſtrum alendum eſſe, ut Monachos primitivas ſcientias edoceat, ſine quibus divinæ Scripturæ, ut oportet, percipi nequeunt.

Clement. Lib. 3. tit. 11. §. 8.

Benedictus XII. Statutum hoc Clem. V. dein confirmavit, & inſuper declaravit quid ſuus prædeceſſor, ſive Concilium Viennenſe, intelligere voluerit per dictas primitivas ſcientias; quoniam poſtquàm innuit, ſe præcipere, Conſtitutionem dictam ad unguem omninò ſervandam eſſe, ſubdit, nedum in ſingulis quibuſque Cœnobiis, verùm etiam in iis, titulo tantùm Prioratus gaudentibus, & quibus ad hoc ſufficiunt redditus, Magiſtrum tenendum eſſe, ad erudiendos Fratres in primitivis ſcientiis idoneum, hoc eſt, ut paulò infra declarat: *In Grammatica, Logica. & Philoſophia;* ità tamen ut laici, vel ſeculares diſcipuli unà cum aliis Religioſis Alumnis non immiſceantur, ne ex tali conſortio mundi corruptela iſtorum cordibus paulatim ingeratur,

unde

Digitized by Google

unde Monaſticæ perfectionis candor ſolet imminui. Rurſus idemmet Pontifex decernit, ut, completo Philoſophiæ ſtudio, Regulares ſubinde inſtrui debeant Jure Divino, ac humano, ideſt ſacrorum Canonum ſcientia, inter quæ ſtudia haud dubitandum, Theologicam etiam facultatem voluiſſe comprehendere.

Præterea Conſtitutio hæc Benedicti XII. renovata fuit in Concilio Baſileenſi Anno 1436. in quodam Capitulo, ſeu Comitiis generalibus ex pluribus Provinciis noſtri Ordinis celebratis coram Eminentiſſimo Cardinali S. Angeli, & Epiſcopis Dinienſi, & Lauſannenſi Benedictinis. Decreta autem hujus generalis congreſſus leguntur in quibuſdam Bibliothecis, nominatim in manuſcripto quodam Abbatiæ S. Vitoni, vulgò de S. Vanne, Viroduni.

Afferri etiam hìc poſſent quamplures alii ſimiles Canones Conciliorum, ac Pontificum, pro ſtudiorum inſtitutione inter Monachos, perſpicuum namque eſt, pleraque hujuſmodi ſtatuta à Pontificibus edita fuiſſe; Sic in Ordine Ciſtercienſi, ut ex veteribus ejuſdem Conſtitutionibus colligimus, in quibus decernitur, pro reverentia Domini Papæ, & Cardinalium, qui fuerunt ſtudiorum noſtrorum præcipui promotores, ſtudia illa, quæ inſtituta fuere in Collegiis Pariſiorum, Oxonii, Montis Peſſulani, Stellæ, aliorumque locorum, perpetuo impoſterum conſervanda eſſe. Quod ſtatutum non utique deſumptum fuit ex ordinationibus Concilii Vienenſis, cùm iſto ſit multò antiquius; ſed continetur in collectione quadam veterum Conſtitutionum Comitiorum generalium, edita Anno 1289. vigeſimo tertio ante dictum Concilium. Hæc porrò Collegia fundata fuerant in gratia Monachorum, qui ad ipſa mittebantur, ut in publicis Univerſitatibus ſtuderent, in quibus ſanè multò majora abſurda, quàm in ſcholis privatis Cœnobiorum, contingere queunt; Quamvis enim Monachi in dictis Collegiis habitent à Laicorum conſortio ſemoti, nihilominus quia multoties ſimul converſari coguntur, ſive ſtudiorum cauſa, ſive cùm ad gradus ſunt promovendi, idcircò eo quandoque rediguntur, ut vix poſſit fieri, quin infectum Mundi aerem identidem attrahant, Monaſticam pietatem ſenſim ſine ſenſu corrumpentem, quem proinde ut virus peſtiferum fugere omninò tenentur.

Inter Epiſtolas à Divo Anſelmo conſcriptas, cùm adhuc eſſet Monaſterii Beccenſis in Normannia Abbas, una legitur, in qua fit mentio cujuſdam Monachi Burgi S. Petri ad Divam, qui Lutetiam miſſus fuerat, ut ibi ad literarum ſtudia incumberet, quique propterea morabatur in Cœnobio S. Maglorii, ut ibidem refert S. Doctor: *Qui propter ſcholas moratur apud Pariſium, & converſatur in Monaſterio S. Maglorii*; Unde indubitanter arguitur; quòd eatenus Frater is Pariſios perrexerit, quatenus in publicis Univerſitatibus ſcientiis navaret operam, ità tamen, ut intrà clauſtra habitaret. Quod nobis apertè demonſtrat, inveteratam hanc fuiſſe conſuetudinem etiam in noſtro Ordine.

Anſelm. l. 2. ep. 14.

Idipſum novimus uſitatum fuiſſe ſubſequentibus ſæculis apud Monachos

nacos Cluniacenſes, majoris Monaſterii, Caſæ Dei, & alibi, & inter alios Arnoldus de S. Aſterio, Tutelæ in Lemovicibus Abbas, primus dein ejuſdem Urbis Epiſcopus, in Conſtitutionibus à ſe emanatis Anno 1320. decrevit, quòd ad decus, atque utilitatem propriæ Eccleſiæ, ſex Viri religioſi ejuſdem Capituli ad celebrem aliquam Univerſitatem mitterentur: Ad ſolemnia ſtudia; ut ibi Theologiæ, vel Juri Canonico operam darent; ſic quippe deprendimus ex Hiſtoria ipſius perantiquæ Abbatiæ ab eruditiſſimo Baluzio elucubrata, à quo etiam ſperamus ipſam in lucem brevi editum iri.

Concilium Provinciale Colonienſe, celebratum Anno 1536. nonnulla etiam perutilia in ſtudiorum gratia ſancivit, quæ fieri à Monachis debent. Primum eſt: Quòd in ſingulis Monaſteriis adſit Doctor aliquis pius, ac ſapiens, ad juniores in lege Divina imbuendos idoneus, & quòd ab exercitiis vilioribus, & infimis occupationibus immunes declarentur ii potiſſimùm, qui magis ad ſcientias, & ad ſpeculandum apti dignoſcuntur. Secundum eſt: Quod in ſingulis quoque Monaſteriis Concionator itidem pius, ac ſapiens eſſe debeat, ad excitandos Monachorum animos ad contemptum omnium temporalium, & perfectam alienationem à Mundo. Tertium: Quod ex junioribus Monachis ad publicas, atque catholicas Univerſitates mitti queant, qui nempe majori morum honeſtate fuerint præditi, ut ibi ſacræ Theologiæ ſtudio incumbant; ita tamen ut habitare nequeant niſi intrà regularium clauſtra coram propriis Magiſtris, ne ſtudendi prætextu aliud meditentur. Ne bonis, ac rectis ſtudiis deſtinati, mores minimè Monaſticos imbibant, & contrahant.

Ponderanti tamen poſtremum hunc articulum, Concilium terminis quibuſdam uti videtur, qui non adeò efficaces, ac in reliquis, notantur; Enimverò cùm in duobus præcedentibus abſolutè dixerit, oportere Magiſtrum, & Concionatorem Verbi Dei in Monaſteriis reperiri, in hoc ait tantùm: *Gratum futurum Concilio: Neque nobis diſplicuerit ſi juniorum aliquot Religioſorum alicujus expectationis ad Univerſitates mittantur;* apertum namque diſcrimen colligitur inde velle Concilium innuere inter ſtudia, quæ habentur intrà clauſtra, & ea, quæ in publicis Univerſitatibus; hæc quippe nonniſi ex mera permiſſione, ea verò prorſus neceſſaria nobis ab ipſo indicari videntur.

Inter Decreta de Reformatione à Sacro Concilio Tridentino emanata, unum eſt, in quo nonnulla de Monachorum ſtudiis ſtatuuntur, *Concil.* videlicet in ipſorum Cœnobiis, ubi commodè fieri poterit, lectionem *Trid. ſeſſ.* Sacræ Scripturæ omninò eſſe habendam; & ſi in hoc Abbates negli- *1. c. 1.* gentes fuerint, ab Epiſcopis locorum, in hoc tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, ad id opportunis remediis eſſe compellendos. Ibi autem prævia alia ſtudia Concilium haud inhibuiſſe legitur, queis Monachi ad ſacræ paginæ intelligentiam redduntur idonei. Quemadmo- *Seſſ. 25. c.* dum ergo ea ſtudia verè permiſit, quæ tunc in publicis Univerſitati- *4. De Re-* bus à regularibus fiebant, dummodò in propriis Conventibus ſinguli *format.*

dege-

Digitized by Google

Ibid. c. 1. degerent, pariter argui hinc poteſt, ipſum neutiquam arbitratum fuiſſe, ſtudia quid minimum Monaſticæ conditionis puritati, ac diſciplinæ derogare, cùm potius ejus inſtaurationem, ac reformationem ſedulò procurarit.

En igitur potiores Conſtitutiones, ac normas, quæ identidem à Conciliis, ſummiſque Pontificibus emanarunt circa ſtudia Monachorum, inter quas nulla prorſus expreſsè dignoſcitur, per quam ipſis eorumdem exercitium interdicatur, vel queat inferri Monaſteriorum relaxationem applicationi ad ſcientias adſcribendam eſſe. Legere ſat erit quoad hoc multifarias Conciliorum Ordinationes, & Statuta, tum noni, tum decimi, tum etiam ſubſequentium ſæculorum; inde namque facilè innoteſcet, ejuſmodi relaxationem à Conciliis ipſis tribui, modò bellorum infortuniis, atque defectui prævidendi infauſtos eorum eventus, modò Abbatibus ſæcularibus, & Commendatariis, modò denique pravis Monachorum inclinationibus, ſive ex animi deliberatione, ſive ex propria negligentia, aut ſocordia conceptis, ut expreſsè innuit Concilium Vernolienſe Anno 844. congregatum: *Alios ſtudio, nonnullos deſidia*. Ubi obiter animadvertendum ly, ſtudio, eatenus opponi vocabulo deſidia, ut inde præcisè notetur propoſitum deliberatum, affectata malitia, & prava intentio Monachorum, de quibus Concilium loquitur, quemadmodum vertit, ac exponit Dominus Lancellotus in ſecunda editione Tractatus de Hemina; non autem quòd literarum ſtudiis per illud intenderit Concilium derogare.

CAPUT XIII.

Ubi ponderantur abſurda, quæ occurrere poſſunt in ſtudiis Monachorum.

NOn præſumimus Monachorum ſtudia ita commendare, horumque utilitatem adeò extollere, quin etiam ex pravo ad ea incumbentium uſu, pleraque abſurda emergere valeant. Sed quænam facultas ab hac nota immunis? Quocumque vel optimo abuti poſſumus. Quidni verò potiori jure dicendum longè majora ex ignorantia gigni? Hoc eſt, quod in præſenti opus eſt inveſtigare, & primò quænam ſint, quæ ex ſtudio timeri poſſint detrimenta virtuti?

Primum eſſe videtur: Quia ſcientia ex diametro dicitur ſpiritui humilitatis, ac pœnitentiæ fervori oppoſita, in quibus duobus totius Monaſticæ diſciplinæ vigor conſiſtit. Item quia ſcientia, juxta Apoſtolum, eſt elationis, ac ſuperbiæ nutrix. Denique præter vanitatem, curioſitatem parit, cavillationes, ac diſſidia, quæ omnia ſunt à Cœnobitis penitùs amandanda.

Non eo inficias ex multo ſcientiarum apparatu cordis tumorem, elationemque poſſe conſurgere; ſic etenim plerumque evenire comperimus, tunc præſertim, cum eas jugis virtutum praxis, in primis verò

rò charitatis, necnon Chriſtianæ humilitatis, minimè comitatur, ac fulcit. Quo circa neceſſum omninò eſt, antequam ipſis acquirendis Religioſi viri ſe dedant, ut diligens cura à Superioribus, ac Magiſtris ſit adhibita ad eoſdem in virtutibus, morumque honeſtate ſolidandum; quos propterea à ſtudiis etiam oportebit aliquando retrahere, ſi iſtis abuti contigerit. Hinc tamen arbitrandum non eſt, omnes univerſim à cultu ſtudiorum arcendos eſſe; quandoquidem liquidò conſtat, ambitionem, atque jactantiam, non minùs in indoctos, quàm in ſapientes ſæpiſſimè dominari; quinimmò raro evenit, hominem ſufficienti lumine præditum in eos lapſare vanitatis exceſſus, queis multoties parum, aut nihil ſcientes ſubjici experimur: *Ignorantia plures habet ſuperbos, quàm humiles.* Verum enim verò data etiam hac hypotheſi, quòd nimirùm ſcientiæ vanitati, ac elationi ſubdantur, numquid propterea vitandæ erunt? Quidni huic potius vitio opportunè occurratur? Rurſus ſi ita eſſet, operæ pretium foret, ut eas tamquam Scyllam cuncti declinare ſatagerent; ſinguli quippe fideles vanitatem fugere tenentur. Sed audiamus quæſo Divum Auguſtinum, illum inquam admirabilem genuinæ ſcientiæ Doctorem, profundæque humilitatis prodigium: *Scientia, ait Apoſtolus, inflat; quid ergo? ſcientiam fugere debetis, & electuri eſtis nihil ſcire potius, quàm inflari? Ut quid vobis loquimur, ſi melior eſt ignorantia, quàm ſcientia?*

Trithem. Orat. 5. in cap.

Auguſtin. Serm. 354. n. 2.

Sed nihil meo videri magis ad rem ſuper hoc adjici poteſt, quàm quæ generatim ſcripſit Author continuationis ſpeciminum moralium in Epiſtolam Dominicæ tertiæ poſt Paſcha, de ſcientiæ talentis, & aliis ſimilibus, quæ univerſim ab hominibus aliqua exiſtimatione digna cenſentur. „ On pourroit peut-être dire, que perſonne ne ſe „ doit mettre en peine d'acquerir ces talens, parcequ'y ayant un „ bien certain à ne les avoir pas, & beaucoup de danger à les a- „ voir, l'experience faiſant voir que la pluſparte du Monde en abu- „ ſe, la condition de ceux qui ne les ont pas, eſt beaucoup meil- „ leur que celle de ceux qui les ont; & l'on conclura de là, que „ ces maximes vont à introduire une pareſſe, & une ignorance gene- „ rale parmi les hommes. Mais la concluſion ſeroit mal tirée, & „ tout ce que l'on en doit conclure, c'eſt que de ſoy meme un hom- „ me ſe doit tenir plus heureux de n'avoir pas de talens que d'en „ avoir; & que s'il étoit à ſon choix, il devroit pluſtoſt prendre „ le parti de n'avoir rien qui luy attirat de la reputation dans le „ Monde, que d'avoir des talens éclattans, qui frappent l'eſprit & „ les yeux des hommes. Mais la veritable Morale eſt, que les hom- „ mes ne doivent point croire que cela ſoit à leur choix. C'eſt Dieu „ qui donne le commencement des talens par les qualitez naturelles „ qu'il donne à chacun. Celuy qui les a ræcues, doit ſe croire obli- „ gé d'en uſer ſelon les regles de Dieu, puiſqu'il luy en doit rendre „ conte. Et pour en uſer de cette ſorte, il ne faut pas s'en croire ſoy- „ meme, mais conſulter des perſonnes diſintereſsees & des dire- „ cteurs

„ ſteurs éclairex. Que ſi ces directeurs voyant d'une part l'extré-
„ me neceſſitè de l'Egliſe ou de l'Eſtat, & de l'autre les talens
„ naturels de quelqu'un qui luy donnent moyen de rendre ſer-
„ vice à l'un & l'autre, luy conſeillent de les cultiver: il eſt alors
„ plus dangereux à cette perſonne de negliger ces talens, que de
„ s'appliquer ſerieuſement à les perfectionner.

„ Il faut encore conſiderer, que ce qui eſt plus sur en ſoy, ne
„ l'eſt pars à l'égard de tout le Monde, parcequ'il y a des diſpoſitions
„ qui rendent certaines vertus comme impoſſibles. Il eſt plus ſur en
„ ſoy de ne s'engager point dans les emplois qui ont beſoin de ta-
„ lens: mais il y a des perſonnes à qui la vie particuliere eſt ſi dan-
„ gereuſe, qu'il vaut mieux pour eux de tacher d'acquerir les talens
„ qui rendent capables des emplois, que de demeurer dans une eſpe-
„ ce d'oiſivetè, qui eſt bien ſovvent jointe à beaucoup de vices. En-
„ tre les inconveniens il faut choiſir les moindres, & il y en a ſovvent
„ moins dans la vie laborieuſe que l'on meine en travaillant à acque-
„ rir les qualitez que le Monde eſtime, qu'à covvrir ſa pareſſe na-
„ turelle par une fauſſe humilitè, qui donne ſovvent entrée à tou-
„ tes ſortes de vices. La privation humble des talens qui ne déregle
„ point l'ame, eſt peut-étre plus eſtimable que les talens memes:
„ Mais il n'y a rien pire que cette meme privation, quand elle rend
„ l'ame brutale, & que ſans l'humilier elle fait ſeulement qu'on ſe
„ contente de vivre dans l'oiſivete, & la pareſſe. quod latinè ſic: Forte dici poſſet, nemini ſatagendum eſſe pro horum talentorum acquiſitione, quoniam cùm certo bono fruamur quandiu eorum ſumus expertes, imò noxium potiùs ea interdum poſſidere; experientia ſiquidem teſte, ut plurimùm abuſui obnoxia redduntur; idcircò ipſis carentium, conditio putatur quandoque felicior altera ea, obtinentium. Hinc autem fortaſſe quis arguet, ex hujuſmodi principiis otium, & ignorantiam univerſim inter homines introductum iri; ſed illegitima foret iſthæc illatio; totum quippe, quod inde inferri debet, eſt, quod homo ex ſe ipſo beatiorem ſe credere debeat, ſi nullo talento fruatur, quàm cùm aliquod habet; & quòd ſi ſibi daretur optio, potiùs eligere deberet quolibet carere, quod ſibi gloriam in Mundo pareret, quam plurium talentorum ſplendore niteſcere, quibus hominum mentes, aut oculi cogantur applaudere. Vera tamen diſciplinæ moralis norma quoad hoc innuit, nemini exiſtimandum, pleno id noſtro dimitti arbitrio. Deus eſt, qui in nobis ſine nobis priùs talenta infundit, ex beneficio nempe creationis, quod ſingulis mortalium arbitraria menſura diſtribuit. Qui autem ab ipſo ea recepit, ſibi etiam onus incumbere noverit iiſdem uti juxta Divinum præſcriptum, quandoquidem eorum rationem ipſi eſt redditurus. Verùm ut hoc pacto ea redigantur ad praxim, non opus erit ſibi fidere, ſed ſinceros, prudenteſque viros conſulere; quòd ſi extremam, ſive Eccleſiæ, ſive publici ſtatus conditionem, hi ex una parte conſiderantes, & ex altera naturalium in ali-

quo

quo talentorum copiam, quibus alterutri valeat aliquando prodeſſe, iſtum hortentur ad eorum cultum, ac negotiationem, tunc profectò plus ipſi noceret illa negligere, quàm feriò animum impendere ad eadem magis magiſque perficiendum.

Animadvertendum inſuper eſt, id, quod in ſe tutius aliquando videtur, reverà non ſic eſſe reſpectu omnium hominum; peculiares enim diſpoſitiones, ſive circumſtantiæ nonnumquam concurrunt, quæ virtutes quaſdam veluti moraliter impoſſibiles reddunt. Securius in ſe eſt negotiis haud ſe implicare, pro quibus ritè abſolvendis copia talentorum exigitur; at ſunt nonnulli, quibus privata vita adeò officit, ut ſatius ſit ſibi talenta lucrari, quibus ad aliqua munia ſubeunda conſtituantur idonei, quàm otio indulgere, quod ſæpenumero plurium eſt ſentina vitiorum. Ex duobus malis (ut dicitur) minus eſt eligendum; minora autem in laborioſa vita ſæpè ſæpius cernuntur, quæ ſtudio adipiſcendi eas qualitates exercetur, quas Mundus commendat, quàm innatum torporem ſimulata humilitate occulere, quæ ſæpiſſimè omni vitiorum generi aditum præbet. Humilis talentorum privatio, unde animus non depravetur, majorem ſibi fortaſſis æſtimationem conciliat, quàm ipſamet talentorum luculenta poſſeſſio; verùm nihil iſta privatione deterius, quotieſcumque brutam reddit animam, hancque ſine ullo veræ humilitatis indicio, in otio dumtaxat, ac inertia ſtertere cogit. Locus hic adeò mihi arridet, utpotè rei, de qua nunc agitur apprimè conſentaneus, ut nullatenus me cohibere potuerim, quin totum planè afferrem, lectoribus relinquens ejus applicationem, quæ haud ægre fieri poterit, prout ad Monachos attinet.

Hæc itidem erat Divi Auguſtini mens, cùm ad Eudoxium Abbatem ejuſque Aſcetas ſcribens, poſtquam iſtos monuit, ne unquàm Monaſticæ converſationis leges, vel minimùm tranſgrederentur, ſimul cavit, ne aliquando ſpiritu ambitionis ducti, Eccleſiaſtica munia appeterent, ſed nec illa reſpuerent majoris quietis, ſolitudiniſve prætextu, quandocumque ad ea ipſos Deus vocaret, ipſorumque ſubſidio indigeret Eccleſia: *Nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis, ſed miti corde obtemperetis Deo.* *Auguſt. Epiſt. 47.*

Verùm ut ad objectionem regrediamur, optimum quidem eſt curioſitates, vanitates, cavillationes, & relaxationes à Clauſtris penitus amandare; verumtamen ſi ſtudia ritè exerceantur, effectus quoque abſurdis dictis prorſus oppoſiti proculdubio producentur. Studium Monaſticum ſibi pro meta Sacrarum Scripturarum ſcientiam præfigere debet, item proficuam temporis diſtributionem, lectiones Clauſtralibus congruas, cognitionem, & exercitium virtutis, cordis rectitudinem, alienationem à Mundo, amorem ſolitudinis, atque ſilentii. Cætera verò, quæ ad hunc unicum rectè ſtudendi ſcopum non collimant, vel ſaltem non reducuntur, & præcipuè ad intelligentiam Divinarum Scripturarum, ſunt prorſus damnanda; ſola enim Scripturarum ſcientia, ſi opere compleatur, potis eſt vitia quæcum-

Hieron. in Epiſt. ad Ruſt.

que diſperdere: *Ama ſcientias Scripturarum, & vitia carnis facilè ſuperabis*. Studiis ergo hoc modo peractis, cuncta curioſitatum genera eliminantur, eò quia intrà limites ſiſtunt ſcientiæ Sanctorum, earum videlicet notionum, quæ nos ad Monaſticam perfectionem conducunt. Proſcribitur item applicatio ad vana, cum illa non aliò tendant, niſi ad cor cœleſtibus doctrinis replendum. Tandem ab hujuſmodi ſtudiis non prodeunt cavillationes, cùm non alium finem reſpiciant, niſi veram cordis rectitudinem, amorem ſolitudinis, ac diuturni ſilentii.

Sed fortè objicies, totum hoc theoricè quidem ritè probari; ſecùs verò prout ad praxim de facto redigitur; enimverò ſcientiæ ipſæ Philoſophicæ, ac Theologicæ juxta methodum, qua nunc in Scholis communiter traduntur, nonniſi curioſitatem, diſſipationem, cavillationeſque exhibent; in jugibus ſiquidem diſputationibus, vocumque obſtrepentium fragore, majorum horum ſtudiorum portio conſiſtit.

Inficiari ſanè nequeo quòd hujuſmodi ſtudiis penès ſe conſideratis, & quo ad modum, quo ut plurimùm hiſce temporibus in Scholis traduntur, nullo habito reſpectu ad finem, quem Monachi ad ea incumbentes ſibi debent præfigere, ſi totum vitæ tempus in iis inſumendum eſſet, difficillimè inquam poſſent præfata abſurda vitari. At quid amabò nos cogit, Philoſophicas, ac Theologicas ſcientias continuæ diſceptationi, & conteſtationi tradere? Quidni poſſent poſitiva methodo, quæ merè neceſſaria cognoſcimus, à nobis pertractari, ſingula dumtaxat principia, & potiora quæſita explanando, dubiaque occurrentia ſine ulla cavillatione enodando? Quidni etiam Religioſis alumnis ſat ſuperque foret, ſcientificis fundamentis, iiſque neceſſarioribus imbui, ut dein ſeipſis quodammodò poſſent in Scripturarum Sanctarum, & Operum Sanctorum Patrum lectione proficere? Quænam demùm urget neceſſitas ad Syllogizandum jugiter (ut ajunt) in forma, & ad tot tantiſque objectionibus acriter, & aſperè reſpondendum, ut mos in Scholis invaluit?

Nos utique non fugit, Scholaſticas facultates in Regularium Cœnobiis noſtra hac tempeſtate taliter expendi; nec inficiamur, quin hæc ſtudendi methodus propria gaudeat utilitate; unum tamen aſſerimus, eamdem aliqua poſſe moderatione leniri, ut fuſiùs infrà Par. 2. cap. 9. ſuadebimus. Et licèt hoc impoſſibile foret, jam ſtudia iſta, ut novimus, ad extremam uſque vitæ periodum minimè protrahuntur; in ipſis namque adoleſcentes noſtri nonniſi quadriennium, vel quinquennium ad ſummum, detinentur, poſtquam tantumdem temporis ad ea per virtutum exercitia diſpoſiti fuerint; quibus tandem abſolutis, eorum fructibus in ſolitudine, ſilentio, Scripturarum, & Patrum lectione frui poterunt.

Nihil ergo ſuffragatur dicere, Monachos ad alios inſtruendos nullatenus deſtinari, ſed ſolùm ad pœnitentiam, & compunctionem. Equidem fateor, quòd finis primarius ſtudii eorum propria eſt ſalus, & ſingulorum progreſſus, & ſi aliquando contigerit, eos, ſive ab Eccleſia,

ſia, ſive à Dei providentia ad aliorum eruditionem vocari, hic tamen non eſt præcipuus eorum in ſtudiis ſcopus, ſed ſe ipſos erudire, ædificare, ac cœleſtis doctrinæ pabulo enutrire, ut inde facilius Monaſticæ vitæ onera ſuſtinere diſcant, & in ea magis magiſque proficere.

Exemplum de hoc ſatis egregium, inter alia plurima apud Bedam Venerabilem legimus. Quis etenim omni ſtudiorum generi ipſo magis incubuit, cæterorumque eruditioni? Ecquis interim pietatis, ac religionis operibus diutiùs intentus? Si eum vidiſſes orantem, arbitratus eſſes nunquam ſtudentem; at ſi operum, quæ ſcripſit, numerum inſpexeris, ipſum nunquam non ſtuduiſſe autumabis. Et tamen quamvis in dies ſingulos nedum proprio ſtudio, ſed & confratrum ſuorum, imò & ſæcularium inſtructioni eſſet addictus, præ aliis diligentior in explendis quæ Monaſticæ conditionis erant, videbatur, adeout quemadmodum ipſemet ſcribit: Inter obſervantias diſciplinæ regularis, & quotidianam in Eccleſia cantandi curam, vel (ut alibi inquit) in numera Monaſticæ ſervitutis retiacula, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habuerit. Oh utinam in noſtris Cœnobiis etiamnum iſtorum aliquot literatorum adeſſent!

Beda in Epiſt. Hiſtor. Angl. Idem in Accadem.

Novum inſuper detrimentum opponunt, quod ex ſtudio oriri cenſent, laboris nempe manualis ſuppreſſionem, quod tamen exercitium indiſpenſabile, & Monaſtico inſtituto prorſus neceſſarium dicunt.

Detrimentum ſanè non parvi momenti hoc eſt, ſi ex ſtudiorum cultu infallibiliter ducat originem. At numquid inevitabile? Equidem fateor, ſtudio durante, arduum eſſe diu vacare labori, cùm ſtudiorum tempus, alterum, quod ſupereſt poſt Sacram Chori Synaxim, in qua multùm quoque impenditur, penè exhauriat. Verùm, ut innui, ejuſmodi ſtudia ad uſque vitæ finem non protrahuntur, cùm Monachis tantum ſcientiæ ineſt, ut ſibimet ſufficere valeant, ratio tunc ſuadet, ut ſtatim manualia reſumant opera, quæ urgente ſtudiorum neceſſitate, vel diminuere, vel aliquandiu intermittere ſunt coacti. Hoc exercitium valde utile eſt, diſciplinæque Monaſticæ oppidò congruum, proindeque non prætermittendum. De re autem hac, utpotè non parvi momenti, ſequenti capite peculiarem habeo ſermonem.

Sat mihi erit in præſentia innuere, quòd Monachi, ſtudiorum peculiarium prætextu, nequeunt ſemetipſos à præfato exercitio eximere, tametſi Superiores in quibuſdam caſibus cum eorum aliquot valeant diſpenſare, quos nempe ad aliorum inſtructionem, vel Reipublicæ commodum idoneos judicaverint, prout prudentia, & charitas interdum ſuadebunt. Verùm cùm rari appareant ingenti, aſſiduoque ſtudio dediti, pauci quoque erunt, qui jure poſſint eximi, ne tædio tam gravi exponantur, unde animi depreſſio, & otium facilè ſequerentur.

Ponderatis huc uſque abſurdis, quæ ex ſtudiorum cultu naſcuntur, examinandum reſtat, num ex ſcientiæ, ac doctrinæ leviora conſur-

gant defectu. Non eò inficias, ut etiam alibi innui, quòd ſi ſemper nobis præeſſent, ſive Abbates, ſive Priores, pietatis zelo non minùs quam doctrina fulgentes, utique ſupervacaneum foret, Monachos tam feriò ad ſtudia incumbere; ſed hoc opus, hic labor; non enim abſque ſpeciali Dei miraculo videtur id poſſe contingere; cum ſiquidem Superiores nonniſi ex inferiorum cœtu eligantur, ſi ſemel inter iſtos ſcientiæ fuerint neglectæ, miraculosè dumtaxat effici poterit, ut qui præeſſe debent, lumine doctrinæ præfulgeant. Quid verò hinc fiet? Profectò id tantum boni poterit inde obtineri, quod ex integra communitate, cimmeriis ignorantiæ tenebris involuta ſperatur, cujus caput, ac Dux, non minùs ac ipſum ſequentes, intellectuali lumine clarent: Cæci ſunt, duces cæcorum. Ex hujus autem privatione luminis in quemdam primò velut ingenii ſtuporem, intellectuſque veternum communitates incident, à quo ſive per valida majorum hortamenta, ſive per quaslibet librorum lectiones ab inferioribus habitas, excitari minimè poterunt. Hinc etiam indocilitas ſequetur, unde Monachi, velut bruta animantia, prorſus inepti evadent ad percipiendas practicas, ſanctioreſque Religionis veritates. Item obedientiæ, omniſque honeſtatis defectus, quæ ſunt qualitates religioſæ ſocietati, civilique conſortio admodùm utiles. Denique ex ignorantia non modicum gignetur tædium in diuturna recitatione Pſalmorum, horum quippe ſenſus & ſignificatio latebunt; item in lectione, quæ inſuper tunc odio habebitur, & ſic de ſingulis paſſim operibus, quæ abſque iſto fervoris ſpiritu velut exanimata langueſcent, cùm omninò requiratur, ut ea perſolventibus, ſuaviora ac gratiora reddantur. Legantur Turrecremata commentaria in caput 48. Regulæ noſtræ, ubi duodecim inconvenientia recenſet; quæ in Cœnobiis ex ſtudiorum defectu naſcuntur.

Fateri nihilominus oportet, communitatem aliquam ſuæ inſtitutionis initio, cùm regularis diſciplinæ fervor tunc maximè vigeat, poſſe (ut alibi innui) aliquandiu ſe conſervare, & infauſtos effectus jam recenſitos in ſuis exordiis vitare abſque ſtudiorum adminiculo. Sed animadvertere fas eſt, hujuſce fervoris ſpiritum non diu permanſurum, niſi ſcientiarum, ſtudiorumque pabulo identidem nutriatur, ac roboretur. Conſimili quippe ratione de Religione, ut de Eccleſia quoad hoc, ratiocinandum videtur, quam ſola propemodum virtus, ac pietas initio ſuſtentarunt: At verò proceſſu temporum operæ pretium fuit ipſi ſubvenire doctrinarum præſidio, ut contra adverſariorum impetus reſiſteret, & adversùm propriorum filiorum impietatem, dum multifaria objicientes hæreſum monſtra, eam ſæpè dilacerare tentarunt.

CA-

CAPUT XIV.

An ſtudium licitè ſubſtitui queat loco operis manualis.

§. I.

Ubi diſcutitur obligatio ad dictum laborem; rationeſque perpenduntur, quæ adduci poſſunt pro ejuſdem diſpenſatione.

SEmper in ſtatu Monaſtico manualis labor reputatus eſt tamquam exercitium, nedum magni momenti, verùm etiam à pluribus abſolutè neceſſarium. Planè non ambigitur, quin antiquiores Monachi inter præcipua regularis obſervantiæ capita id recenſuerint; Iſaias enim Abbas tria potiſſimùm in Regula Monachis ſuis commendat, jugem nempe orationem, pſalmorum meditationem, & exercitium manuale. *Iſaias Regul. c. 11.*

Nos non latet, ab initio Monaſticæ Inſtitutionis extitiſſe quamdam Monachorum ſectam, quos S. Epiphanius, & Theodoretus Meſſalianos appellant, alii Maſſalianos, ſub Conſtantio anno 361. exortos, qui à Græcis Euchitæ dicebantur, ideſt Precatores, (tantum enim ſonat, Meſſaliani, Syriaca lingua) eò quòd omnia bona opera negligentes, ſolis precibus inſiſtendum dicerent, abutentes illo Pauli Apoſtoli: Indeſinenter orate; Qui propterea precum prætextu, manuarias operas, quibus tum inter alia vacare Monachis ſolemne erat, omiſerunt.

Hujuſmodi autem ſecta, præſertim in Africa, multùm propagata eſt; cujus rei occaſione Divus Auguſtinus ad Aurelii Carthaginenſis Epiſcopis preces, librum de opere Monachorum elucubravit, in quo præfati Apoſtoli auctoritate, & exemplo, Monachis onus omninò ſubeundum oſtendit manualis laboris.

Eodem quoque tempore Iſidorus Damiatenſis adversùs ingentem Monachorum multitudinem, ſub quodam Paulo Archimandrita collectam, inſurrexit, qui vitam quidem valdè regularem ſervabant, manualia tamen opera prorſus omittebant. Iſidorus itaque ipſis demonſtrat, iſtam vivendi normam, tum Evangelicæ veritati, tum Apoſtoli exemplo adverſari, ſeque nullatenus percipere, quomodo jus ſibi vendicare poſſint ad ſe alendum Conventus cibariis, dum proprio labore victum ſibi comparare nolunt; nec tandem qua ratione interiori pace gaudere queant propriarumque paſſionum turbines ſedare. Quod etiam in alia Epiſtola repetit ſuper eadem re ad alium quemdam Superiorem exarata. *Lib. 1. Epiſt. 49.* *Epiſt. 298.*

Legitur item ſuper hoc elegans alia Epiſtola Divi Nili, cuidam Anachoretæ nomine Paulo, nuncupata, in qua ipſum redarguit, eò quòd lectioni tantummodo deditus, cætera Monaſticæ vitæ exercitia penitùs negligeret: Non enim (inquit Nilus) ſic ſe geſſit Divus Anto- *Nilus l. 4. Epiſt. 60.*

nius, celeberrimus totius Orientis Abbas, quandoquidem diuturnum laborem, ac orationem, doctrinæ copulabat; & ſubdit: Ita arduum eſſe, ad religioſæ perfectionis culmen dumtaxat legendo poſſe pertingere, ac ſit impoſſibile integrum ædificium ex unico lapide conſtruere.

Sic itaque communiter ſentiebant eximii illi viri, manualium ſcilicet laborem Monaſticæ inſtitutioni apprimè conſentaneum; cujus rei cauſis, & rationibus ab Iſidoro Pelufiota allatis, ſuperadduntur eleemoſinæ faciendæ, juxta hortamentum Apoſtoli, monentis, ut qui res alienas perperàm conſumpſerunt, occupent ſe, manibus propriis laborando, ad alicujus emolumenti opera, ut aliquid inde lucri fiat ad alios egeſtate levandum.

Ephes. 4. 28.

Duæ tamen adhuc ſuperſunt rationes, quæ mortales cunctos, nedum Monachos, ad dictum laborem adſtringunt; Ad ipſum namque primò tenentur, ut pœnitentiam illam univerſalem expleant, hominum Protoparenti poſt ejus lapſum, poſteriſque omnibus à Deo injunctam, ut ſcilicet in ſudore vultus ſui pane veſcerentur. Secundò ut otium vitent, tempuſque utiliter conterant, quod nobis multifaciendum quandiu hìc vivimus, brevi morituri.

En igitur primaria fundamenta; quibus arguitur quantum manuario labori debeamus impendere. Pœna hæc ſingulis eſt hominibus ſtatuta, mediumque eſt à Deo prædefinitum, ne gratis pane alieno veſcamur; item ut inde aliquid ad egenorum lucremur ſubſidium; ut otium animæ peſtem declinemus, propriaſque vincamus paſſiones; denique ut vera cordis tranquillitate fruamur.

Praxis hæc nedum præcitati Apoſtoli doctrina, verùm & ejuſdem confirmatur exemplo, & illo veterum Monachorum, qui aſperis, diuturniſque laboribus ſuapte ſpontè ſe tradidere. *Laborabant* (inquit inſignis quidam Author, loquens de Monachis Thebaidis) *Sancti hujus inſtituti ardentiſſimi æmulatores, in ſolitudine degentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus. Ipſi ſibi cellulas ædificabant, in quibus eremiticæ frugalitatis deliciis affluentes, locupletabant multos ipſi egentes; Quos quo nomine digniùs appellem, neſcio; Homines celeſtes, Angelos terreſtres, in terris degentes, & converſationem in Cœlis habentes. Laborabant, inquam, manibus ſuis, & de labore ſuo pauperes paſcebant, eſurientes ipſi, de vaſtitate eremi Urbium carceres penitùs alebant, & infirmos, necnon in quibuslibet neceſſitatibus poſitos ſuſtentabant; Viventes de labore ſuo, & habitantes in labore manuum ſuarum.*

Epiſt. ad Fratres de Monte Dei.

Mirum etiam de hoc exemplum legitur in Hiſtoria Lauſiaca, de vita S. Serapionis, qui Monachorum ſuorum induſtria, & labore quoslibet Alexandriæ pauperes alebat. Horum autem illuſtrium Anachoretarum exercitia ad duo potiſſimè redigebantur, in quibus jugiter perſeverabant, orationem ſcilicet, & laborem; quæ invicem adeò copulabant, ut quid ex quo penderet haud facilè poſſet à quoquam diſcerni, ideſt utrum propter meditationem ſpiritalem inceſſabile manuum opus exercerent, an propter operis jugitatem tam præclarum profectum ſpiritus ſcientiæque lumen acquirerent.

Pallad. cap. 76.

Caſſian. l. 2. cap. 14.

San-

Sanctiſſimus Patriarcha Benedictus, qui in Regula ſua ad unguem expreſſit admirabilium iſtorum Anachoretarum mores, ac geſta, ſibi ſat perſuaſus, quanti inter Monachos facienda ſit pia hæc conſuetudo, alumnos ſuos monet, quòd tunc verè Monachi ſunt appellandi, ſi de labore manuum ſuarum vivant, ſicut & antiqui Patres noſtri Monaſticæ vitæ inſtitutores, & ipſi Apoſtoli. Unde ut iſti oneri planè ſatisfiat, ſtatas horas præſcribit, quibus occupari debent Fratres in labore manuum, & lectione divina; ſimilique ſpiritus fervore præcipit, ut Fratres alternatim ſic ſibi invicem ſerviant, ut nullus excuſetur à coquinæ officio; & quòd, ſi neceſſitas loci, aut paupertas exigat, ad fruges colligendas per ſe occupentur, nec de hoc ullatenus contriſtentur. *Cap. 48.*

His ſic præſuppoſitis, inquiritur num labor manualis eò nos obliget, ut æquipollentibus aliis exercitiis omninò nequeat compenſari; vel ſi hoc æquè poſſit fieri, num ſtudium laboris loco ſubſtitui licitè queat.

Reſponderi generatim poſſet, onera, & exercitia, quæ ſinguli juxta propriam conditionem ſubire tenentur, laboris vices poſſe ſupplere; & ſi propriæ conditionis leges manualia in aliquibus non præſcribant opera, quodammodo tamen univerſali illi pœnitentiæ, à Deo generi humano impoſitæ, ſatisfieri, ſi inquam fideliter, & examuſſim perſolvantur quæ iiſdem legibus adimplenda ſtatuuntur. Hinc tamen non relinquitur, quin & optimum foret, ſi tales exercitationes ad ſpiritum tantummodo pertinerent, aliquot corpori labores adjicere, ſingulorum conditioni reſpectivè conſentaneos. Altiſſimus quippe rerum Conditor non minùs corporis, quàm animæ abſolutus eſt Dominus, proindeque ab utraque harum partium, ex quibus phyſicè humana coaleſcit natura, jure aliquo exigit debitæ ſervitutis penſum.

Sed ut ad rem noſtram regrediamur, quæ tota intrà Monaſtici inſtituti genus concluditur, & ut difficultatem ſolvamus, quæ in præſenti proponitur, dicendum videtur, quòd quemadmodum nedum priſcorum Monachorum exempla, verùm etiam ſinguli Regularum Codices, Monachos ad præfatum laborem adſtringunt, ita nequaquam ab hoc eximere ſe poterunt, niſi juſtis de cauſis, quæ quidem ab iiſdem Regulis fuerint ritè approbatæ, vel ab eorum exemplo, qui ſanctæ hujus profeſſionis velut Coryphæi extitère.

Principiò ergo dici poteſt hujuſmodi exercitium Monachorum ſodalitiis eſſe apprimè neceſſarium, & univerſim loquendo, lectionem vel orationi annexam, ad humanum cor in recto firmandum ſyſtemate nequaquam ſufficere, adeòque operæ prætium eſſe, ut & manus ipſæ orationi, lectioni, ac ſtudio quodammodo allaborent; ſecus namque applicationes iſtæ, aliàs ſanctiſſimæ, paulatim langueſcent, animique motus, cordiſque paſſiones ſedare non poterunt. Si laborem ſuſtuleris, corruet pœnitentiæ fervor, cujus veluti baſis eſt, in qua ſolidatur, & tamquam panis unde nutritur; „ Pro-

„ pte-

lib.2. c.14. „ pterea, inquit Caſſianus, exercentes ambas corporis, animæque „ virtutes, exterioris hominis ſtipendia cum emolumento inrerioris „ exæquant, lubricis motibus cordis, & fluctuationi cogitationum „ inſtabili, operum pondera veluti quamdam tenacem, atque immo- „ bilem anchoram præfigentes, cui volubilitas, ac pervagatio cordis „ inexa, intrà cellæ clauſtra, velut in portu fidiſſimo valeat conti- „ neri; atque ita ſpiritali meditationi poſtmodum intenti, non mo- „ dò ad conſenſum pravæ cujuſque ſuggeſtionis pervigilem mentem „ corruere non ſinent, verùm etiam ab omni ſuperflua, otioſáque cogi- „ tatione cuſtodient. Opus etenim (ut Guerricus Abbas ſanctiſſimus ait) onus eſt, quo ſicuti pondus navibus, ita quies, & gravitas in- *Serm. 3. in Aſſumptione.* quietis additur cordibus.

Non eò tamen inficias, contingere aliquando, ut nonnulli ab hoc onere licitè queant eximi. Divus Auguſtinus ad duos, vel tres caſus *De Opere Monach. n. 17. 35.* id redigit, nimirùm ad temporis defectum, ex copia nempe aliarum concurrentium occupationum planè indiſpenſabilium; ad nimiam corporis imbecillitatem, vel ægritudinem; denique ad exilem quorumdam complexionem, qui ex proprii generis nobilitate multùm claruiſſent in ſæculo. Sed rationes iſtas ſingillatim perpendamus.

Temporis inopia ex aliarum concurſu occupationum orta, poteſt utique pro ſufficienti ratione adduci, ut quis à manuali labore declaretur immunis, dummodo tamen occupationes dictæ, proprii inſtituti limites neutiquam videantur excedere; & hæc procul dubio eſt ratio, propter quam Divus Aurelianus in ſua Regulâ, Abbates ad dictum laborem non obliget, præcipuè in amplioribus Cœnobiis, ex aliorum nempe agendorum copia, quorum ex paſtorali, quo funguntur munere, curam omninò gerere debent. S. Ferreolus, qui in ſua Regula *Regul.c.30.* Abbatem ab iſto pariter eximit onere, inquit, ideò ſuper hoc ſic cautum fuiſſe, ne illi tempus deeſſet lectioni vacandi, ut ſciat quid in dies ſingulos Monachos debeat docere. Nos tamen minimè latet, Divum Patrem noſtrum Benedictum labores manuum ſuarum jugiter manducaſſe, nec ab iſtis unquam ſe declaraſſe immunem; Sanctus quippe Hierarcha Gregorius refert, ipſum ad cujuſdam ruſtici preces, filii defuncti corpus die quadam reſuſcitaſſe, qua ex agri opere unà cum *Lib. 2. Dialog. cap. 36.* fratribus revertebatur. Hoc tamen non obſtitit, quin prudentiſſimus Patriarcha, Cellarium, ſi major congregatio fuerit, ab officio coquinæ excuſarit, necnon & alios quoſdam Monachos, qui majoribus utilitatibus occupantur. Hoc eodem fundamento Divus Auguſtinus innixus, quamvis Epiſcopali fungeretur munere, coram Monachis excuſare ſe voluit, eòquòd labores occupationum ſuarum, & Eccleſiarum, *D. Opere Monach. n. 37.* quibus ſerviebat, tempus ſibi adimerent ad ea etiam opera exercenda, ad quæ ipſos hortabatur; & Dominum Jeſum, in cujus nomine hæc dicebat, teſtem invocabat ſuper animam ſuam, quatenus ſcilicet, quantùm attinebat ad ſuum commodum, multò maluiſſet per ſingulos dies certis horis, quantùm in bene moderatis Monaſteriis conſtitu-

ſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & horas alias habere ad legendum, orandum, aut aliquid de divinis literis agendum, liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates alienarum cauſarum pati, de negotiis ſæcularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis.

Corporearum item virium exilitas cauſa legitima eſſe poteſt præfatæ diſpenſationis, modò tamen non ſimuletur, ſed verè, & in re habeatur. Et ob id Patres Ciſtercienſes Divum Bernardum eximere ſunt coacti à communi fratrum labore, utpotè ipſius excedente imbecillitatem, ejus tamen loco eidem injunctum fuit, ut Fratres ſuos hortando, frequentiores impoſterum ſermones ad eos haberet, quàm ex præſcripta Ordinis conſuetudine antea fierent: *Neque enim modò loquerer vobis* (inquit ipſe) *ſi poſſem laborare vobiſcum*. Fatetur tamen ibidem, ſibi longè utilius fore, ſi poſſet, tum ad confratrum ſuorum ædificationem, tum ad uberiorem proprii ſpiritus fructum, unà cum cæteris labori indulgere, quà de rebus ſanctis ipſis ſermocinari. *Bern. Serm. 10. in Pſal. 90. n. 6.*

S. Ferreolus in ſua Regula ſtatuit, quòd qui non valet operi manuum inſiſtere, det promptiùs operam lectioni, & quicumque agrum non excolit, Deum dupliciter, ſive orando, ſive majora pietatis opera exercendo, colat; & addit, hujuſmodi impotentes ſaltem eximere ſe non poſſe à nonnullis aliis minùs laborioſis operibus, qualia ſunt, volumina tranſcribere, piſcarias texere ſagénas, & id genus alia, quæ Divus Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Monachum præſcribit. Conſimili ſpiritus fervore ductus Lanfrancus, cúm adhuc junior in Beccenſi Monaſterio degeret, nec manuali poſſet labori operam dare, publicas ſcientiarum Academias in ejus ſupplementum inibi aperuit, dum venerabilis Herluinus, ejus loci Abbas, piſtoris, ac olitoris operibus intentus erat. *Cap. 28.* *Willel. Malmesb. lib. 1. de Pont. Angl. cap. 1.*

Liquet igitur, nedum ægrotos, verùm & corpore imbecillos, proindeque ad laborem ineptos, jure ab hoc eximi poſſe. Quòd ſi hujuſmodi imbecillitas non omninò ſincera, ac genuina fuerit, ſed fictæ dumtaxat, ac ſimulatæ voluntatis effectus, ſive de falſitate à Superiore convinci nequeat, remittenda erit propriæ taliter ſimulantis conſcientiæ, Deoque intimo cordium ſcrutatori, juxta egregiam Divi Auguſtini doctrinam: *Qui veram corporis oſtendit infirmitatem, humanè tractandus eſt; qui autem falſam prætendit, & convinci non poteſt, Deo dimittendus eſt*. Idipſum prorſus ſentire videtur Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis cap. 5. ſuæ Regulæ. *De Opere Monach. n. 22.*

Tertium fundamentum, quod Divus Auguſtinus affert ad diſpenſandum cum aliquibus Monachis à manuario labore, eſt naturalis complexionis exilitas, eorum nempe, qui præclaris orti natalibus, multùm caruiſſent in ſæculo: *Solent enim* (inquit S. Doctor) *tales non meliùs, ſicuti multi putant, ſed (quod eſt verum) languidiùs educati, labores operum corporalium ſuſtinere non poſſe*. Ut tamen hujuſmodi diſpenſatio pro legitima habeatur, duo erunt attendenda: Primum, quòd illam petentes, tali virium corporearum imbecillitate, & propriæ complexionis exilitate verè laborent; Quòd quidem creditu facilius erit reſpectû nobilium, *Ibid. n. 32.*

lium, quàm aliorum inferioris conditionis, ac obſcurioris generis: & credenda eſt eorum infirmitas & ferenda. Secundum, quòd licet præſata complexionis tenuitate verè afficiantur, nihiloſeciùs conari debent, quoad fieri poteſt, cæteris ſaltem oſtendere, ſe unà cum ipſis operandi cupiditate flagrare, ſi ad hoc præſtandum ſibi vires ineſſent, ne ſuo exemplo cæteris quoque petendæ diſpenſationis anſam tribuere videantur. Quocirca S. Auguſtinus teſtatur, excellentius erga Deum charitatis opus ab ipſis exerceri, quàm cùm Monaſticum induentes habitum, cuncta pauperibus diſtribuere: Tamen ſi & ipſi manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore, venientibus auferant excuſationem, multò miſericordiùs agunt, quàm cùm omnia ſua indigentibus diviſerunt. Quòd ſi exemplum iſtud cæteris dare renuant, nec propterea cogendi erunt, dicente ipſo: quòd quidem ſi nolint, quis audeat cogere? id tamen de intenſioribus operibus intelligendum eſt; Sanctus enim Præſul Auguſtinus paulò poſt ſubdit: iſtis tribuenda eſſe opera à corporali functione liberiora. Juxta quam me-
Cap. 48. thodum Divus quoque Pater Benedictus in Regula ſtatuit, Fratribus infirmis, aut delicatis talia opera, aut artes injungi debere, quatenus nec otioſi ſint, nec violentia laboris ita opprimantur, ut effugentur.

Ex hoc autem fundamento inferri debet cum eodem Auguſtino, quòd qui in ſæculo inferioris, ac ſervilis conditionis fuiſſent, corporeiſque, ac neceſſariis laboribus ferè ſemper addicti, ut ſibi victum compararent, majorem etiam præ cæteris ad operandum obligationem in Religione habent; nefas enim erit, molliorem, delicatioremve vitam ipſos in Clauſtra ducere, quàm in ſæculo; Religio quippe, in qua nonniſi vera docenda, ſimulque apprehendenda eſt humilitas, omnem pariter ſuper-
Aug. n. 33. biendi, ac luxuriandi anſam ipſi debet intercludere: *Neque enim propterea in militia Chriſtiana ad pietatem divites humiliantur, ut pauperes ad ſuperbiam extollantur; nullo modo enim decet, ut in ea vita, ubi fiunt Senatores laborioſi, ibi fiant Opifices otioſi, & quò veniunt, relictis delitiis ſuis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi ſint ruſtici delicati.*

Dum Sanctus Doctor hæc ibi animadverteret, aliud inſuper addidit, quòd imbecillis, ac delicatis ad laborem ineptis ſummopere ca-
& n. 37. vendum eſt, videlicèt, quòd ii, qui non operantur, illos ſaltem, qui operantur, ſibi anteponendos eſſe non dubitent, quantumlibet ex generis nobilitate ipſos præcedant, proptereáque manualem laborem tamquam vile, ſervileque opus non eſſe in Religione habendum, ſed potiùs veluti quamdam ſpecialis diſtinctionis notam, per quam Monachi ſupra eos non modicùm extolluntur, queis titulo aliarum qualitatum ſunt inferiores.

Argumentum, quod ex Divo Auguſtino jam ſupra tetigimus, totum hoc egregiè confirmat: Monachum ſcilicet, qui aliàs in ſæculo multis affluxiſſet divitiis, multò miſericordiùs agere, ſi manibus, quantum poteſt operari conetur, ut pigris ex vita humiliori venientibus excuſationem auferat, quàm is, qui omnia bona ſua indigentibus dividit

vidit

Digitized by Google

vidit ante Religionis ingreſſum. Hoc ipſum pariter Divus Hieronymus ſentire videtur in epiſtola ad Virginem Demetriadem, ut infra videbimus. Quare hactenus dictis nil amplius adjiciendum reſtat, ut Monachorum merita magis demonſtrentur, quibus ex diuturno manuum labore cumulantur.

Ne autem hujuſmodi labor merito ſuo aliquando fruſtretur, quædam conditiones neceſſario requiruntur, quibus deficientibus, is prorſus inutilis foret, dicente Apoſtolo: *Corporalis exercitatio ad modicum valet*. Præcipuus modus, quo utilis ipſe redditur, eſt, ut cum Oratione fiat, & cum animi ad Deum applicatione; per illam enim ſalvatur pietas, quam Divus Paulus ibi commendat inquiens: *Pietas autem ad omnia utilis eſt;* per hanc verò animatur labor, ut de corporali in ſpiritualem mutetur. Unde corpus noſtrum vivens hoſtia, Deoque beneplacens efficitur, dum pœnitentiæ, & charitatis fervore ipſi offertur. Quare tempus fruſtra contereretur manualem exercendo laborem ſolatii tantùm, aut relaxationis gratia. *1. Timoth. 4. n. 8.*

Præter pœnitentiæ, aut charitatis impulſum, alter eſſe poteſt, ſi nempe manualis ſuſcipiatur labor tamquam medium efficax, quo ſpiritus promptior, & aptior ad opera ſpiritualia reddatur; ad hoc quippe reſpicere unicè debet quælibet noſtra corporalis exercitatio: Quòd ſi animus inde potius evagetur, ac diſſipetur, quàm componi videatur, neque ad Chriſtianæ pietatis leges attendatur, plùs ſanè detrimento ea nobis erit, quàm fructui. Hæc autem ſpiritus diſſipatio originem ducere poteſt, vel ex præviæ diſpoſitionis defectu, quæ ad laborem requiritur, ut utilis evadat, vel etiam ex ipſius laboris natura, qui ob nimiam, ac immoderatam ſui aſperitatem, ſpiritus, cordiſque operationes remoretur. Idcircò Patres Spirituales innuunt, quòd ſi laboris ſpecies ad noſtram pertineat electionem, pluris eam præ aliis facere debeamus, unde corporeæ vires non omninò exhauriantur, itaut harum aliquot ſuperſint ad ſpiritus, cordiſque applicationem in Deum. Hinc eſt, quòd Divus Baſilius loquens de variis exercitiis, aut artibus, quibus Monachi tenentur incumbere, expreſsè eas ſingulas occupationes excludit, quæ oneroſiores videntur; vel etiam illas, quæ tametſi adeò violentæ, ac indiſcretæ non ſint, attamen non ſine fragore, atque tumultu exercentur, unde mens poſtmodùm cogitur à Deo evagari. Et revera Divus Auguſtinus ait, Sanctos Monachos ſibi Synchronos manuario dediſſe operam labori, ut victum quidem inde ſibi compararent, ſed neutiquam à Deo mens retraheretur. Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poſſit, & à Deo mens impediri non poſſit. Legatur cap. 5. Regulæ S. Iſidori, & ſermo 39. Divi Bernardi de diverſis.

Hæc eſt etiam potiſſima ratio, ad quam reſpiciens Apoſtolus, monet manualem laborem cum ſilentio fieri: *Cum ſilentio operantes*. Qui enim fieri poſſit, ut animus, & cor in Deum impensè ferantur, obſtrepente hinc indè turba operantium? Quod ſi hujuſmodi conditio ſingulis

lis

lis Chriſtifidelium neceſſaria perhibetur, quantò magis Monachis, qui ex propria inſtitutione taciturnitatem ubique ſervare tenentur? Et hinc eſt, quòd Regulæ antiquiores, ut illa Magiſtri &c. ſilentium præſertim in opere ſervandum ſtatuunt. S. Auguſtinus Pſalmodiam opere pendente commendat, ut etiam moris fuit, inter alios, apud veteres Patres Cluniacenſes, teſte S. Udalrico de moribus inſignis hujus Abbatiæ.

Cap. 50. *De opere Monach. num. 20.*

Altera inſuper operis Monachorum conditio exigit, ut ſemper ad quid honeſtum, ac utile tendat, ſive propter Deum, ſive propter Proximum, aut propter te ipſum; non enim ſubdolas otii Syrtes declinare dicimur futilia dumtaxat operando; quandoquidem: *Pro vitando otio otioſa ſectari ridiculum eſt*. Dummodo leges iſtæ ſerventur, nil ſubinde refert utcumque labori vacare, totum quippe æqui bonique fiet, ſi quid utile, honeſtumve, ſpiritu charitatis, ac pœnitentiæ ducti, cum ſilentio operemur.

Num. 14. & 33. *Epiſt. ad Fratr. de Monte Dei cap. 8.*

§. II.

Applicatio præſentis doctrinæ ad argumentum Studiorum; Ubi etiam difficultates proponuntur, quæ poſſunt objici ſuper dicta Monachorum ad manualem laborem obligatione.

NOnnihil fuſiori calamo ſuper hoc ſcribere duxi, quia res eſt alicujus momenti, nedum pènes ſe inſpecta, verùm etiam quantum ad materiam attinet, de qua impræſentiarum agitur; Quandoquidem cùm indubitatum ſit manuaria opera Monachis eſſe planè neceſſaria, jure etiam hinc poteſt argui, nonniſi extrema urgente neceſſitate, ab iiſdem reddi poſſe immunes; unde concluditur, ſpontanea quæque ſtudia non eſſe legitimam cauſam quemquam ab iis eximendi. Studia autem ſpontanea dico, quæ quis ſuaptè ſponte ad propriam eruditionem, atque ædificationem amplectitur. Quoniam, ut S. Auguſtinus ait: *Si laudabile eſt quaſdam horas in Studiis, ac oratione impendere, quid ni & modico tempore operi vacabimus, cùm S. Paulus Apoſtolus univerſo Chriſtifidelium cœtui id tam ſerio commendaverit*.

In præſentia igitur à nobis ſolùm controvertitur de Studiis quibuſdam Scholaſticis, diuturnæque applicationis, quæ quidem non arbitrario ſuſcipimus, ſed Superiorum juſſu nobis expreſsè prædefiniuntur. Inter hæc autem Lectorum, ſeu Magiſtrorum in primis ſtudia complector, qui nimirum aliorum eruditioni ſunt addicti; item diſcipulorum Philoſophiæ, vel Theologiæ operam dantium; vel denique eorum, qui ex legitimo Superiorum imperio ad aliquid elucubrandum in Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatem, aut ad ſæpius concionandum deſtinantur: Si alicui ſermo erogandus eſt. Quod Divus Auguſtinus ad illos pariter extendit, qui occupantur in diſponendis collationibus cum Fratribus habendis, adeò ut vix pauxillum temporis ipſis ad laborem ſuperſit.

Dixi:

Dixi: ex legitimo Superiorum imperio; quoniam à prædictorum ſerie excluduntur quicumque, ut ſe eximant à conſueto Communitatis onere, quædam ſibi ſtudia præſcribunt, quæ multum temporis poſtulant, ac diſpenſationis. Hujuſmodi ergo privilegia tunc juridica tantùm habentur, cum ex ſpeciali quadam Dei providentia ſic ordinantur. His igitur prætermiſſis, de primis tantùm ſermonem habebimus.

Equidem fateor valde laborioſum eſſe præfatis ſtudiorum generibus, aliiſve literariis occupationibus, quæ nequeunt in Congregatione omitti, corporales exercitationes annectere. Nihilominus utcumque hujuſmodi ſtudia in majorem Dei gloriam cedant, æquum erit, ut inquit S. Baſilius, ſemetipſum quoad fieri poteſt, ad laborem aliquando compellere ἐκβιάζεσθαι ἑαυτὸν; Qui enim omnem conatum, *Epiſt. 41.* animumque ad hoc explendum exhibuerit, ſanè non ambigitur quin aliquid Deo gratiſſimum egerit, cæteriſque Confratribus impensè proficuum; hoc ſiquidem exemplo eos ad manualem laborem magis excitabit, ipſiſque oſtendet, ſi ut cæteri non operetur, temporis inopiæ id unicè tribuendum eſſe, nequaquam verò deſidiæ, aut negligentiæ, qua à tam ſeria applicatione retrahatur.

Hæ tamen exceptiones, peculiares ſolùm perſonas ſpectant; non verò corpus integræ Communitatis; cui, ut moris eſt, conſuetum laborem proſequi onus incumbit. Cùm enim non omnes omnia poſſint, cur ad præfata exercitia inepti, privilegiis illis gaudere præſument, *De Opere* quæ nonniſi extrema urgente neceſſitate aliquibus conceduntur? Quemadmodum *Monach.* animadvertit S. Auguſtinus: Quando ergo non omnes poſſunt, *num. 21.* cur ſub hoc obtentu omnes vacare volunt? ſi verò de iis ſit ſermo, qui tum ex temporis inopia, tum ex virium imbecillitate, id omninò præſtare nequeunt, neceſſum eſt, ut hoc ab ipſis humilitate compenſetur, vel ſaltem laboris ipſius commendatione, & cum præ- *Ibid. num.* fato Sancto Doctore fateantur ſincero corde, ſe multò malle ad ma- *37.* jorem ſui ſpiritualem profectum per ſingulos dies ſtatis horis, prout in bene morigeratis Monaſteriis ſtatutum eſt, aliquid manibus operari, & orationi, ac lectioni vacare, quàm ad præfata ſtudiorum genera adſtringi; & quòd ſi poſſent, ſine Dei, & Superiorum tranſgreſſione imperii, ea abſolutè omittere, libentiùs ſortem eorum eligerent, qui tempus partim laborando, partim alia pietatis opera exercendo diſtribuunt, quàm ad illa occupari, quæ ut plurimùm ariditatem quamdam ingerunt animæ, eamque ad orandum, ut oportet, ineptam quodammodo reddunt: Mallemus hæc agere, quæ ut agatis hortamur, quàm ea, quæ nos agere cogimur. Quòd ſi inclytus hic Præſul, qui tam ſeriis Eccleſiæ negotiis, populoque a Deo ſibi tradito utilibus, jugiter vacabat, ſic de ſe ipſo ſentiebat; quid amabo de ſimplicibus dicendum Monachis, qui privata Majorum diſpenſatione à communi ad laborem onere declarantur immunes, ad quem ſinguli ex proprio inſtituto tenentur? & hoc eſt, quod animo ſæpe revolvens pius quidam Dei famulus nonnullis ſubinde Aſcetis calamo exaravit inquiens:

Veſca-

Num. 41. *Veſcamur ſaltem ſecundùm pœnam Adæ pane noſtro: ſi non poſſumus in ſudore laboris, ſaltem in lacrymis doloris; ſi non poſſumus in ſudore vultus noſtri, in dolore cordis noſtri. Magnam hanc jacturam profeſſionis noſtræ ſuppleat pietas, ac devotio conſcientiæ humilis.* Ita ſcribit piiſſimus Author Epiſtolæ ad Fratres de Monte Dei.

Abs re autem hìc non erit innuere, Authorem hunc non alium eſſe niſi Guillelmum S. Theodorici propè Rhemos Abbatem, intimum Divi Bernardi amicum, qui dictam Epiſtolam ſcripſit, cùm eſſet ſimplex Monachus Abbatiæ Segnorum in Belgio, quò ſe receperat, abrenunciato proprii Archiſterii regimine. Author iſte de variis diſſerens laborum Monaſticorum generibus, qui Monachis congruere magis videntur, inquit, eos præ aliis eligendos eſſe, qui ad ſpiritualia exercitia propiùs accedunt, cujuſmodi eſſet libros exarare: *Scribere quod legatur.* Hæc ſcribendi exercitatio valde in uſu erat inter Monachos ante typographicæ artis inventum; nec ullatenus ambigitur, quin in Ciſtercienſi Ordine, in quo ab ipſo ſui exordio ea multùm viguit, laboris manualis locum tenuerit. Quòd ſi res ita ſe habet, ut non ambigitur, arguitur inde, illorum laborem, qui vel elucubrandis, vel tranſcribendis Codicibus legitimè occupantur, manualis operis vices poſſe ſupplere; quod confirmatur exemplo Sanctorum Monachorum, ſub Divi Martini regimine viventium, quorum aliquot, ſeniores nempe, continuis orationibus erant intenti; cæteris verò, ideſt junioribus, haud aliud incumbebat onus, præterquàm volumina tranſcribere, ut jam alibi ex Sulpitio Severo ſupra notavimus. Hic pariter erat præcipuus veterum Carthuſianorum labor, ut teſtatur Petrus Venerabilis, aſſeveranter affirmans, quòd poſt ſilentii, lectionis, ac orationis horas, Antiquariorum artem jugiter exercebant, inquit enim: *Singulares cellas inhabitant, ubi ſilentio, lectioni, orationi, atque operi manuum, maximè in ſcribendis libris irrequieti exiſtunt.* (Lib. 2. de Mirac. cap. 28.)

Et ſanè ſi diligenter ſcrutemur quale onus ſit nedum Codices merè tranſcribere, verùm & alia ad publicam utilitatem in lucem edere, ut novas componere materias, reviſere, à mendis purgare, Sanctorum Patrum, & Authorum Eccleſiaſticorum opera conferre &c. Quis noſtrum inficiabitur, horum ſingula manuarii laboris vices poſſe ſupplere, dummodò cum pietatis fervore, humilitatis, ac pœnitentiæ fiant, ad Dei tantùm gloriam, ſpiritualemque Eccleſiæ, ac Proximi fructum? Hujuſmodi namque occupationum genera non ſine multo labore complentur. Hic eſt autem modus laudabilis panem ſibi lucrandi, otium vitandi, eleemoſynaſque, non tantùm ſpirituales, verùm & corporales erogandi Quinimmò hujuſcemodi labor, qui ſilentio, & quiete perficitur, optimè etiam conferre poterit ad veram cordis tranquillitatem, interiorumque paſſionum compreſſionem; dummodò virtuti laboremus, non gloriæ.

Fortè dixeris, vigilias, chameunias, jejunia, pluresque alias corporis voluntarias afflictationes, ſat bene pro laboribus poſſe computari. Inſuper cùm major Monachorum pars nunc temporis Sacerdotio initie-

initietur, & ad ſtatum Clericalem evehatur, propterea ab infimis manuum laboribus videntur immunes, non minùs ac Clerici, qui in ſæculo degunt.

Facile tamen eſt ambas objectiones ſolvere; quantum enim ad primam: Monaſticæ Regulæ, quæ Monachis manualem præſcripſere laborem, eoſdem nec propter jejunia, nec vigilias, aut alias corporis caſtigationes, ab ipſo reddidere immunes; quinimmò earum aliquot eo magis ad illum adſtrinxerunt, quò auſteriores fuerunt. Paulus Apoſtolus vitam proculdubio vel ipſi naturæ horridam agebat, quoniam præter vigilias, peregrinationes, prædicationem continuam, cæteraſque Apoſtolicas curas, corpus vehementer affligebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo;* his tamen non obſtantibus, manualia non prætermiſit opera, ut haberet unde, & pauperibus diſtribueret, & ipſe viveret: *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* *De Aſt. Apoſt. cap. 20.*

Quoad ſecundam verò de Clericali ſtatu, dico id non ſufficere, ut à præfato labore Monachi eximantur; quandoquidem ex antiquis Sacrorum Canonum ſtatutis ad illum etiam obligantur Clerici ipſi ſæculares, ut liquet ex Can. 52. Concilii Carthaginenſis, ubi ſic habetur: *Clericus victum, & veſtimentum ſibi artificiolo, vel agricultura abſque officii ſui dumtaxat detrimento præparet.* Item ex alio: *Omnes Clerici, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & literas diſcant.* Ne autem quis arbitretur Canones iſtos ſolùm pro inferioribus Clericis emanaſſe, nec ullatenus iiſdem comprehendi ſtudiis addictos, idem Concilium ſtatuit, ut inter Clericos, vel ſapientiores, ſive in ſacris literis doctiores, proprium victum quodammodo ſibi lucrentur; ſic Canone 51. *Clericus quantumvis verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.* Status itaque Clericalis non eſt ratio ſufficiens, ut Monachus à labore eximatur.

Sed quantumvis verum eſſet, Clericos ſæculares ab eo eſſe immunes; privilegium tamen hoc Monachis ſacri tantùm ratione characteris competere nequit. Cùm ſiquidem duplicatum onus ipſis incumbat, partes nimirum Clerici, & Monachi ſimul perſolvere, & cum opus manuale ſit debitum penſum Monaſticæ profeſſionis, ut jam alibi dictum, ipſum propterea non minùs ac quamlibet aliam regularem occupationem ſubire tenentur, niſi fortè curis aliis impliciti cum eo prorſus incompoſſibilibus, meritò exigant diſpenſari, ut dudum innui, hæcque eſt ratio, propter quam in Regula Magiſtri ſancitum eſt, quòd ſi contingat, Sacerdotes aliquos ſæculares ad Religionem tranſire, hòſque manualem dedignari laborem, ad proprias actútum Eccleſias remittantur; quandoquidem tantum abeſt, quòd ex Sacerdotali charactere ab eo eximantur, ut potiùs ex hoc reliquis teneantur eſſe exemplo, implendo ſcilicet in ſemetipſis præceptum illud, quod & cœteros edocere tenentur, videlicet: *Qui non laborat, nec panem ad manducandum habeat.* *Cap. 83.*

Fortiùs tamen poſſet objici quod ſcribit S. Auguſtinus, Monachos nempe ſibi temerè arrogare à manuario labore diſpenſationem, exemplo Apoſtolorum, aut virorum Apoſtolicorum ductos, qui Evangelicæ prædicationi jugiter incumbunt; Si enim contingeret, ipſos, vel in eodem Apoſtolico munere, vel Altaris miniſterio occupari, tunc meritò eamdem poſſent ſibi vendicare. En verba Sancti Doctoris: *Iſti autem Fratres noſtri temerè ſibi arrogant, quantum exiſtimo, quòd ejuſmodi habeant poteſtatem; ſi Evangeliſtæ ſunt, fateor, habent; ſi miniſtri Altaris, diſpenſatores Sacramentorum, bene ſibi iſtam non arrogant, ſed planè vendicant poteſtatem.* Ex quo inferri poteſt Monachos, cùm ferè quotidie nunc temporis Altaribus inſerviant, ſaltem juxta S. Auguſtini doctrinam, jus aliquod ad præfatam diſpenſationem habere.

De Opere Monach. n. 24.

Verùm ex univerſo Divi Auguſtini Tractatu de Monachorum opere ſat liquidò conſtat, mentem ipſius quantum ad hoc eſſe: Quòd ſi in præfatis muneribus Eccleſiaſticis tempus ita abſumatur, ut nihil prorſus ad laborem ſuperſit, ut reverà Apoſtolis contingebat (Monachi namque à S. Doctore ibi confutati, eorum adducebant exemplum) tunc ſanè vel ipſi poſſunt immunes à labore declarari; quemadmodum Sanctis iis Monachis fortaſſis obtigit, quos S. Joannes Chryſoſtomus in Phœniciam miſit ad infidelium converſionem. At verò reſpectu eorum, qui ſtatis dumtaxat horis, vel Altari ſerviunt, vel ad Eccleſiaſtica munia occupantur: *Propter Eccleſiaſticas occupationes.* Divus Auguſtinus utique vult eo tempore manualem poſſe intermitti laborem, non autem eumdem abſolutè negligi: Cæterùm perſpicuum eſt, Sanctum Legislatorem noſtrum Benedictum numquam cum Monaſteriorum Sacerdotibus ab illo diſpenſaſſe; de iis namque in Regula habet: *Scientes, ſe multò magis diſciplinæ regulari ſubditos*, nec enim occaſione Sacerdotii oblivisci debent regulæ obedientiam, & diſciplinam, ſed magis, ac magis in Deum proficere.

Cap. 62.

Nonnullæ inſuper difficultates contra laborandi opus proponuntur; Prima eſt: Quia Divus Pater Benedictus non alia ratione manualia videtur opera preſcripſiſſe, niſi ad vitandum otium, quod ſtudio planè fugatur; ſicut etiam ſentiunt Pater Heſtenus, & Pater Thomaſſinus De Diſciplina Eccleſiaſtica, aliique Viri celebres, Divum ſcilicet Benedictum eò tantùm in Regula ſua reſpexiſſe, exercitium manuale præſcribendo.

Opinio iſta ponderatione alia firmatur, unde nova conſurgit difficultas, videlicet, laborem exiſtimatum fuiſſe Monachis neceſſarium in prima tantùm ipſorum origine; cùm ſiquidem tunc parum, nihilve haberent, unde viverent, propterea manuum ſuarum labore victum ſibi comparare cogebantur, ne Reipublicæ omninò eſſent oneri; verùm nunc temporis, cùm annuis ſuſtententur redditibus, à manuario etiam opere videntur immunes, dummodo orationi, ac ſtudio jugiter vacent.

Poſtremò additur, quòd cùm Sacra Chori Synaxis, cui diu, noctuque Monachi interſunt, eo augmenti noſtra hac tempeſtate devenerit,

rit, ut penè videatur intolerabilis; & cùm potior Monachorum pars Sacerdotali ſit inſignita charactére, proindeque inevitabili addícta oneri Miſſam frequenter, ne dicam quotidiè, celebrandi, ipſis propterea modicum vix temporis ſupereſt, quo manuario ſe dedant operi, ſi pauxillum ſaltem ad legendum iiſdem concedere velimus.

Quamquam difficultates iſtæ jam à nobis ſupra enodatæ ſunt, nonnulla tamen hìc adjiciam, ut liquidiùs reſolutæ remaneant. Principio itaque conſtat, Divum Benedictum eatenus præfatum laborem in regula præſcripſiſſe, quatenus otium, omnium ſentinam malorum, per eum vitaretur; ſed quòd ipſe autumarit, ob lectionem, aut ſtudium tantùm, quemquam poſſe ab eo declarari immunem, nullibi legitur. Ponderemus quæſo ejus verba: *Otioſitas*, inquit, *inimica eſt animæ; & ideò certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione Divina.* Iiſdem fere terminis utitur Sanctus Auguſtinus hanc materiam pertractando. Si igitur Divus Benedictus arbitratus fuiſſet, laborem, aut lectionem ſingillatim ſumpta, ad otium amandandum ſufficere, proculdubio id alternatim intelligendum declaraſſet; ſed ut liquet, non utrumlibet, ſed utrumque collectivè ſumpſit; Quocirca ſtatuit ad omnigenam otii fugam, Fratres in lectione, atque labore occupandos eſſe. Inſuper ratione idipſum evincitur. Cùm ſiquidem homo ex corpore, & ſpiritu (ut innui) phyſicè coaleſcat, nedum ad alterutrum, ſed ad utrumque ex dictis tenetur incumbere; Si enim corpus tantummodo exerceatur, ſpiritus otio tabeſcit; ſi verò ſpiritus ſolùm occupetur, corpus torpori, ac inertiæ ſenſim immergitur; experientia quippe docemur, ex diuturno ſtudio corpora paulatim langueſcere, animumque ex iſto languore adeò proſterni, ut ad orandum ſocors, & ad Divinorum contemplationem hæbes efficiatur. Jejuniis, vigiliis, & chameuniis corporis quidem vitia emendantur, ſed exercitationis locum in eo non habent. Si ergo lectioni, ac ſtudio corporalis quoque labor jungatur, & utrumque oratione animetur, mira fiet diſpoſitio, & promptitudo in corpore, vividior item ſpiritus, ac expeditior erit, adeòut liberè in Deum ferre ſe queat. Tandem juxta Sanctorum Auguſtini, & Iſidori Hiſpalenſis mentem, lectioni ipſi contumeliam irrogamus, niſi laborem ab ipſa commendatum, ſuperaddamus.

Cap. 48.

De Opere Monach. n. 37.

De Opere Monach. n. 20.

Perſpicuum igitur eſt ex dictis, quòd ſola primorum Cœnobiorum egeſtas, quæ à S. Patre Benedicto fundata ſunt, haud ipſum induxit ad laborem Monachis præſcribendum, ſed potiſſimum ejus intentum fuiſſe, ut corporis otium ab iſtis arceret, ne ſpiritus inde torpeſceret, aut accedioſus evaderet. Non inficior tamen ab eodem mox ſubdi: *Quòd ſi neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur &c.* Verùm hoc tantùm videtur innuere, quòd extra paupertatis, vel urgentis neceſſitatis caſum, ab hujuſmodi queant operibus eximi, & quod ſæcularibus operariis poſſit iſtorum cura dimitti; quare, ut patet, ibi non agitur niſi

de ſingulari ſpecie laboris. Et ſanè plerique ex Sanctis Patribus autumarunt, opera, quæ fiunt extra Cœnobiorum Clauſtra, non omninò Monachis congruere; ex ipſis enim plerumque ſequitur mentis evagatio, occaſione nimirum ſæcularis conſortii. Exemplum notatu dignum ſuper hoc legitur in Dialogis Divi Gregorii. Dum enim quadam die in Monaſterio Montis-Soractis vetus oleum deeſſet, jamque colligendæ olivæ tempus imcumberet, ſed fructus in oleis nullus appareret, viſum Abbati fuerat, ut circumquaque Fratres in colligendis olivis ad exhibenda extraneis opera pergerent, quatenus ex mercede ſui operis aliquantulum Monaſterio oleum deportarent. Sed Vir Domini Nonnoſus ejuſdem loci Prior, hoc fieri cum magna humilitate prohibuit, ne exeuntes Fratres de Monaſterio, dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Et ob iſtam rationem S. Iſidorus agrorum opera ruſticis laicis vult eſſe magis conſentanea, quàm Monachis, quibus non aliud pro manuali labore commendat, niſi communis viridarii cultum, & quidquid ad proprium ſpectat alimentum.

Lib. 1. Dialog. cap. 7.

Cap. 5.

Sed ut ad rem noſtram regrediamur: In Monaſteriis Ægypti nemini, juxta Divi Hieronymi traditionem, permittebatur Religionis ingreſſus, quin eſſet ad laborem idoneus, nedum ad comparanda ſibi victui neceſſaria, verùm ut inde facilior Monachis ad ſalutem haberetur acceſſus; ſic quippe prava quæcumque cogitatio radicitùs amputabatur, quæ præſertim ex otio naſcitur, atque laboris defectu: *Erat in primordio Monaſtici ſtatus iſta conſuetudo Monachorum, ut nullum ſine labore admitterent in ſui conſortium, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagaretur pernicioſis cogitationibus mens &c.* Notandum tamen eſt, quod Doctor paulò poſt ſubdit, ſeipſum nempè à præfatis moleſtis tentationibus intenſa animi applicatione ad ſtudia liberaſſe, addiſcendo inter alia Hebraicam linguam, ſub cujuſdam Judæi diſciplina, ad fidem converſi. Porrò idem Sanctus in Epiſtola ad Demetriadem Virginem inquit: ipſam à manuali labore neutiquam poſſe ſe reddere immunem, nullius licet rei indigam, ſed magis ad illum teneri, ut hac ratione omnis ejus cogitatio in Deum feratur: *Nec idcircò tibi ab opere ceſſandum eſt, quia Deo propitio nulla re indiges, ſed ideò cum omnibus laborandum eſt, ut per occaſionem operis nil aliud cogites, quàm quod ad Domini pertinet ſervitutem;* & cum Divo Auguſtino ſubdit, ipſam in hoc longè magis Deo placituram, quàm ſi pauperibus cuncta bona ſua diſtribueret. Trithemius Abbas idipſum ſentit reſpectu Monachorum; quod ut efficaciùs ſuadeat, iiſdem utitur Divi Hieronymi verbis in Epiſtola ad Ruſticum Monachum. Quamobrem non inficior, ex minori, qua hoc ævo egeſtate laborant Cœnobia, non adeò ad manuale opus, ut alias, Monachos adſtringi; Verumtamen ipſum ſubire identidem debent, tum ut corporis naturalem torporem eliminent; perduelles doment paſſiones, tum ut regularis diſciplinæ, ac Monaſticæ conditionis ſervetur integritas; item ut indigentibus neceſſaria ſuppeditent,

Hierony. Epiſt. ad Ruſtic.

Homil. 7.

Digitized by Google

ditent, & ut Confratribus ſuis, mundo, & poſteris ædificationem præſtent.

Ex hactenus dictis ſequitur, à Monachis cenſus licèt redditusque habentibus, manuales non recuſandos eſſe labores, non minùs quàm ab aliis iiſdem omninò carentibus; Monachorum namque omnium proprium eſt ſine intermiſſione pœnitentiam agere; quòd ſi ex pia fidelium devotione, & charitate aliquot Cœnobiis impertitæ ſint facultates, hoc ideò factum eſt, ut ipſorum laboribus ſuppleretur; quia cum ſpiritualibus exercitiis in primis vacare tenerentur, nullum ipſis tempus ſupererat, ut victui neceſſaria proprio manuum labore ſibi compararent. A Divo Auguſtino præfata piorum ſubſidia, Cœnobiis in eleemoſynam tradita, ſatis commendantur: *propter infirmitates corporales aliquorum, & propter Eccleſiaſticas occupationes, vel eruditionem doctrinæ ſalutaris.* Ubi notatu dignum eſt, talia fidelium ſupplementa a S. Doctore approbari, etiam facta in gratiam eorum, qui ſtudiis ſe dedunt: *Propter eruditionem doctrinæ ſalutaris.* Quod inſuper paulò infra confirmat, unicam hanc rationem afferens pro eorumdem ſubſidiorum comprobatione: *Ad hoc enim & illa bona opera fidelium ſubſidio ſupplendorum neceſſariorum, deeſſe non debent*, ut horæ, quibus AD ERUDIENDUM ANIMUM ita vacatur, ut illa opera corporalia geri non poſſint, non opprimant egeſtate. Legi etiam poterit ſuper hoc epiſtola ad Fratres de Monte Dei cap. 8. Verùm quamvis ratione hac nonnihil ſuadeatur, manuum laborem interdum minui, vel intermitti, nihilominùs perperàm inde arguitur, eumdem penitus abrenunciari poſſe.

De Opere Monach. num. 19.

Num. 20.

Scio utique, Patrem Thomaſſinum poſt Hæftenum, nonnulloſque alios ſentire, opus manuarium à S. Patre Benedicto propoſitum fuiſſe, ut ablegandis potiùs otii vitiis inſerviat, quàm vel neceſſitati parandi victus, vel Monaſticæ profeſſionis explendæ; & quòd per Sanctum Legiſlatorem non ſtabat, quin tam opima eſſet omnium Monachorum dos, ut nunquam neceſſe eſſet eorum penuriæ recreandæ accedere doti manuum laborem; Quod totum inquit, ſe manifeſtè colligere ex verbis Regulæ, quæ jam ſupra perpendimus. At puncti hujus deciſionem prudentum relinquo lectorum judicio, cùm mihi ſit ſatis propoſuiſſe fundamenta, ut oppoſitam fulcirem ſententiam.

Diſcipl. tom. 1. pag. 389.

Quamquam autem nullam redargutionis notam cæteris argumentis inurere intendo, quæ a docto iſto Viro congeruntur, ut probet, quòd etiamſi manualis labor in quibuſdam Cœnobiis veluti lex inviolabilis indictus fuerit, hæc tamen univerſalis non erat, cum Sanctus Papa Gregorius, aliique plures, Monachos à dicto labore abſolutè exemerint; me tamen cohibere nequeo quin addam, omnibus penè rationibus, quæ ab ipſo afferuntur, dumtaxat ſuaderi, quòd qui ad laborem erant inepti ab hoc declarabantur immunes ratione propriæ imbecillitatis; & quòd complurium Monachorum potior exercitatio in tranſcribendis Libris conſiſtebat. Utrumque ſanè fateri cogor; & ex iis, quæ ſupra innui, ſat liquidò conſtat, quòd qui

ex corporearum virium, ſive reali, ſive affectata imbecillitate, ſe excuſabant ab opere, ad hoc non multùm premebantur: hæc quippe, ut aliàs notavi, fuit etiam Divi Auguſtini mens, operæ nimirum pretium tunc eſſe illorum conſcientiæ hoc totum dimittere.

S. Iſidorus Hiſpalenſis inquit, quòd qui ob infirmitatem corporis operari non poſſunt, humaniùs, clementiùſque tractandi ſunt; qui verò ſani ſunt, & fallunt, proculdubio dolendi, atque lugendi ſunt, cùm ſpiritu, non corpore laborent; continuò tamen adjicit, quòd ſi conſtet eos in hoc hallucinari, ad laborem prorſus ſunt compellendi. Quoad illos verò, qui ſunt reverà inepti, proprii cordis intima eos coram Deo ſcrutari oportet, & ſi inveniant ſuamet culpa talem impotentiam iniiſſe, ut molliuſculè viverent, tunc ſeriò ingemiſcent, eò quod operari non valeant, cùm appetunt, cum jam ſponte noluerint cùm poſſent, ut egregiè ſcribit Guillelmus Abbas S. Theodorici in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei cap. 13.

Regula c. 5.

Cæterùm non ambigitur, quin attenta qualitate laboris, juxta ſingulorum vires fas ſit hunc moderari. Priſcis temporibus nullum opus manuale Monachos magis decebat, quàm ſacræ lectionis libros ſcribere, & ſcribentibus aliis neceſſaria præparare. Jam ſupra meminimus quantum hoc operis genus ſuper omnia Caſſiodorus commendet. Trithemius idipſum ſentit Homil. 7. & in Opuſculo ſpeciatim à ſe elucubrato de laude Scriptorum manualium. Et reverà hæc inter ceteras, ſic referente Palladio, erat exercitatio Diſcipulorum S. Pachomii. Item Divus Hieronymus inter Monachorum opera hoc quoque recenſet: *Scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur.* S. Ferreolus in Regula præcipit, quòd paginam pingat digito qui terram non proſcindit aratro; & ſubdit, inter cætera Monachorum opera iſtud eſſe præcipuum. Sanctus quoque Nilus Junior, ut capite ſequenti videbimus, huic tantùm vacabat operi; ſicut & Monachi S. Martini. Pius item Author libri de Imitatione, non aliud, præter ſcribendi opus Regularibus præſcribit, dicens: *Scribe, lege, ora, &c.* Denique Gregorius Turonenſis ſcribens de Sancto quodam Recluſo ſuæ Diœceſeos inquit: *eidem labori operam navaſſe, ut ſe à noxiis cogitationibus diſcuteret.*

Cap. 39.
Epiſt. ad Ruſtic.
Cap. 28.
Lib. 3. c. 47.
De Vita PP.

Poſtremò non inficior, Sacram Chori Synaxim ab ultimò elapſis ſæculis multùm accreviſſe. Quamplures Sancti Viri ſuper hoc conqueſti ſunt; & præ aliis Venerabilis Potho, à nobis cap. 4. ſupra relatus, non modicùm in hanc introductam conſuetudinem invehitur, quam veluti totius Regularis diſciplinæ, vitæque interioris enervationem indigitat: Cantandi uſus cùm ſit apud nos continuus, & vix aliquando ad momentum intermitti ſoleat, cætera vitæ ſpiritualis exercitia, hoc eſt legendi, meditandi, & operandi ſtudia, quibus & corpus exerceri, & mens multùm proficere poſſet, nobis quaſi interdicta eſſe videntur. Petrus item Venerabilis hanc ipſam Pſalmodiæ, & Choralium functionum prolixitatem affert, ut occurrat reprehenſionis notæ, quam Cluniacenſibus Monachis Ciſtercienſes inurebant,

Sub fin. l. 3.

eò

eò quòd manualia opera viderentur ex toto negligere. Quamvis autem noſtro hoc ævo horæ Canonicæ non adeò, ut olim, apud nos protrahantur; nihiloſeciùs tempus illud inde nobis adimitur, quod ad operandum S. Benedictus præſcribit in Regula. Manifeſtum tamen eſt, ſapientem hunc, diſcretumque Legiſlatorem ſtatas horas in opere abſumendas haud prædefiniiſſe per modum legis inviolabilis, ſed eas ſolummodò indicare voluiſſe veluti diſpoſitionem quamdam, ac normam, quam rationabilem omninò arbitrabatur: *Credimus; relinquendo in Abbatis poteſtate, quatenus præfatum tempus juxta prudentiæ, ac diſcretionis leges, valeat moderari, & opera, quæ injungit, tali ratione temperet, ut & fortes ſint, qui cupiant, & infirmi non refugiant.*

In Congregatione S. Mauri, manualis ſingulorum dierum labor ad horæ unius ſpatium redactus eſt, præter communis menſæ miniſterium, ad quod ſinguli alternatim tenentur; aliaſque peculiares Monachorum occupationes. Qui autem hujuſmodi explent fideliter opera, proprii etiam inſtituti, necnon Regulæ, quam profitentur, oneri valent hoc modo ſatisfacere; ea namque taliter expenſa ipſorum corpori, ac ſpiritui non modicum conferunt emolumentum.

Verùm utcumque interſit manualis Monachorum labor, adhuc tamen non tanti penditur, ac cætera pietatis exercitia, in quorum gratiam aſſumendus eſt; quinimmò ſi contingeret, alterutrum ex his, laborem nempe, vel lectionem, aut ſtudium omitti debere, illum potiùs præ hoc dimittendum eſſe conſulerem. Sic inter alios ſentit Divus Fulgentius, qui, ut cap. 5. ſup. notavimus, longè minori æſtimatione dignos Monachos reputabant, labori magis, quam ſtudio vacantes, ac illos, qui ad laborem inepti, operam ſedulò impendebant lectioni, ac ſcientiæ Scripturarum Sanctarum. S. Joannes Chryſoſtomus, ante citatum Doctorem, jam ſatis aperte ſe idipſum ſentire ſignificaverat; in opere quippe de Providentia à ſe edito, Stagiræ Monacho, in cujus gratiam illud elucubravit, teſtatur, ſe neutiquam approbaſſe præteritam vitæ ejus normam, eò quòd ſtudium, lectionemve negligens, toto conatu, intenſaque animi applicatione, ſui tantùm viridarii arborum cultui jugiter intentus fuiſſet.

V. Epiſt. ad Fratr. de Monte Dei n. 21. & n. 32.

lib. 1. cap. 10.

C A P U T XV.

Traditio ſtudiorum intrà Cœnobia, & potiſſimùm Orientis.

QUamvis à nobis hactenus ſcripta manifeſtè demonſtrent uſum, ac praxim Studiorum Monaſticorum à prima inſtitutione Cœnobiticæ vitæ uſque ad hæc ultima ſæcula; non abs re tamen erit eamdem praxim hìc magis oſtendere per explicitam ſæculorum ſeriem, in quibus ea floruere, incipiendo primùm à Græcis, quibus ipſa Monaſticæ vitæ primordia debemus. Nolo tamen hìc exactam inſignium virorum ſeriem ſingillatim recenſere, qui

propria doctrina celebres in Monaſteriis evaſerunt; longum quippe nimis eſſet hoc agere; ſed præclariores dumtaxat referam, quos huic ſtabiliendæ traditioni opportuniores arbitrabor.

Exordiar itaque ab illuſtri Martyre S. Luciano, qui, ut ex actibus ſuæ vitæ nobis compertum eſt, ab adoleſcentia Monaſticum inſtitutum amplexus, adeò pietati ſcientiam copulavit, ut à propria ſolitudine extractus, Sacerdotio Antiochiæ initiatus fuerit, ubi etiam Sacram paginam explanavit, cujus prima rudimenta à Machario Edeſſæ commorante didicerat. Sanctus iſte Monachus Lucianus totus erat in tranſcribendis libris, ex cujus laboris emolumento victitabat, & indigentibus erogabat, quæ ſibi ſupererant. Martyr occubuit ſub Maximino Anno 312.

Cùm Divus Athanaſius Epiſtolam Dracontio Monacho ſcripſit, qui Epiſcopatus munere fungi renuebat, ad quem Vir Dei ipſum deſtinarat, jam plures aderant Epiſcopi ex Monachorum Cœtu ſelecti, ex quibus ſeptem in dicta Epiſtola ab Athanaſio numerantur, qui Epiſcopatus tempore eaſdem prorſus diſciplinæ regularis leges, & auſteritates ſervabant, quas in propriis Cœnobiis multò ante ſubierant. Inter hos erat Serapion Thmuitenſis Epiſcopus, qui Divinitatis Jeſu Chriſti propugnator acerrimus extitit, & ob rarum ingenium, eminentemque doctrinam Scholaſticus appellatus. Hunc autem tanti faciebat Athanaſius, ut propria ſcripta ejus cenſuræ libentiſſimè traderet. Sanctus quoque hic Doctor Monaſticum inſtitutum plurimum commendans, cùm inter Monachos communem vitam degentes ſe recepiſſet, quando ad Arianorum furorem declinandum, Alexandria fugere compulſus fuit, unà cum illis aliquandiu pietatis operibus, cæteriſque humilitatis excercitiis ſe dedit, iiſdemque quamplura documenta ſalutaria reliquit. Inſuper alios Thebaidis inviſit Anachoretas. Præter recenſitos Epiſcopos, duo alii leguntur, qui unà cum S. Pachomio, cujus diſcipuli fuerant, cuidam Synodo interfuere.

Hieronym. de Script. cap. 99.

Pachom. Vita 72.

Flavianus, ac Diodorus, Monachi Antiocheni, Orthodoxæ Fidei dogmata viriliter eodem tempore propugnarunt; reſtiterunt Leontio Ariano, feliciquе eventu pacem inter Catholicos ſolicitè procurarunt. Diodorus Athenis ſcientias didicerat, Tarſique Antiſtes dein creatus eſt. In defenſionem Fidei fortiter adeò, ſtrenuèque ſe geſſit, ut Juliani Apoſtatæ odium ſibi compararit. Duos tractatus, quos adverſùm Hæreticos edidit, ad Sanctum Baſilium miſit, quorum unus adeò placuit, ut ejuſdem exemplar prò ſe confici juſſerit; alterum verò, utpotè rhetoricis fucatum coloribus cincinniſque phaleratum, unde ſermonis puritas nonnihil lædi videbatur, nulla facta tranſcriptione remiſit.

Theodor. lib. 2. Hiſt. c. 20. lib. 5. c. 24.

Baſil. epiſt. 107.

S. Pachomius, qui vernaculum dumtaxat Idioma, Syriacum nempe, callebat, Atticum etiam didicit, ut Græcos ſub ſui diſciplina poſitos erudiret. Ammon Epiſcopus de ſe teſtatur, quòd cùm Tabennam decimo ſeptimo ætatis anno ſe recepiſſet, Theodorus Abbas, S. Pa-

Pach. Vita n. 7 apud Bolland.

Ibid. pag. 349. col. 1.

S. Pachomii diſcipulus, ipſum tradidit ſub magiſterio Theodori [*De Scriptor. c. 9.*] Alexandrini, & Auſonii, ut ad exactam Scripturæ Sacræ notitiam pertingeret. Orſieſius etiam ejuſdem S. Pachomii alumnus, erat in iſto ſciendi genere verſatiſſimus; ut refert Gennadius, à quo ſummopere commendatur quoddam ejus opuſculum apud nos extans in Regularum Codice.

Divus Baſilius circa Annum 358. poſtquàm Ægypti, Aſiæque Anachoretas inviſit, in ſolitudinem quamdam Provinciæ Ponti ſe recepit, ubi Monaſterium ædificavit, eòque S. Gregorium Nazianzenum ſibi intimum, pleroſque alios traxit, quibus tamquam Ducem, Rectoremque ſe præbuit. Sacerdotio dein initiatus, cùm aliquandiu Cæſareæ concionatus fuiſſet, in Ponti ſolitudinem remeavit, cunctorumque illius regionis Cœnobiorum curam ſuſcepit, compoſuitque [*Regul. fuſ. interrog. 15.*] in gratiam ipſorum fuſiores, & breviores quaſdam Regulas. Porrò in hiſce Monaſteriis minoris ætatis pueri recipiebantur, unde is inter cætera ſtatuit, ut ibi Præceptor, ſeu ludi magiſter adeſſet ad eos literis imbuendum, cum hoc tamen, ut neglectis omninò profanis Hiſtoriis, ſacras tantummodo edocerentur; item quòd exiguis quibuſdam præmiis ἆθλα dictis allicerentur, quatenus à ſe lecta libentiùs memoriæ mandarent. Inſuper ibidem præcipit, horum puerorum domicilium à Monachorum cellis ſegregandum eſſe, ne iſti fragorem faſtidirent, dietim faciendum in gymnaſtica illorum exercitatione. Præclarus iſte Dei famulus in ſolitudine degens, totus fuit in ſcientia Scripturarum Sanctarum, necnon in operum quorundam elucubratione, tum ad Eccleſiæ, tum propriorum Monachorum ſpirituale emolumentum. Scripſit epiſtolam ad duos Monachos ex pluribus in Monte Oliveti commorantibus, inter quos nonnullæ diſceptationes, contentioneſque fuerant exortæ ob aliquot dubia ad ineffabile Incarnationis Myſterium pertinentia, ipſoſque ad illorum deciſionem à Nicæno Concilio factam ibidem remiſit; pleraque item documenta iiſdem miſit quoad latriæ cultum Spiritui Sancto debitum. Ex quibus palàm infertur, quòd à Monachis iſtis jam tum præfata ſtudia colebantur; & tamen Divus Baſilius nullam ſuper hoc reprehenſionis notam ipſis inuſſit. Alia inſuper rei hujus ſuppetit ratio, videlicet, quod Sanctus Gregorius Nazianzenus ad Cledonum Monachum duos direxit ſermones, quos adversùs Apollinaris hæreſim concinnarat.

Circiter Annum 372. vivente Imperatore Valente, perfido Arianorum fautore, Monachi Ægypti varias ob Fidem Catholicam ſuſtinuerunt perſecutiones, ſolidiſque argumentis Arianæ hæreſeos fundamenta refutarunt. Inter iſtos SS. Confeſſores, undecim numerabantur Epiſcopi. Petrus Alexandrinus hoc ipſos elogio commendat: *Ubi primùm pietatem cum lacte à Nutricibus propriis ſuxerunt, ſe ab ineunte ætate erémo ſacrarunt, ut vitæ Monaſticæ ibidem ſubirent onera, humilique exercitatione complerent.*

Biennio elapſo S. Joannes Chryſoſtomus abiit in Montana Antiocheni

ni Deſerti, ubi quadriennium vixit, unà cum cæteris Monachis inibi degentibus. Magiſtrum in Scripturis Sanctis Carterium habuerat, qui etiam is fuiſſe creditur, qui Exarchus fuit Cœnobiorum Antiochiæ. Sodales habuit in iſto ſolitario receſſu Germanum, ac Teodorum, qui poſtmodùm Mopſueſtiæ, Caramaniæ Urbis, Præſul fuit. Palladius Vitæ S. Joannis Chryſoſtomi Author tradit, hunc Dei famulum, conſumpto quadriennio ſub directione cujuſdam Monachi, natione Syri, ſe ſolum in antro quodam occuluiſſe, ubi penè inſomnis biennium vixit, totumque novum Teſtamentum memoriter didicit. In aſpera quoque Montium iſtorum ſolitudine apologiam vitæ Monaſticæ exaravit, primumque de compunctione librum in gratiam Demetrii Monachi, alterum de providentia reticendo, ab ipſo paulò poſt ſcriptum in gratiam Stagiræ nobilis adoleſcentis, qui etiam in dicta erémo Monaſticum induerat habitum, ubi S. Joannes Chryſoſtomus eum optimè noverat.

Sozom. lib. 3. cap. 32. Eadem ferè tempeſtate S. Epiphanius juvenili adhuc ætate ſe Religioni ſacravit. Ad inſtantiam Acacii, & Pauli Abbatum in Syria opus de 80. Hæreſibus compoſuit. Tractatum pariter de Fide, qui Anchoratus inſcribitur, ad Sacerdotes quoſdam direxit, quorum aliquot Religioſi erant; undè liquet quantùm Monachi jam tum hujuſmodi ſcientiis, materiiſque vacarent. Effari ſolitus erat, quòd ii, qui ſpirituales libros emere ſibi poterant, id quam primùm preſtare deberent; ſola quippe iſtorum lectio eos ad virtutem brevi trahere poterat.

Hoc ipſo tempore diſſidium ingens in Nitriæ Egypti Deſerto ortum eſt, occaſione Origenis operum. Contentionis hujus cauſa fuit Theophilus Patriarcha Alexandrinus, cui adhærentes cuncta Monaſteria continuò occuparunt, Sanctorumque Monachorum cellas flammis tradidere, qui numero tercenti, aliò inde tranſmigrare ſunt coacti, inter quos aderant S. Iſidorus Hoſpitalarius, in Scripturis Sacris verſatiſſimus, qui à S. Athanaſio Sacerdotio initiatus fuerat, & quatuor inclyti Fratres, Dioſcorus, Ammonius, Euſebius, & Euthymius. Ammonius Scripturarum intelligentia eminebat, Operumque Origenis, Didymi, Pierii, & Stephani lectioni aſſiduè deditus erat. Sat ſit prout ad rem noſtram, iſta notaſſe, plura namque legenda occurrunt in Monachorum Orientis Hiſtoria, quæ ad iſtam traditionem texendam mihi ſummoperè profuit. Hoc unum ſubdam, hinc nempe argui, præfatos Monachos univerſim fuiſſe Origenianis libris valde applicitos, quorum etiam lectionem, aliquot tantùm errorum prætextu, cuilibet interdicendam negabant.

Palladius Galata, ex Monacho ad Epiſcopatum Helenopolitanum evectus, ſe pariter in Nitriæ ſolitudinem vigeſimo ætatis anno recepit, ibique ſub Dorothei diſciplina aliquandiu vixit, ad quem à S. Iſidoro Hoſpitalario miſſus fuit. Hic ille eſt Palladius Author Hiſtoriæ Lauſiacæ, ſic dictæ, eò quòd nuncupata fuit Præfecto cuidam, nomine Lauſo. Sed utrum is vitæ S. Joannis Chryſoſtomi ſit etiam Author adhuc ambigitur.

Eva-

Evagrius Ponticus eamdem quoque Nitriæ Erémum diu incoluit.
Perfectè ſcribendi artem callebat, & ut victum ſibi compararet, vo-
luminum traſcriptioni operam dedit. A quibuſdam creditur Author
ſecundi libri vitæ Patrum Deſerti, & quòd iſtum Rufinus tantummo-
dò traduxerit. Verùm quidquid ſit de hoc, Socrates plurium alio-
rum operum ſeriem ei adſcribit, ſpiritualium quidem, at doctrinam, *Lib. 4. cap.*
eruditionemque variam continentium. Dominus Bigotus poſt Divi *23.*
Joannis Chryſoſtomi vitam, tractatum edidit præfati Authoris, qui
fuit Origeniſta.

S. Ephrem Syrus, nedum ſanctitate, ſed & doctrina, literariiſque
operibus inſignior, præ aliis etiam magis commendatur. Cæſaream
data opera ſe contulit, ut S. Baſilium inviſeret, à quo ſummo hono-
re, ac humanitate fuit exceptus. Cùm Edeſſam rediiſſet, eximio
zelo populos illos in fide imbuit, ſed ne minimum quidem ſolitudi-
nis, ac Monaſticæ converſationis rigorem intermiſit. Propriæ do-
ctrinæ, virtutumque ſplendore, talem ſibi nominis gloriam compa-
ravit, ut jam ſub finem quarti ſæculi in quibuſdam Eccleſiis (ſic te-
ſtante Hieronymo) publicè ipſius legerentur Opera, poſt Sacræ Pagi-
næ lectionem. Sanctus hic Diaconus Hom. 47. multifaria Monacho-
rum ſui ævi exercitia recenſet, quorum aliquot volumina tranſcri-
bebant, alii textoriam exercebant artem, alii calathos, alii demum
membranas murice tinctas extendebant, in quibus aureo, vel ar-
genteo charactere ſcribere conſueverant. Ibidem quoque Librarios
monet, quatenus adamuſſim ſacra tranſcribant volumina, eaque,
quæ in propriis cellis ex communi Bibliotheca detinent, omni ſtu-
dio curent, ne vel minimam jacturam patiantur, quinimmo tam-
quam res ſacræ attrectentur.

Quarto huic ſæculo finem imponam, Sanctos dumtaxat Epiſcopos
referendo, Porphyrium videlicet Gazæ, Petrum Sebaſtæ, S. Baſilii Fra-
trem, & Aſcolum Theſſalonicæ, ab eodem S. Baſilio præcellenti in ho-
nore habitum, ſicut & à S. Ambroſio, & S. Damaſo Pontifice Maximo.
Sancti Petrus, & Aſcolus à teneris annis Monaſticum amplexi ſunt inſti-
tutum, & an. 381. aſtiterunt Œcumenicæ Synodo Conſtantinopolitanæ.

Quintum ſæculum aggrediar, Sanctorumque illorum Monachorum
miſſionem primò indicabo, quos Sanctus Joannes Chryſoſtomus in
Phœniciam miſit ad fidem orthodoxam illis gentibus promulgandam;
quod fauſtiſſimo perſolverunt exitu; propriis enim exemplis, & do-
ctrinis Idololatras illos converterunt; ſuper quo Sanctus is Doctor ſum-
mis eos laudibus extollit.

Sat ſuperque foret Divum Hieronymum in teſtem adducere, ut
evincatur, Monachos licite poſſe ſtudia literarum excolere. Quot
enim ipſe revolvit volumina, quot ſuſcepit, ſuſtulitve labores, ut
Eccleſiam egregiis illuſtraret doctrinis! Alexandriæ Didymo Magi-
ſtro operam dedit, quem Monachum fuiſſe Palladius ſcribit. Com-
mentaria in Jeremiam Prophetam, & S. Matthæum, nuncupavit Eu-
ſebio

ſebio Cremonenſi Presbytero, & Bethleemitici Cœnobii Monacho, in quo etiam S. Doctor aliquandiu vixit. Cætera verò ab ipſo edita in Malachiam Prophetam, Minervæ, & Alexandro Monachis Tholoſanis. Pleraque item alia Sanctimonialibus dicavit. Inter multos, qui è Galliis in Palæſtinam, ipſum inviſendi cauſa, tranſmigrarunt, duo in primis memorantur, Poſthumianus nempe, qui ſex menſes apud ipſum fuit; indeque Ægyptum perluſtravit, ut Sanctorum ibi degentium Anachoretarum colloquiis frueretur; & Ruſticus Monachus, cui in quadam epiſtola exactam totius vitæ Monaſticæ normam expreſſit. Monachos hortatur, ut jugiter librum aliquem manibus geſtent: *Nunquam de manu, & oculis recedat liber*. Item ipſos monet, ut ad ſcribendum non tam citò proſiliant, ſed multo tempore priùs diſcant, quod doceant. Inter cæteras Monachorum exercitationes Antiquariorum artem ſummopere commendat. Quamobrem perſpicuè colligitur, quàm gratis adversùm nos S. hic Doctor objiciatur, quòd Monachorum ſtudiis obſtiterit; plus namque nos quoad hoc ejus movent exempla, quàm verba, & ſi hæc nobis palàm contradicerent. Perlegi poteſt Horſtii explanatio, in notis editis in Epiſtolam 89. Divi Bernardi; Item in Monaſtica Orientis Hiſtoria pag. 273.

Unà cum Divo Hieronymo à nobis proponitur Rufinus Monachus, Presbyter Aquilejenſis, cujus ſtudia generatim ſumpta (quibus mirum in modum impendit operam) non obſtantibus pleriſque inter ipſum, Sanctumque Doctorem literariis colluctationibus, neutiquam ab ipſo reprehenſa legimus. Librum Vitæ Patrum compoſuit, ſic flagitantibus Monachis Montis Oliveti, in quo Theonis Abbatis mentionem facit, Latinæ, Græcæ, ac Ægyptiæ linguæ peritiſſimi.

Homiliæ Neſtorii delatæ in Ægypti ſolitudinem, pacem inter illos Monachos planè turbarunt; Plerique namque ipſorum cæperunt invicem controvertere, num inhærendo principiis Catholicæ Fidei, jure poſſent Beata virgo Maria veræ Dei Genitricis titulum ſibi vendicare? Quod ſubinde Cyrillum Patriarcham Alexandrinum impulit ad Epiſtolam ipſis exarandam, quæ Presbyteris, Diaconibus, Religioſis Patribus, & quibuſcumque ſolitariam cum iſtis vitam degentibus fuit nuncupata.

Hoc ipſo ævo Caſſianus, & Germanus ejus ſocius, egreſſi ſunt de Bethleemico Archiſterio, ut præfatos Monachos inviſerent, quorum collationes is retulit, ex quibus profectò liquet, quantùm pietate, Divinarumque Scripturarum ſcientia pollerent. Caſſianus ipſe excellenti fuit ingenio præditus, & Magiſtrum habuit Sanctum Joannem Chryſoſtomum, à quo etiam Diaconus ordinatus fuit. Tractatum de Incarnatione expreſsè contra Neſtorium edidit, ſic inſtante Leone, tunc S. R. E. Archidiacono, & ad Summum Pontificatum poſtmodum evecto.

S. Iſidorus Damiatenſis, & S. Nilus ſenior adeò propriis ſcriptis, virtutumque cumulo ubique gentium celebrantur, ut authentica horum atteſtatio prorſus ſufficeret ad literarum ſtudia in Monaſteriis ſibi Synchro-

chronis efficaciter ſuadendum. Inter reliqua, quæ S. Iſidorus hortamenta præbet, cuidam Monacho cavet, ne unquam profanorum Authorum opera perlegat; Quod pariter à S. Nilo animadvertitur. Hic cùm antea fuiſſet matrimonio copulatus, annuente uxore unà cum Filio Theodulo in Montem Sinai receſſit. Extant apud nos variæ ejuſdem Epiſtolæ, compendiariæ quidem, ſed oppidò elegantes, pluresque Tractatus aſcetici. Scribens cuidem Monacho adoleſcenti, ipſum hortatur ad aſſiduam novi Teſtamenti lectionem, Actuum Sanctorum Martyrum, & Tractatus de Vocabulis Antiquorum, & nonniſi in ſolitudine omnibus hiſce inſudavit operibus. *Lib. 1. Epiſt. 63.* *Nil. lib. 3. epiſt. 301. & lib. 2. epiſt. 49.*

Marcus, dictus ſolitarius, diſcipulus erat S. Joannis Cryſoſtomi, ſicut & S. Nilus, teſte Nicephoro, qui ejus operam meminit, & ante ipſum Photius. Nedum pleroſque Aſceticorum libros elucubravit, verùm & alios contra hæreticos. Ejus opera Aſcetica impreſſa leguntur in Bibliotheca Patrum; ſecus verò alia adversùm hæreticos Melchiſedecianos, quorum Photius in ſua Bibliotheca mentionem facit. *Lib. 14. cap. 54. cod. 200.*

Jobius Monachus novem quoque libros contra Severum hæreticum compoſuit, quorum Photius idem prolixa nobis ſervavit fragmenta. Eſt autem Jobius procul dubio Presbyter is, & Archimandrita, cui Theodoretus epiſtolam ſuam 127. nuncupavit, in qua ipſum multopere commendat, eò quòd in ſenectute ſua juniores quoſque zelo, ac pietate antecelleret in propugnatione Doctrinæ Evangelicæ, atque Orthodoxæ Fidei. Item Epiſtola ſequenti idem Pater Candidum Presbyterum, & Archimandritam ob eamdem cauſam condigno extollit elogio: Quod etiam præſtat Epiſt. 131. erga Longinum pariter Archimandritam, ubi eminentem ejus doctrinam, ac geſta, necnon & Monachorum ejus omnibus aperit; Epiſtola item 141. zelum Apoſtolicum Marcelli Accœmetenſium Archimandritæ celebrat. Tandem Epiſtola 143. plurimis illuſtrata encomiis ſinceritate fidei Andreæ Monachi Conſtantinopolitani, cujus & Epiſtolas etiam atque etiam ibidem optare fatetur; alteram, nimirum 145. valde diffuſam ejuſdem Urbis Monachis mittit, in qua plurium Hæreticorum errores detegit, & labores adversùs eoſdem à ſe ſuſceptos refert. Quæ omnia palàm oſtendunt, præfatos Monachos neutiquam merſos fuiſſe ignorantiæ tenebris, & jam tum ſeriis Eccleſiæ negotiis fuiſſe utiliter addictos. *Cod. 222.*

Omittendo hìc plures alios præclaros hujuſce ſæculi Viros, ſat erit animadvertere potiorem inſignium Præſulum numerum, qui tunc in Oriente floruére, Monaſticæ diſciplinæ inſtitutum fuiſſe amplexatum. Sanctus Aticus E. G. Divi Joannis Chryſoſtomi ſucceſſor, a prima ſui ætate fuit educatus in Cœnobio quodam Armeniæ, ubi vigebat Euſtatii Sebaſtenſis ſecta, cui ſubinde penitùs abrenunciavit. Alexander Patriarcha Antiochenus, qui vivum in ſe Divi Joannis Chryſoſtomi expreſſit exemplar; ſcientiis pariter, ac virtutibus præterquamquod in Clauſtris fuit inſtructus.

Joan-

Digitized by Google

Biblioth. Cod. 203. Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, Theodoretus Epiſcopus Cyri in Syria, cujus opera, præſertim Commentaria in Sacram Paginam, ut ait Photius, valdè commendantur; Dalmatius Epiſcopus Cyzicenus, quem cum S. Dalmatio Archimandrita confundere non debemus, qui Conſtantinopoli viriliter adeò reſtitit Neſtorianæ hæreſi, dum S. Dalmatius Præſul in Concilio Epheſino eamdem condemnaret; Maximianus Neſtorii ſucceſſor, & S. Flavianus Patriarcha Conſtantinopolitanus ex Monachorum cœtu item prodiere, ſicut & Timotheus Catholicus Patriarcha Alexandrinus, & Joannes Tabennenſis ejus ſucceſſor. Tandem cùm ex una parte execrandus Abbas Eutyches, unà cum ſectatoribus, propriam propugnaret hæreſim, non defuerunt ex altera complures Monachi, pietatis zelo non minùs quàm doctrina præſtantes, qui fortiter pugnarunt in defenſionem Fidei, totiuſque Chalcedonenſis Concilii. Unde liquet, eos præfatis ſcientiis multam ſanè jamdudum operam navaſſe.

Perſtringamus breviter ſequentia ſæcula, & ſat ſit pro ſexto Sanctum Sabbam innuere; qui pro Fide Catholica per quam ſtrenuè ſe geſſit; item Abbatem Dorotheum, qui in Tractatu quodam ſpirituali à ſe concinnato eximiis effert laudibus S. Doſitheum diſcipulum ſuum; Paulum, & Gregorium Patriarchas Antiochenos, & Sanctum Eulogium Alexandrinum. Gregorius inter Clauſtrales ab adoleſcentia educatus fuerat. Prò ſeptimo habemus Joannem Muſchum, Auctorem Prati Spiritualis, ſociumque ejus S. Sophronium, qui poſtmodùm Patriarcha Hieroſolymitanus fuit renunciatus; S. Joannem Climacum, qui ſexto decimo ætatis anno Monaſticum ſubiit inſtitutum, Anaſtaſium Synaitam Scriptorem egregium; S. Maximum Abbatem, acerrimum inquam illum adversùm Monothelitas Fidei defenſorem, qui cùm humaniores literas Philoſophiam, aliaſque naturales ſcientias didiciſſet in ſæculo, in quo Heraclio etiam Imperatori diù à ſecretis extitit, Theologiæ intra Clauſtra ſtuduit, potioremque operum à ſe elucubratorum partem Monachis nuncupavit. Illuſtriſſimus hic Martyr Magiſtrum habuit alterum Anaſtaſium Monachum, cui collationem ſcripſit à ſe factam cum Patriarcha Hæretico erga Feſtum Pentecoſtes. Pleraque alia poſſent adjici de Sancti hujus Viri geſtis, qui Monaſtici Ordinis, & ſeptimi ſæculi lumen fuit. Pro octavo habemus S. Joannem Damaſcenum, & Coſmum Monachum, ejus Magiſtrum, de quibus jam cap. 11. Et Anaſtaſium Monaſterii S. Euthymii Abbatem. Pro nono Sanctiſſimum Abbatem Theophanem, qui Chronica ſcripſit, & alia quædam Hiſtoriæ Miſcellaneæ; S. Platonem Abbatem Montis Olympi, & doctiſſimum Abbatem Theodorum Studſtam. Denique prò decimo ſat erit referre conſpicuum Abbatem S. Nilum juniorem, cujus vitam, & geſta hìc compendiariò deſcribo; adeò namque illa legentes ædificantur; ut pro recta operandi norma ſingulis valeant inſervire.

S. Nilus, Roſciano in Calabria oriundus, priuſquam Monaſticum inſtitutum profiteretur, Matrimonio junctus fuerat. Monaſterium ingreſ-

greſſus, extemplò Monachum quemdam, honeſtiſſimis moribus, multaque ſapientia præditum ſumma ſibi neceſſitudine intimum reddidit, cum quo etiam ſæpenumerò, cæteris adſtantibus, plura conferebat ad ſacram doctrinam ſpectantia. Horum Abbas, Joannes nomine, Gregorii Nazianzeni operum lectioni intentus jugiter erat, cujus & exemplum Nilus æmulabatur. Sanctus hic ternas ſingulorum dierum horas in voluminum tranſcriptione tranſigere ſolitus erat. Optimè, celeriterque ſcribebat, adeò ut ſingulis diebus quaternionem minutiſſimo charactere exararet. Contigit aliquando, ut tria integra Pſalteria intra duodecimum diem ſcribendo perſolveret, quatenus ſcutorum trium debitum extingueret. Huic autem operi vacabat à Prima, uſque ad Tertiam, biniſque in Pſalmodia, & Oratione inſumptis horis, Divinæ Scripturæ, Sanctorumque Patrum lectioni à Sexta, uſque ad Nonam operam dabat. Poſt Veſperas paululùm relaxationis gratia ambulabat, nec tamen mentem ſuam tunc penitùs otiari ſinebat, ſed memoriter ſelectiora quædam S. Gregorii Nazianzeni, aliorumque Patrum apophtegmata repetebat. Poſt Solis occaſum parciſſimo ſe cibo reficere conſueverat. Iter Romam arripuit, tum devotionis ergo, tum etiam ut libros ſibi compararet; & tunc fuit, cùm proprium Monaſterium à Saracenis vaſtatum incredibili animi mœrore reſpexit, dolens in primis de copioſæ Bibliothecæ jactura, quam ibi paulatim congeſſerat.

Studiorum Monaſticorum traditionem inter Græcos haud feliciùs concludere poteram, quàm compendiaria præfati Viri notitia, ex qua manifeſtè liquet, quanti præclarus hic Doctor ſtudia, ſcientiaſve pependerit. Id etiam comprobat ab ipſo facta Procli ſelectio, ut loco ſui Monachos regeret; Abbas enim hic fuit humaniorum literarum peritiſſimus, & tamquam vivens vaſtæ eruditionis, tum ſacræ, tum profanæ Hiſtoriæ, Bibliotheca dicebatur, ut ex ejuſdem S. Nili Vita colligimus. Cæterùm hìc calamum pono, cùm cœptum ſequenti ſæculo Schiſma plura alia reticere nos cogat.

CAPUT XVI.

Continuatio ejuſdem traditionis apud Occidentales.

Occidentalis Eccleſiæ Cœnobia ipſa Orientalium veſtigia prorſus æmulata ſunt. Integrum hìc volumen exarandum nobis foret, ſi cunctos ſapientes, eruditoſque Viros enumerare vellemus, qui ex illis prodiere, quorum potior pars doctrinæ pietatem, virtutemque copulavit.

Ex quo Monachi in Italia, & Romæ eſſe cœperunt, complures fuerunt doctrina, & ſapientia celebres: *Nunc multi Monachi ſapientes*, ut teſtatur Divus Hieronymus ad Pammachium ſcribens, qui Romanorum illuſtri ſanguine ortus: *Monachorum primus inter Monachos in prima Urbe fuit*. Hos inter ſapientes annumerantur Ruſinus Presbyter *Epiſt.* 26.

Aqui-

Aquilejenſis, unà cum diſcipulis ſuis, qui juxta Gennadium, non
V. Part. 2. cap. 3. fuit minima pars Doctorum Eccleſiæ. S. Eugyppius Abbas ſat conſpicuus, tum ex operum à ſe elucubratorum copia, tum etiam ex conſortio diu habito cum S. Fulgentio, & præclarioribus ejus temporis Viris; Petrus Abbas Tripolitanus quem nobis deſcribit Caſſiodorus, referens adnotationes varias, ex operibus Divi Auguſtini ab ipſo ſelectas, Divi Pauli Epiſtolis magis cohærentes. Nec intrà iſtorum ſeriem comprehendere vereor Bacchiarium, qui à S. Gennadio
Cap. 24. 27. & 51. appellatur: *Vir Chriſtianæ Philoſophiæ*; hoc eſt Monaſticæ profeſſioni, ac regulari obſervantiæ impensè addictus, quam Philoſophiæ Chriſtianæ nomine Veteres indigitare conſueverunt; Sicut etiam Urſinum Monachum, qui ſcripſit contra Baptiſma refutantes ab Hæreticis collatum; Item Vigilium Diaconum, Regulæ cujuſdam Monaſticæ Authorem. His omnibus adjici poſſunt Dionyſius Abbas, cognomento exiguus, Vir propriis ſcriptis celeberrimus, juxta Elogium à Caſſio-
Inſtitut. cap. 23. doro ſuper ipſo concinnatum; Item Monachi, quos Caſſiodorus ipſe ſanctarum literarum notitia imbuit in Vivarienſi Monaſterio.

Monachi Adruméti in Africa tempore Divi Auguſtini, mira ſciendi cupiditate flagrarunt, ut liquet ex lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 4. & de correptione & gratia, quos S. Doctor ipſis nuncupavit. Res autem notatu digna eſt, quòd mittens illis primum ex dictis Tractatibus, adjecit in calce pleraque Concilia, contra Pelagii hæreſim dudum celebrata. Epiſtola, quam eximius hic Doctor Eudoxio Abbati Inſulæ Caprariæ ſcripſit, in qua ſapientem hunc Præſulem, & Monachos ſub ejus regimine exiſtentes, hortatur ad aſſiduam Regularis Diſciplinæ obſervantiam; cum hoc tamen, ut ſi quandoque ipſorum ope egeret Eccleſia, non privaretur hæc tali ſubſidio; ea
Lib. 1. cap. 21. inquam nobis ſatis indicat, Monachos dicti Monaſterii ad Eccleſiaſtica munia non parum idoneos fuiſſe.

Julianum Pomerum ex Africa oriundum, ſcimus Authorem eſſe trium librorum de vita contemplativa, ſeu de Virtutibus, & Vitiis, quos, ut ipſe teſtatur, in Erémo, in quam receſſerat, poſtquam Epiſcopatu ſeſe ultrò abdicárat, compoſuit. Veriſimile eſt, locum hujus receſſus in Gallia fuiſſe, unde fortaſſis S. Iſidorus anſam ſcribendi habuit, ipſum fuiſſe natione Gallum.

Leporio majora debentur encomia ex retractatione perverſorum dogmatum, quæ ſuper ineffabili Incarnationis myſterio ediderat, quàm ex propria, qua fulſit, doctrina. Scripta tamen egregia, & exempla S. Fulgentii, ac diſcipulorum, potiſſimùm eminent.

Sed quid de Galliarum Regno dicemus, in quo Monachiſmus adeò floruit, nedum ex incremento virtutum, verùm & ſcientiarum ſplendore? Tot Sancti Epiſcopi e diſcipulorum S. Martini Turonis Antiſtitis numero deſumpti; item tot inclyta Cœnobia, in quibus jugiter viguit, una cum morum honeſtate incredibilis ſciendi ardor, rem hanc adeò perſpicuam reddunt, ut nullus ambigendi locus ſuperſit.

Ex

Ex ſolo Lerinenſi Archiſterio, facilè cæterorum Galliæ Prototypo, tot celebres quinto ſæculo prodiere viri, virtutum ſplendore, ſapientia, & eloquentia præſtantes, ut penè ſint innumerabiles. Tales extitere S. Honoratus, S. Hilarius Arelatenſis, Maximus, & Fauſtus; Regienſes, Doctus Vincentius Lerinenſis, S. Eucherius, unà cum duobus filiis (priuſquam enim Religioſum indueret habitum, Uxorem habuit) Veranius, & Salonius, ambo dein Epiſcopi, quorum poſtremus decennis tantùm erat, cùm à Genitore in inclyto iſto Cœnobio Deo fuit ſacratus. Tales tamdem fuere Valerius Cemelenſis, ſeu potiùs Nicæenſis Antiſtes, & S. Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, qui decimo octavo ætatis anno Monachatum eſt amplexus. Univerſa inſignium horum Virorum ſcripta planè ſtudiorum cultum in Monaſteriis evincunt, ut efficaciora ad hoc ſuadendum argumenta nobis præbeant, quàm quidquid ex propriis ipſorum exemplis poſſemus mente perpendere.

Idipſum in praxi erat apud Maſſilienſes, ſub diſciplina Beati Caſſiani; & apud Condatenſes ſub SS. Abbatibus Romano, & Lupicino, ubi S. Eugendus, alias S. Oyanus ſeptennis à Parentibus Religioni dicatus, Atticam, & Latinam linguam didicit, quod ſanè tunc temporis plurimi æſtimabatur.

Nec ulli pariter dubium ſuboriri debet, num ſcientiæ, ac ſtudia tunc quoque floreſcerent in Cœnobio Inſulæ Barbaræ, cùm Archiepiſcopi Lugdunenſes ejus loci Abbates in Pœnitentiarios, & totius Diœceſeos Generales Vicarios ſibi deligerent, ùt ſcribit Archiepiſcopus Leidradus, qui eamdem poteſtatem tribuit S. Benedicto Anianæ Præſuli: *Cui etiam Abbati* (inquit ipſe in Epiſtola ad Carolum Magnum) *tradidimus poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, uti habuerunt prædeceſſores ſui, ſcilicet Ambroſius, Maximus, Licinius, viri clariſſimi, qui ipſum locum rexerunt: Quos Eucherius, Lupus, atque Geneſius, cæterique Epiſcopi Lugdunenſes, ubi ipſi deerant, mittebant cognituros, utrùm Catholica Fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet.*

Mamertus Claudianus, Abbas ille ſapientiſſimus Viennæ in Delphinatu, eadem fere munia exercuit ſub fratre ſuo ejuſdem Urbis Antiſtite, ſic teſtante Sidonio Apollinari, qui in tribus Epiſtolis eum multis effert encomiis, præſertim in ea, in qua Epitaphium ipſi inſcribit, quandoquidem triplicem ibi viventem Bibliothecam eum indigitat, Romana nempe, Attica, & Chriſtiana eruditione refertam. Inſuper tres libros ab eodem Authore de ſtatu Animæ compoſitos valdè commendat. *Lib. 4. ep. 3. & 11. & lib. 4. epiſt. 2.*

Quod tamen majorem nobis admirationem parit eſt: in Inſulis etiam Septentrionalibus magnæ Britanniæ literarum ſtudia intrà Cœnobia vehementer exculta fuiſſe. Exemplum de hoc, tameſi Eccleſiæ Orthodoxæ funeſtum, haud dubium tamen, nobis eſt Pelagius; item Rhiocarus ſanctiſſimus Præſul, & Monachus, quem Sidonius ſcribit Fauſti Regienſis opera tranſcripſiſſe, ut ſecum in Angliam ea deferret, unde etiam refert, Fauſtum ipſum ſapientia præditum prodiiſſe; *lib. 9. ep. 9.*

Britannis tuis prò te reportat. Gildas denique cognomento ſapiens, Abbas Anglus, nobis tum nominis celebritate, tum operum ſuorum, quæ apud nos extant, ſatis indicat, ſe non modò ſcientiarum copia, verùm & zelo puritatis Catholicæ Fidei, ac Religionis admodum præſtitiſſe.

Deveniendum tandem nobis eſt ad S. Patrem Benedictum, qui non niſi antiquorum Patrum tum Orientis, tum Occidentis, planè ſtuduit pias conſuetudines, & exempla æmulari. Circa quod jam ſupra cap. 7. innuimus, quod regularis, quæ ab ipſo in Monaſteriis inſtituta fuit diſciplina, ſtudia, ſcientiaſquè neceſſariò comprehendit. Poeta Marcus, qui ejus vitam, & geſta metricè deſcripſit, Sanctiſſimi ejuſdem Patriarchæ Diſcipulus extitit, ut teſtatur Petrus Diaconus in libro, quem de Viris Illuſtribus ſacri Caſinenſis Cœnobii conſcripſit. Proculdubio Romanæ Urbis Patritii, & Senatoria dignitate conſpicui, proprios natos ne quidem cogitaſſent Divo Benedicto offerre, niſi ſcientiis eos imbutum iri, non minùs ac morum honeſtate, certò autumaſſent.

Quot dein fuere in variis Provinciis fundata Cœnobia, ſub ejuſdem S. Patris Regula militantia, tot Collegia, ſapientumque Præſulum, ac Monachorum, ſeminaria fuiſſe comperies. Recolantur ea, de quibus ſupra cap. 11. meminimus.

Veritas tamen hæc neutiquam magis comprobatur, quàm Divi Gregorii Magni exemplo; hic enim intrà ſepta tantùm proprii Monaſterii, non verò cùm eſſet Romanæ Præfecturæ negotiis implicitus, aliiſque ſæcularibus curis diſtentus, admirabile illud ſcientiarum lumen acquiſivit, quo deinde univerſæ illuxit Eccleſiæ, & tot præclaros effecit alumnos, Claudium nempe Abbatem, Maximianum Syracuſanum Antiſtitem, Marinianum Ravennatem, Auguſtinum Angliæ Apoſtolum, unà cum ſociis, & alios plures.

Non ſolùm autem hic S. Pontifex doctrinæ ſuæ radios per totam diſperſit Italiam, verùm etiam per reliquas Europæ Regiones, & præſertim Hiſpaniarum Regna. S. Leander, cui Moralium libros in Job ipſe nuncupavit, in quodam Cœnobio educatus fuerat. Item Agalienſe Monaſterium complures Sanctos Archiepiſcopos impertivit Toletanæ Eccleſiæ, inter quos Helladius, Juſtus, & Ildefonſus. Iſtorum pariter ævo enituit S. Fructuoſus Bracharæ in Luſitania Epiſcopus, ubi etiam regularis diſciplinæ fervor ſummopere viguit, ut ex Dialogis Pauli Diaconi Emeritenſis colligimus.

Sed iterum in Galliam remeemus, & perpendamus quot inclyti Viri, ſapientia, virtutibuſque præſtantes, ex Abbatia Luxovienſi, & Bobienſi ſub Sancti Columbani regimine prodierint, cujus ſcripta, in primis Epiſtolæ, tametſi ſtylo nonnihil incultò exaratæ, ſunt tamen Apoſtolico zelo, doctrinæque fervore confertæ. Ex hac autem ſchola plures Sancti Epiſcopi fuere renunciati, Donatus Veſontienſis, Chagnoaldus Laudunenſis, Achardus Noviodunenſis, Omerus Tarvannenſis, Ragnacarius Auguſtæ Rauricorum propè Baſileam, præter complures alios SS. Abbates, ac Monachos, qui Abbatiam

illam

Digitized by Google

illam celeberrimam reddidere, Sanctus Donatus inter alios, ſeptennis tantùm erat cum Deo ſacratus fuit in Monaſterio S. Columbani. Compertum nobis eſt ex vita S. Frodoberti Abbatis Cellenſis propè Trecas, quod tunc conſuetudo invaluerat mittendi ſtudiorum cauſa ad Luxovienſe Cœnobium aliquot cæterorum Galliæ Monaſteriorum Monachos. Nondum certò ſcimus, num Marculfus, de quo fit mentio in vita S. Columbani num. 14. is ſit, cujus duo formularum libri apud nos extant; quorum unus Chartas Regales, alter verò Pagenſes continet.

Nec minùs præclara eſt Abbatia Fontanellæ, nunc S. Wandregiſili in Normannia, quæ de ingenti pariter Epiſcoporum numero in multis Galliarum Eccleſiis gloriatur. Ex Laubienſi quoque in Belgio quamplures docti, celebreſque viri numerantur; & ſtudia ibi jugiter floruerunt ab annis ſuæ fundationis, uſque ad undecimum ſæculum. Omnibus tamen iſtis Corbejenſis in Picardia adhuc videtur excellere.

Sed prius quàm ulteriùs progrediamur, operæ pretium eſt Angliam iteratò inviſere, ibique venerabilem Bedam intueri publicum in Scholis Profeſſorem, cujus etiam Alumni per varias Galliæ, & Germaniæ Provincias diſpertiti fuere. S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, cùm in Anglia Monachus degeret, juvenili adhuc ætate ſcientias ibi didicerat, hoc eſt Gramaticam, Poeticam, Rhetoricam, Hiſtoricam, & præcipuè Sacram Paginam. Mirum autem eſt, ut teſtatur S. Willebaldus, primus ejus Vitæ Autographus, ipſum, hoc non obſtante, quotidianum manuum opus perſolviſſe, quod S. Benedictus in Regula præſcribit. His porrò ſtudiis ritè abſolutis, ad Magiſterium aſſumptus eſt, quæve ipſe perceperat alios edocere cæpit. Cùm inde in Germaniam tranſmigraſſet, totus fuit, nedum in Orthodoxæ Fidei ampliatione, verùm & in ſcientiarum Academiis erigendis, præſertim in Abbatia Fuldenſi, & Bogadienſi, quarum etiam primus Fundator extitit; Quæ duo ſubinde præclara Cœnobia regularis diſciplinæ normam cæteris quibuſcumque dedére, quæ vaſtis in illis Regionibus dein fundata ſunt, ut alias innui.

Alcuinus cùm ex majori Britannia in Galliam ſe contuliſſet, Magiſter omnium penè Virorum, doctrina, ac pietate inſignium fuit, qui poſtmodùm ibidem claruére. Rabanus Maurus de Fuldenſi Archiſterio ad Turonenſem Urbem conſultò tranſmeavit, ut ſub tanti Doctoris magiſterio proficeret. Lupus item Servatius de Regia Ferrariarum Abbatia ad Fuldenſem tranſiit, ut Rabani eſſet Auditor, qui deinde plures in proprio Cœnobio effecit ſcientiarum candidatos, inter quos maximè fulſit Henricus S. Germani Antiſſiodorenſis Monachus, qui etiam Præceptorem habuit Haymonem Halberſtadienſem. Remigius item Antiſſiodorenſis, & Lotharius Caroli Calvi filius, ab Henrico inſtructi fuere. Remigius nedum in proprio Cœnobio ſcientias diu edocuit, verùm etiam in Eccleſia Cathedrali Rhemenſi, quo à Fulcone Archiepiſcopo, unà cum Hucbaldo S. Amandi Monacho

nacho accitus fuerat. Gerbertus, quem literariæ elucubrationes, non minus ac varia, quæ ſortitus eſt munera, celebrem reddunt, etiam poſt Remigium publicè docuit in ſcholis Cathedralis Eccleſiæ Rhemenſis, antequam inclytæ hujus Urbis Archiepiſcopus foret; diſcipulos habuit Regem Robertum, & Imperatorem Othonem III. & Fulbertum, qui dein egregius Doctor evaſit, & Carnutenſis Antiſtes. Ratherius Monachus Laubienſis, poſtmodùm Veronæ Epiſcopus, jam pridem ab Othone Magno vocatus fuerat, ut Brunonem Fratrem literis imbueret, qui deinde Colonienſis Archiepiſcopus fuit renunciatus. En igitur primum fontem, unde ſcientiæ, ac literarum ſtudia per Galliam, atque Germaniam, nono, decimoque ſæculo emanarunt.

Alter verò, cui ſtudiorum cultus, ac redintegratio adſcribitur, eſt S. Benedictus Anianæ Abbas. Carolus Magnus ipſum elegit ad reformationem omnium ferè Monaſteriorum proprii Imperii, tam in Gallia, quàm in Italia, ac Germania. Præſul iſte multò ſemper pietatis, doctrinæque zelo fervens, non minùs ſcientias ubique reparare ſtuduit quàm virtutes animi, morumque honeſtatem. Quæ de ipſo jam cap. 9. retuli, hìc non repetam. Abs re tamen quis non dixerit cum Theodulpho Aurelianenſi Antiſtite, talem ipſum fuiſſe in Gallia, qui fuit S. Patriarcha Benedictus in Italia.

Quod fuit Auſoniis Benedictus rector in arvis.
Hoc modo es in noſtris, o Benedicte, locis.

Smaragdus Abbas Monaſterii S. Michaelis in Diœceſi Virodunenſi, hujus inclyti Viri veſtigia ſecutus eſt, diu namque ſcientias docuit in proprio Cœnobio. Scripſit Commentaria in Regulam S. Benedicti, & alia in Rhetoricorum libros, nondum typis edita; item Tractatum de Vitiis, ac Virtutibus, & alia pleraque in Sacram Paginam.

S. Berno, & S. Odo, Abbates Cluniacenſes, eadem prorſus veſtigia Eutitii, ideſt Benedicti Anianenſis, ſunt æmulati, ut ſupra tetigimus; & Joannes S. Odonis diſcipulus, qui etiam Sancti hujus Viri Vitam exaravit, teſtatur, quòd cum S. Berno hunc in Balmenſi Aſceterio recepiſſet, poſt emiſſam profeſſionem, continuò adoleſcentum Ludimagiſtrum deſtinavit, eò quod humaniorum literarum eſſet peritiſſimus: *Patri Odoni, quia erat Vir Scholaſticus, laborioſum Scholæ impoſuerunt Magiſterium*. Idipſum S. Odo in Monaſterio Cluniacenſi, cùm eſſet ibi Abbas, obſervari juſſit, & in cœteris Cœnobiis, quæ ſub ſuo fuere conſtituta regimine; & ex iſtius S. Præſulis Alumnis per totam penè Europam ſcientiæ dein emanarunt. Tres inſuper Summi Pontifices, unus ferè immediatè poſt alterum, ex eadem Schola prodiere, præter ingentem Cardinalium, Epiſcoporum, & Abbatum numerum, qui non tantùm ſcientiis, quàm morum integritate fulſerunt.

Abbatia Corbejenſis in Gallia inter eas quoque potiſſimè recenſetur, undè tot celebres Viri per univerſam Eccleſiam dimanarunt, ut ſunt: S. Adelhardus, venerabilis Wala ejus frater, Warinus, S. Paſcha-

ſius,

ſius, Radbertus, Ratramnus, S. Anſcarius Regnorum Septentrionalium Apoſtolus, & tandem Archiepiſcopus Bremenſis Adelhardus in Saxoniam Monachorum copiam miſit, ut gentes illas Aquilonares efferatas, ac barbaras ad Orthodoxam Fidem converterent. Anſcarius illò pariter deſtinatus fuit à Ludovico Pio, & miſſionem hanc tanto ſpiritus fervore, ac prudentia perſolvit, ut Svetiæ, Daniæque Regna Jeſu Chriſto pepererit. Corbeja nova (ſic ut à Corbeja Gallica diſtingueretur, hanc Weſtphaliæ Urbeculam Saxones indigitarunt) veluti Seminarium, ac commune Sanctis hiſce Miſſionariis receptaculum extitit, quorum doctrina, virtutumque ſplendore Germania univerſa illuſtrata fuit. Monaſterium Hirſaugienſe, & S. Albani, reticendo quæ jam alibi de Fuldenſi notavimus, ipſorum pariter exemplum ſecuta ſunt, non minùs ac illud Sancti Maximini Trevirorum, Prumienſe, Stabulaenſe in finibus Tungrorum, & Gorzienſe in Comitatu Scarponnenſi.

In pleriſque ex præfatis Cœnobiis, in quibus aderant literariæ Academiæ, gymnaſia etiam partim interiora a Monachis, partim exteriora ab extraneis frequentabantur, ut jam cap. II. oſtendi; ſub quorum numero nominatim recenſentur Floriacenſis Abbatia, Laubienſis, Sangallenſis, Augiæ majoris &c. Floriacenſis, aliàs S. Benedicti ad Ligerim in Diœceſi Aurelianenſi erat nono ſæculo celeberrima; ſed Venerabilis Abbo eam decimo ſæculo adhuc illuſtriorem effecit. Tranſmeavit è Galliis in Angliam, ipſum ſic flagitantibus Monachis, qui reformationem ſubierant, cura, & zelo Regis Edgardi, & Sanctorum Dunſtani, & Odonis Benedictinorum, Cantuariæ Archiepiſcoporum; & Gallia ejuſdem ope par pari tunc Angliæ reddidit propter ea, quæ Alcuinus in ſe beneficia contulerat. Haimonius ejus auditor, tanti Magiſtri geſta examuſſim imitatus eſt, & in lucem edidit in libro à ſe conſcripto de ejus vita, unà cum Hiſtoria Gallica. Porrò ſcientiæ in Anglia magis, ac magis in dies viguere, ut nobis teſtantur Ingulphus Abbas, Guillelmus Malmesburienſis, Matthæus Pariſienſis, aliique plures Benedictini Scriptores, qui poſt undecimum ſæculum floruere. Soli ferè Monachorum ſtudio, Anglici Regni, aliarumque Regionum Hiſtorias debemus.

Abbatia S. Benigni Divionenſis hoc eodem ſæculo reformata fuit, ſtudio, & cura Venerabilis Abbatis Guillelmi, ex Congregatione Cluniacenſi, à quo etiam reſtaurata ſunt, unà cum diſciplina Monaſtica, literarum ſtudia in pluribus Italiæ, & Franciæ Cœnobiis: Eaque Feſcamini in Normannia in primis extitit, cui impenſiùs inſudavit, in qua tandem multis glorioſus meritis pretioſa morte quievit.

Beatus Abbas Herluinus illius veſtigia ſectatus eſt in fundatione Abbatiæ Beccenſis, quæ dein præclariſſima evaſit; iſque certò autumavit pro recta diſciplinæ regularis norma, ſcientias ab honeſtis, piiſque Viris, morum ſanctitate fulgentibus, nullatenus eſſe amandandas. Ex quo ſubinde optimum duxit literariam Academiam proprio in Aſceterio aperire ſub Magiſterio Lanfranci, ad Cantuarienſem Epiſco-

ſcopatum poſtmodùm aſſumpti, cui etiam in utroque munere ſucceſſit Anſelmus. Univerſo autem Orbi notum eſt, quantam nominis gloriam iſti duo inclyti viri ſibi comparaverint, quotve præclaris alumnis Eccleſiam locupletarint. Durandus Monachus Troarni ad Divam, & Guimundus S. Leutfredi, ſeu Crucis S. Audoeni, Atellanus dein Antiſtes, & Cardinalis, de hoc ſat ſuperque teſtantur. Nonnulla videor jam alibi tacta in præſentiarum repetere; id tamen omninò vitare non potui, ſic exigente rei hujus hiſtoria.

Ex hactenus dictis, & ex multis aliis argumentis, quæ facilè poſſent afferri, colligitur, Benedictinorum Ordinem, ferè ſe ſolo ſtudia, ſcientiaſque, plurium ſæculorum decurſu in tota Europa ſuſtentaſſe. Monachi tantùm tunc ſcientiarum profeſſores erant, ac Magiſtri in noſtris Cœnobiis; quinimmò ex ipſis quam plures Cathedrales Eccleſiæ Doctores pro ſe emendicabant. Circa finem decimi, & ſub initium undecimi ſæculi, Clerici ſæculares in Scholis edocere cœperunt. Fulbertus, quem Monachum nonnulli fuiſſe ſentiunt, Carnutenſis Antiſtes, ingentem diſcipulorum numerum habuit. Berengarius Arch diaconus Andegavenſis, ipſi operam dedit, & Turonis Magiſtri munus exercuit, ſicut & S. Bruno Rhemis, Guillelmus Campanus idipſum præſtitit Lutetiæ, & Anſelmus Lauduni; Petrus Lombardus Novaria, Longobardiæ Oppido oriundus, & Epiſcopus Pariſienſis, multifaria Sanctorum Patrum dogmata in unum congeſſit, & in quatuor libros ſententiarum titulo inſcriptos, diſtribuit, unde etiam Magiſter ſententiarum cognominatus eſt. Petrus Pictavienſis, & Robertus Pullus conſimiles collectiones elucubrarunt; at Petrus Lombardus eos longè antecelluit. Hoc ipſo ævo præclariſſimus Doctor Gratianus, Monachus Bononienſis, Juris Canonici conditor, Pontificum Romanorum decreta primus compilavit, atque in unum volumen redegit.

Cùm Eccleſiaſtici ſæculares librorum inopia ut plurimùm laborarent, & inſigniores Bibliothecæ intrà Monaſteriorum ſepta tantummodò reperirentur, vel in quibuſdam Cathedralibus Eccleſiis; idcircò nonniſi difficillimè poterant pleriſque ipſorum ſtudiis vacare. Opus Magiſtri ſententiarum, & Gratiani Decretum, unà cum ſacra pagina, cæteris libris planè carentibus materiam ſtudendi, ac ſpeculandi abundè ſuppeditarunt; iſtorum quippe trium voluminum ope, unà cum Ariſtotelicis à Divo Thoma Aquinate ſuperadditis, plerique Doctores nonnullas Summas Theologicas componere cœperunt; indeque aliquot inſtitutis Univerſitatibus, ad majorem ſcientiarum cultum allecti ſubinde fuere adoleſcentes variis ad Doctoralem Lauream gradibus, quos paulatim juxta ſuorum ſtudiorum progreſſus aſſequebantur. Satis autem tunc temporis erat, ut quis ſapiens haberetur, alicui ex dictis ſummis nonnihil inſudaſſe. Unde etiam factum eſt, ut conſuetudo, quæ jam invaluerat, mittendi nempe adoleſcentes ad ſtudia literarum, quæ intrà Cœnobia impensè colebantur, prorſus

ſus abſoleverit, nec deinceps Monachi apud ſe minoris ætatis inſtruendos pueros recipere voluerunt, atque adeò eorumdem gymnaſia diſcipulorum frequentia in dies deſtituti, & ad ſæculares ſenſim tranſferri cœperunt. Nos tamen inde lætitia potius afficimur, quòd ita contigerit, & quòd Eccleſiaſtici ſæculares, quibus præcipuè ad aliorum eruditionem onus incumbit, modum tandem adinvenerint ſemetipſos primò ſcientiis imbuendi. Cæterùm nobis ſat eſt meritò gloriari poſſe, ſeptem, vel octo ſæculorum curriculo operam jugiter dediſſe, librorum, literarum, ſtudiorumve conſervationi, uſque dum multifariæ temporum calamitates, & identidem occurrentia infortunia potuerunt à noſtris eludi. Ex Typographicæ tandem artis induſtria, ultimis hiſce ſæculis ad Moguntiam inventæ, cùm multa in dies volumina in lucem prodierint, propterea difficultas ea ſibi comparandi ſtudioſæ juventuti penitus ſublata eſt, majus enim ſtudendi commodum indè obvenit. Hinc etiam eſt, ut communi totius literariæ Reipublicæ gaudio plurimi inter Eccleſiaſticos, pietate non minus, quàm ſapientia præditi, in præſentia conſpiciantur.

Poſtremis tandem ſæculis iſtis literarum ſtudia in Ordinis noſtri Cœnobiis aſſiduè plus, minuſve durarunt, ſed iiſdem ferè viciſſitudinibus, queis diſciplina regularis ipſa pariter ſuccubuére; modò namque, juxta varias diſpoſitiones temporum, elanguerunt, modò refloruerunt, Summi Pontifices, & Concilia poſtquam ſtudiorum neceſſitatem ſedulò ponderarunt, Canones identidem ediderunt pro eorumdem redintegratione, & conſervatione. Quinimmò vix ulla Regularium reformatio ultimis hiſce ſæculis habita legitur, in qua de ſtudiorum progreſſu, non minùs quàm de Monaſticæ Diſciplinæ reſtauratione, expreſſa mentio non fiat, ut liquet ex plurium noſtri Ordinis Congregationum Conſtitutionibus, Burſzfeldenſis nempe in Germania, Sanctæ Juſtinæ Patavii in Italia, Valliſoleti in Hiſpania, Caſalis-Benedicti, S. Vitoni, & S. Mauri in Gallia.

Circiter finem ſæculi XV. Doctor quidam Pariſienſis ex Congregatione Cœleſtinorum, Claudius Rapina nomine, exiguum quemdam Tractatum latino ſermone edidit, *De Studiis Monachorum*, in quo apertè demonſtrat, Monachos ad literarum ſtudia omninò incumbere debere. Item in alio Tractatu, quem de Vita contemplativa compoſuit, Monachos nonnullos redarguit, qui ſub ſimulatæ humilitatis umbra à tam ſeria occupatione, cunctis ſolitariè degentibus, præſertim verò Superioribus neceſſaria, ſe eximunt. Neutiquam approbat, peculiare, ac determinatum ſtudendi genus ingeniis præſcribere, ſed juxta ſingulorum talenta in applicatione docet habendam eſſe rationem. De hoc Auctore non ſine encomio meminit Joannes Mauburnus Bruxellenſis, in Opere, quod Roſetum ſpirituale inſcribitur, nuper in lucem edito. Obiit autem is ſimplex Monachus anno 1493. poſtquam Superioris partes in ſuo Ordine laudabiliter abſolvit, & in Italiam ad Cœnobiorum reformationem fuit accitus, quem-

admodum ex Patre Becqueto, Collegii Pariſienſis Bibliothecario, comperi, qui etiam cæterorum operum ſeriem præfati Rapinæ mihi indicavit, quæ adhuc imprimenda ſuperſunt. Porrò in calce dicti Tractatus de Studiis Monachorum Deo gratias agit, eò quod, ipſo opitulante, ad amorem librorum, ſtudii, ac veritatis jugiter excitatus fuerit, ac tantundem ab exteris, ſæcularibuſque negotiis, & curis abhorruerit. Fatetur inſuper gratiſſimos inde fructus in ſenectute ſua excerpere, ac tandem juvenes hortatur, ut ſuimet veſtigia ſectantes, ſimile quoque faciant experimentum.

Quamplures, præter recenſitos Monachos, hìc poſſemus adjicere, qui hoc pariter teſtantur ſe reverà expertos fuiſſe; ſic quippe Trithemius Abbas tanto erga Divinarum Scripturarum intelligentiam amore flagrabat, ut dicere ſolitus eſſet: *Si alterum, è duobus oporteat, Abbatiam malo dimittere, quàm ſancto Scripturarum ſtudio renunciare.* Sic etiam ſenſit Venerabilis Ludovicus Bloſius, cujus opera ob miram, quam continent, eruditionem, atque pietatem, univerſim commendantur; Item Beata Gertrudis Virgo, quæ in ſuo Monaſterio humaniores literas, Philoſophiamque didicit.

Homil. 4.

Silentio hìc præteriri non debent duo ex celebrioribus XV. ſæculi viris, Ambroſius nimirum Camaldulenſis, & Petrus Delphinus, inclyti hujus Ordinis Generales; quorum primus de re literaria fuit optimè meritus, nedum ex plurium Patrum Græcorum verſionibus, ſed etiam ex propriis, quæ lucubravit Operibus; præcipuè verò ex publici Interpretis munere; quo erga Latinos, & Græcos Patres egregiè functus eſt in Concilio Florentino. Alterius autem, tametſi nonnullæ tantum Epiſtolæ apud nos extent; tanta tamen ſunt eruditione, ac doctrina refertæ, ut ejus meritum, ac pietatem indè poſſimus arguere, & quantum ſui ævi hiſtorias perfectè calluerit. Hic interim calamum pono; ſat enim perſuaſum habeo, majoris ponderis fore allata exempla ad evincendam in Monachorum Cœnobiis ſtudiorum praxim, quàm præſtent quævis emendicatæ apologiæ.

Finis Primæ Partis.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS DE STUDIIS MONASTICIS PARS SECUNDA,

Ubi inquiritur quænam Studiorum genera Monachos magis deceant.

CAPUT I.

Quòd eadem ſtudia, quæ Eccleſiaſticos decent, Monachis poſſunt permitti.

Quamquam perſpicuum eſt, ut ſupra ſatis oſtendimus, ſtudia Monachis eſſe neceſſaria, animadvertere tamen oportet, arduum valde hìc eſſe ea ſingillatim recenſére, quæ ipſorum ſingulos maximè deceant; Quandoquidem ſi ſingulorum talenta, vel ingenia mutuò conferantur, cùm non modicum inter hæc diſcriminis adſit, operæ etiam pretium erit nonnullis ea ſtudia præſcribere, quæ aliis erunt prorſus incongrua.

Inſuper ſi varia Cœnobiorum, Monaſticarumve Communitatum conditio perpendatur, opus item erit multifariàm de iis loqui, prout nimirum plus minuſve ſæculari Clero, & Laicis intermiſcentur; Non enim jus videtur exigere, ut ſolitariam prorſus vitam degentes, quemadmodum Carthuſiani, iiſdem omninò ſtudiis ſe dedant, queis ex. gr. Benedictini, quorum Cœnobia populorum conſortia ſunt magis expoſita, unde fit, ut ſive ſuperiores, ſive inferiores Monachi, ad publicas quaſdam actiones ſæpenumero compellantur. Aliquot jura, & prærogativæ ab ipſis in Eccleſia poſſidentur; neceſſum igitur eſt, plures ipſorum idoneos eſſe, ut quoad hæc munere ſuo ritè fungantur, niſi fortè nedum privilegiis, verùm & Abbatiis ipſis cedere velint.

Sanè non abnuo, ſummopere cavendum eſſe, ne facilè ejuſmodi commercia permittantur; Sed utcumque omni ſtudio iſthæc vitare ſatagamus, attamen non omnis penitùs occaſio deerit, qua urgente ſit opus talium præſidio ſcientiarum, quæ jure ad Eccleſiaſticos ſpectant.

ſtant. Cæterum novum videri non debet, pleraque Monachorum Cœnobia ad illa paſſim aſtringi; horum ſiquidem plura à temporibus uſque almi Patris Benedicti etiamnum vigent, nec ullum indicium adeſt, quòd eadem aliquando inhibuerit; nonnulla namque Monaſteria, ipſo annuente, partim intrà, partim propè Urbes condita fuére.

Ponderandum inſuper eſt, prout ad rem noſtram, diſcrimen, quod intercedere debet inter ea ſtudia, integras quaſdam Communitates decentia, & alia, quæ privatis dumtaxat Monachis permitti licitè queunt; non enim fas eſt ſingulas communitates ad eorum quælibet indiſcriminatim adſtringi, aut ſingulis Monachorum in uno tantùm genere illa præſcribi; ſunt quippe Monachorum Cœnobia, in quibus mediocris ſciendi ratio videtur ſufficere; quæ tamen in aliis ad rem non eſſet, ob ampliores occupationes, atque Eccleſiaſtica munia, quæ gerunt. Quod idem de ſingulis Monachorum analogicè debet intelligi; cùm etenim impari talentorum numero ex beneficio creationis à Deo donentur, ideò nulla ratio poſtulat, ut paria omninò ſtudia ſequantur. Quamobrem Superiorum erit illa tali prudentia diſponere, ut vel juxta ſingulorum capacitatem, vel Cœnobiorum, in quibus degunt, exigentiam, opportunè diſtribuantur.

Regula tamen univerſalior quoad hoc ſervanda, eſſe videtur, quòd ſcilicet omni ævo eadem prorſus ſtudia Regularibus permiſſa fuerint, quæ cuique pio, & Eccleſiaſtico Viro poſſunt congruere; & propterea in Oriente quadam parænetica ad Monachos habita, quæ inter Divi Athanaſii opera legitur, monentur ad omnium eorum lectionem, ac ſtudium, quæ in Canonicis monumentis continentur, hoc eſt in Codicibus Scripturarum Sacrarum, Sanctorum Patrum &c. etiam cum ampla facultate legendi apocrypha ſcripta. Quare cum olim unicum ferè Eccleſiaſticorum ſtudium ad Sacræ Paginæ intelligentiam, Sanctorum Patrum, ac Conciliorum lectionem redigeretur, idcircò Monachi totis viribus materiis iſtis quotidie inſudarunt, ut ex operibus liquet ab ipſis editis. Verùm cum ad iſtas ſuperiores ſcientias non ſtatim habeatur acceſſus, abſque prævio aliarum inferiorum adminiculo, iſtis ideò priùs navarunt operam quamdiu neceſſum fuit, ut ad exactam illarum notitiam pervenirent.

Unicus tamen, ut alias ſæpenumero innui, hic non erat Monachorum ſcopus, ad quem propria ipſorum ſtudia collimarent; quandoquidem ſcientiis, boniſque artibus non ideò nomen dabant, ut ſapientes tantùm evaderent, ſed ut in primis ad religioſarum virtutum exercitium expeditiores, aptioreſque redderentur. Superiores autem, qui ſingulorum inclinationes quoad hoc ſedulò perpendebant, etaim plus minuſve circumſpecti erant in eorum ſtudiorum diſtributione, quæ inferioribus permittebantur. Nonnulli namque manualem laborem ſcientiis anteponebant, autumantes, majus inde, tum corpori, tum ſpiritui emolumentum fore; alii verò ſecùs opinantes, orationi potiſſimè vacandum arbitrabantur, ut in Monaſteriis

ſteriis S. Martini Turonenſis Epiſcopi; alii denique ſuperiores ſcientias plurimi facientes, nullam ex licitis, honeſtiſve ſuis ſubditis interdicebant. Talis extitit Caſſiodorus, qui multorum à ſe congeſta voluminum copia in Monaſterii Vivarienſis Bibliotheca, ad cunctarum ſtudium ſcientiarum Monachos ſuos hortatur, quibus præſertim ad Sacrarum Scripturarum notitiam viam ſibi parari compererint.

Pleraque Monaſtica ſodalitia, Sanctorumque Monachorum innumerabilis penè multitudo, iſtorum pariter adhæſere conſiliis; inter quos præcipuè Beda Venerabilis, qui ſcientiis univerſis indiſcriminatim incubuit, ut quæ in lucem edidit opera teſtantur. Nec quidquam ſuffragatur aſſerere, eas in ſæculo didiciſſe, quoniam nonniſi ſeptennis erat, cùm intrà Clauſtra ſe recepit; nec quòd ex peculiari quadam vocatione divinitùs habita id tantummodò præſtiterit, eaſdem quippe ſcientias ſodalibus ſuis eòuſque impertire non deſtitit, donec expleri potuit innata eorum ſciendi cupiditas: nec tandem poteſt objici, tepeſcente tunc temporis Monaſticæ diſciplinæ fervore id obtigiſſe; etenim id fuit à prima Cœnobii fundatione à S. Benedicto Biſcópo facta, in quo totius obſervantiæ regularis normam hic præordinarat. Porrò hujuſmodi praxis in aliis etiam optimè morigeratis Galliæ, Angliæ, ac Germaniæ Monaſteriis diu viguit, ut cap. 9. 10. & 11. primæ partis præſentis Tractatus ſatis oſtendimus.

Nunc igitur operæ pretium eſt ea ſingillatim ſtudia innuere, quæ Monachis opportuniora videntur, eamque ſimul methodum tradere, qua facilè iiſdem potiri, utiliterque frui valeant. Me autem non latet, quàm arduum ſit iſtam ſuſcipere provinciam; nonnihil enim temeritatis redolet leges aliquas, ac normas in re adeò ſeria, & vaſta velle præſcribere. Aliqua tamen ſpe nitor, meæ ignoſcendum audaciæ, ſi animadvertatur me neutiquam præſumere in hoc Didaſcali vices gerere, infallibileſque leges, ac methodos ad ſapientiam aſſequendam conſcribere. Hæc quippe merè conſulendo, vel ſi quid amplius, ſimpliciter monendo, Monaſticæ juventuti ſcribo, ut ad ſcientias illas adipiſcendas quodammodo dirigatur, ad quas magis ſe propendere cognoverit, vel ob peculiare talentorum copiam beneficio creationis habitam, vel ex Superiorum impulſu, illis præ aliis incumbendum eſſe jubentium. Poterunt itaque ſtudioſi adoleſcentes methodum hanc aliquo ſaltem tentare experimento, & ad praxim redigere, dummodo Superiores, & ipſimet ſibi emolumento futuram arbitrentur; ſecùs verò eam pro libito reſpuent, modò tamen Confratris hæc ſcribentis affectum ſaltem æqui bonique fecerint, dum laborem iſtum in ipſorum gratiam libentiſſimè ſubiit.

CAPUT II.

De Studio Scripturarum Sanctarum.

§. I.

Ubi primò diſcutitur, an Monachis permitti indiſcriminatim debeat lectio quorumvis Librorum Sacræ Paginæ.

Homil. 3. de Lazaro.

SUpervacaneum videtur in præſentia ſuadere, ſtudium Scripturarum Sanctarum Monachis potiſſimùm eſſe conſentaneum; communis namque hæc fuit Sanctorum Patrum, ac Doctorum ſententia, quæ vivente S. Joanne Chryſoſtomo adeò invaluit, ut laici, ac ſæculares, quos S. Doctor ad Divinarum Scripturarum lectionem tunc hortabatur, communiter aſſeveraverint, id potius ad Anachoretas pertinére, qui ſpretis Mundi illecebris, antra Deſerti, abruptaſque Montium crepidines incolebant, quàm ad ſeipſos, ſæcularibus plerumque curis diſtentos, proindeque opportuno ad id præſtandum tempore carentes. Quare ſiquid in hoc explanandum adhuc ſupereſt, ad quorumdam librorum dubitationem tantummodò redigitur, quorum lectione plerique autumant nullatenus Monachos quoslibet indiſcriminatim decére.

Epiſt. ad Ruſtic.

Nihil utilius in hujuſce ſtudii gratiam dicendum nobis occurrit, iis, quæ in epiſtolis ſuis paſſim Sanctus Hieronymus exaravit; enimverò Monacho cuidam ſcribens, ipſi certò ſpondet, ex Scripturarum Sanctarum ſtudio inordinatos carnis affectus facillimè ſuffocatum iri. *Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Item alium erudiens Monachum inquit: *Divinas Scripturas ſæpius lege, imò nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur.* Et alibi Nepotianum laudans ait: *Lectioneque aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum fecerat Bibliothecam Chriſti.* In alia quoque Epiſtola ad S. Paulinum, ut Monaſtici inſtituti, quod amplexatus fuerat, normam ipſi tribueret, inter alia ſummoperè cavet, ne ſtudium Divinarum Scripturarum in extima tantùm ſuperficie, aut perfunctoriè attingatur, ſed uſque ad interiora medullæ penetretur: *Dulcius quippe in medulla eſt; Qui edere vult nucleum, frangat nucem.* Tandem ſubdit ibidem modum, quo Monachus Scripturas debet addiſcere, ut ſcilicet & alios inſtruere, eoſque, qui contradicunt, arguere valeat: *Diſce, quod doceas, obtine eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut poſſis exhortari in doctrina ſana, & contradicentes revincere.*

Epiſt. ad Nepotian.

In Epitaphiis Nepotiani.

En igitur quid Divus Hieronymus ſentit circa Divinarum Scripturarum ſtudium, quod licitè colere queunt, immò tenentur Monachi. Sancto autem Doctori indubia prorſus fides in hoc habenda eſt, quandoquidem jam aliunde ſatis compertum eſt quàm ſevero examine ponderet quidquid ad Monaſtici inſtituti rationem poteſt conducere.

Neuti-

Digitized by Google

Neutiquam tamen inficior, nonnullos inter Sacræ Paginæ libros reperiri, quorum lectio, ac meditatio à Monachis præ aliis frequentari debet. Quocirca Divus Baſilius novum teſtamentum veteri anteponere non timuit, hujus quippe lectionem pleriſque detrimento potius fuiſſe teſtatur, non quidem penès ſe inſpectam, ſinguli namque Scripturæ Sacræ libri pietatem ubique, ac ſanctitatem redolent; ſed ex pravo lectorum affectu; quemadmodum panis, qui, prout in ſe, comedentem quidem nutrit, ſtomacho verò morboſa qualitate infecto, tantumdem officit. *Epiſt. ad Chilon.*

Divus Nilus ſingulas nobis dotes, quæ Monachis ineſſe debent, examuſſim indicat ad hujuſmodi lectionem requiſitas; Siquidem Palladio Monacho ſcribens, eam ipſi non interdicit, dummodo inordinato quocumque affectu, & præſertim Cenodoxiæ careat; & ſubdit, quòd ſi quis hac animi peſte laboret, Sacræ Scripturæ Codices nequidem tangere licitè poteſt.

Quoad eos Libros, quorum lectio Monachis iis prodeſſe creditur, qui nimirum prædictis ornantur dotibus, idipſum ſentit, quod Sanctus Baſilius, ſic quippe ad quemdam ex diſcipulis ſcribit: *Si veram cordis compunctionem habere cupis, cave, ne profanorum Authorum libros, ſive hiſtoricos, ſive Oratorios perlegas; quinimmò nec ipſum vetus Teſtamentum, ſed novum ſæpe numerò revolve, ſicut etiam Acta Sanctorum Martyrum, Vitas, & exempla Priſcorum Patrum. Hinc tamen non eſt* (ſubdit Sanctus hic Doctor) *quod velim Librorum Veteris Teſtamenti lectionem tibi penitus inhibere, quandoquidem, utpotè a Spiritu Sancto divinitùs inſpiratos, eos univerſim recipi non ignoramus, necnon in propugnationem Fidei, atque Eccleſiæ Orthodoxæ ſuſtentationem eſſe apprimè neceſſarios; Verumtamen ad excitandum in cordibus noſtris compunctionis ſpiritum mibi non videntur exactè conducere.* *Nil. lib. 4. Epiſt. 1.*

Sanctus hic Doctor ſub iſtorum numero Pſalterium, & Sapientiales libros proculdubio comprehendere noluit, quorum utique lectio ad ſpiritualem profectum maximè confert. Quocirca veteres Patres adeò ſibi conſcii de Pſalmorum utilitate fuere, ut præter diurnam Divini Officii recitationem, quod ex ipſis totum ferè concinnarunt, ſtatuerint eoſdem memoriæ eſſe mandandos, ut ad quemdam Aſcetam Divus Hieronymus ſcribit: *Diſcatur Pſalterium ad verbum;* Quod etiamnum apud Carthuſianos viget. Præterea idem S. Doctor teſtatur, Sanctum Hilarionem memoriter totam Sacram Paginam didiciſſe, quam etiam coram Deo, Pſalmodia, ac Oratione peractis, devotè recitare conſueverat. *Epiſt. ad Ruſtic.*

Iſidorus Peluſiota, Divo Nilo Synchronos, Divinarum Scripturarum lectionem, ad quam tenentur Monachi, ad ampliora extendit: Scribens namque Cyro Monacho ſic ait: *Sacroſancta volumina, quæ Divinarum Scripturarum teſtimonium habent, ſcalæ quædam ſunt, quibus ad Deum aſcenditur; Quamobrem ea omnia, quæ in Eccleſia proponuntur, tamquam probum aurum excipe, ut quæ Divinæ veritatis ſpiritu, velut igne, purgata ſint; Quæ autem extra hoc volumen circumferuntur, etiamſi* *Lib. 1. epiſt. 369.*

quip-

quippiam habeant, quod ad gravitatem, vitæque honeſtatem queat allicere, iis, qui à tuis certaminibus remoti ſunt, inveſtiganda, & obſervanda relinque, iis nempe, qui verborum pompæ potius ſtudent, &c. In hac pariter ſententia verſatur Caſſianus collat. 14. ubi addit, ut hujuſcemodi ſtudium ritè abſolvatur, exactam Divinarum legum obſervantiam, cordis puritatem, humilitatemque omninò prærequiri.

Nec ulli dubitatio ſuboriri poteſt, num Divus Benedictus idem ſenſerit, ſuiſque alumnis omnium librorum, tum veteris, tum novi Teſtamenti lectionem amplè permiſerit; quoniam in Regula præſcribit, in nocturnis horis utroſque legendos eſſe: *Codices autem legantur in Vigiliis, divinæ auctoritatis, tam veteris Teſtamenti, quàm novi*. Et quamvis ante Completorium, nec Heptaticum veteris Teſtamenti; nec Regum libros legendos ſuadeat, quia, ut inquit ipſe: *Infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc Scripturam audire*, eorumdem tamen lectionem alio tempore non interdicit; protinus enim ſubdit: *Aliis vero horis legantur*.

Perlegi poteſt, prout ad rem hanc, Epiſtola Sancti Baſilii Magni, Divo Gregorio Nazianzeno exarata, in qua vivendi methodum tangit, quam in ſolitudine ſequi oportet; ibi namque planè oſtendit, Monachorum eſſe ſingulos Bibliorum libros ſedulò meditari, ut eruditiones quaslibet, & exempla inde percipiant; ſanctiſque operibus ea in ſemetipſis ſtudeant æmulari. Ut tandem ex hujuſmodi contemplatione, ac ſtudio fructus, quem ſperamus, emergat, ſubdit orationem Deo paſſim adjiciendam eſſe.

Ex iis, quæ ex Sanctis Patribus quoad Scripturarum lectionem hucuſque retulimus, colligere poſſumus, arduum omninò eſſe univerſales quaſdam leges innuere ad peculiarem ſingulorum Monachorum directionem; Cùm etenim ingeniorum vires, diſpoſitiones cordium, ætates, locorum, temporum, ac perſonarum circumſtantiæ multifariæ ſint, propterea neceſſum eſt, ut à perſpicacis Superioris, aut Directoris prudentia inferiores regantur, quibus Sacram Paginam, prout congruere plus minuſve reſpectivè dignoverit, accuratè diſtribuat. Judæi antiquitùs nullatenus à ſuis *Cantica Canticorum*, ut prima Geneſeos capita legi permittebant, præterquam ab attingentibus trigeſimum ætatis annum. Quicumque à Deo per intus excitantem, & adjuvantem gratiam ad cordis compunctionem, & ad contemplativam vitam peculiariter alliciuntur, poſſunt lectioni, ac meditationi librorum moralium Sacræ Paginæ potiſſimè vacare, licèt in cæteris quamplura etiam loca ponderatione digna ſuperſint; at verò qui majori intelligendi acie pollent, ac proinde Scripturarum ſenſum intimiùs rimari queunt, jam non debent intrà moralium dumtaxat librorum limites ſe cohibere, ſed tum ad propriam, tum etiam ad ſodalium ſuorum eruditionem, reconditiores Scripturarum ſenſus, Epiſt. 134. ac Myſteria detegere, ὑψηλὰς ἐννοίας, ut effatur Divus Nilus. Hæc autem doctrina plurium Sanctorum Monachorum exemplis, quorum abundè jam ſupra meminimus, comprobari poteſt, eaque Sanctorum

Baſi-

Digitized by Google

Baſilii, Nili, Iſidori, quorum auctoritates nuper citavimus, ſatis quoad hoc eſſe videntur.

S. Baſilius Monachis ſuis poſcentibus, num expediat plurima in Sacra Pagina addiſcere, novam regulam tribuit; reſpondet enim, *Regul. brev. interrog. 1.* quòd ii, qui aliis præſunt, eorumque curam gerunt, nil prorſus divinæ ſcientiæ ignorare debent, ut ad plenam eorum eruditionem ſint apti, qui proprio ſubjiciuntur regimini; at verò reſpectu inferiorum inquit fas eſſe, ut intrà quoſdam ſciendi limites ſeſe compeſcant, juxta nempe talentorum menſuram, quæ ipſis Deus impertit; & quòd regulariter loquendo, peculiaribus quibuſdam notionibus acquieſcere debent, proprium inſtitutum ſpectantibus, quæ ſingulorum ad emendandos defectus, ad cordis puritatem, verbo demum *Interrog. 96.* ad uniuſcujuſque perfectionem recta dirigere valeant. Alibi præterea innuit, opus eſſe quoad id Superiorum adhærere conſiliis.

Poteſt igitur appoſitè ad rem hanc afferri, quòd olim Cæſareæ incolis in quadam Homilia ſcripſit idem S. Doctor, ubi ſic habet: *Reminiſcamini quæsò earum, quæ ſunt in Pſalmis, monitionum; Proverbialia præcepta, Hiſtoriæ pulchritudinem, exemplaque ſedulò inveſtigate; his addite Apoſtolica mandata. In omnibus verò tamquam Coronidem, perfectionemve, verba Evangelica conjungite, ut ex omnibus utilitatem capientes, ad id demum contendatis, ac revertamini, ad quod quiſque jucundè eſt affectus, & ad quod obeundum gratiam à Spiritu Sancto recepit; nam ſic omninò in multifaria Eccleſiæ facie quot ſunt hominum differentiæ, totidem exiſtunt ſententiæ, quot item ætatum, & Ordinum varietates, totidem & Peccatorum curandorum genera.* *Homi. 21. in aliquot Script. locos.*

Negligendum pariter hìc nobis non eſt, quod ſuper hoc Caſſiodorus in Prœmio ad inſtitutionem divinarum literarum monet; de ſeipſo enim loquens ait: *Sed quàmvis omnis Scriptura Divina ſuperna luce reſplendeat, & in ea virtus Spiritus Sancti evidenter irradiet, in Pſalterio tamen & Prophetis, & Epiſtolis Apoſtolorum ſtudium maximum debet impendi; quoniam mihi viſi ſunt profundiores in ſe difficultatum abyſſos claudere, & quaſi arcem totius Scripturæ Divinæ, atque altitudinem glorioſiſſimam continere.* Cæterùm quantum ad Pſalmos peculiariter attinet, legere opus eſt egregiam Epiſtolam *Epiſt. 1. ad Greg.* à S. Athanaſio ad Marcellinum ſcriptam, in qua perſpicuè oſtendit, univerſam in ipſis Scripturarum doctrinam compendiariò contineri.

Hinc tamen non eſt, quòd peculiaris applicatio ad quoſdam Sacræ Scripturæ libros, cæterorum dein lectionem compati nequeat, in quibus, teſte S. Baſilio, nedum omnium virtutum genera vividè adumbrantur, verùm etiam quorumvis ſpiritualium morborum, quibus identidem premimur, remedia conſpicimus; ubique namque locorum haud mediocris eſt, tum meditandi, tum ſe compungendi occaſio. Et ſanè quid mirabilius, ſcituque dignius, quæ in Geneſeos libris leguntur, de lapſu nempè, ac pœna primorum Parentum, de juſtitia Noe, & totius humani generis per Cataclyſmum interitu, de Abra-

hæ

Digitized by Google

hæ mira obedientia, bonorumque promiſſione ipſi à Deo in retributionem facta, de Sodomorum punitione; denique de ſpeciali Dei providentia in Patriarcham Joſeph? Quod ſi ad Exodum nos transferamus, mirabilia pariter à Deo in gratiam Iſraelitici populi patrata videbimus, Pharaonis duritiem, Divinamque erga oblatrantes, atque Idololatras in Deſerto ultionem. In Levitico, & Numeris ſedulitatem, quam Deus exigit in miniſteriis, proprium ſui cultum reſpicientibus. In Deuteronomio Divinarum Legum ſanctitatem; in libris Joſue promiſſionum ſupernarum adimpletionem; In libro Judicum Sampſonis fortitudinem, atque imbecillitatem; In eo Ruth æquitatem, rectamque fidem Booz; In libris Regum ſanctitatem Samuelis, Eliæ, Eliſæi, aliorumque Prophetarum, reprobationem Saul, lapſum, ac pœnitentiam David, ejuſque clementiam, atque patientiam; ſapientiam, & peccatum Salomonis, pietatem Ezechiæ, & Joſiæ. In Eſdra zelum divinæ legis; In Tobia ſanctæ familiæ regimen; In Judith vim gratiæ; In Eſther prudentiam; denique in Job mirabilis patientiæ prodigium. In Prophetis nedum promiſſio, verùm & venturi Meſſiæ dotes exprimuntur; item comminationes in impios, infortuniorum prædictiones, quæ Judæis, ac pleriſque aliis nationibus imminebant. Unico demum verbo, univerſa, quæ in ſacra pagina continentur, ſanctitatem, majeſtatem, ac utilitatem quamdam redolent, dummodo pia cordis affectione legantur.

§. II.

De Methodo à Monachis ſervanda in lectione Sacræ Paginæ.

NOn eſt hìc mei meta conſilii exactam aliquam methodum ad legendum tradere prò intelligentia Scripturarum Sanctarum. Quamplures namque docti viri jam de hoc luculenter ſcripſere; quamquam nonnulla eorumdem elucubrationibus fortè ſuperaddi poſſunt. Vaſta nimis, & ampla eſt præſens materia, proindeque brevi hoc tractatu eam comprehendere nequeo, tametſi ad id præſtandum mihi vires abundè ſufficerent. Sat igitur hìc erit normam quamdam leviter adumbrare, quam religioſis alumnis magis prodeſſe crediderim, qui nimirum Sacros Codices ordine aliquo perlegere cupiunt; non quidem ut inde ſapientes penitùs fiant, ſed ut ipſorum mentes quadantenus illuſtrentur, & ſingulorum corda cœleſtibus veritatibus imbuantur.

Poſſent itaque meo videri Bibliorum figuras, Iſraelitarum mores, & Chriſtianorum, primò perlegere, Authore Domino Abbate Florio; tres ſiquidem iſti libelli, unà cum hiſtoria Bibliorum Domini de Andeliaco, quamdam Sacræ Paginæ ideam ipſis præbebunt, eoſque ad ejuſdem lectionem diſponent, quam perficere cupiunt.

Porrò hujuſmodi lectionem exordientur à novo Teſtamento per totum,

tum, ſine interruptione, id enim eſt ſcopus, ad quem ea quæcumque collimant, quæ in veteri conſcripta leguntur. Nonnulli arbitrantur, optimum fore idem continuò abſque notis, ac commentariis legere, lectoremque iis præcisè contentum eſſe debere, quæ tunc aliquatenus intelliget, abſque eo quod occurrentes difficultates medullitus penetrare contendat; quam veluti generalem normam refert S. Joannes Chryſoſtomus de modo legendi ſacram paginam Homil. 3. in Lazarum, quæ regula ad praxim redigi ſaltem poſſet quoad Evangelia, & hiſtorica geſta, ac proinde captu faciliora, quàm ſint Epiſtolæ Divi Pauli, quas prima vice arduum omninò erit percipere abſque ullo notarum, ac commentariorum adminiculo, aut ſaltem alicujus expoſitionis, ſive paraphraſis. Cùm verò novum Teſtamentum ſecundò legere paraveris, ſimplicis textus lectioni altera tum poterit ſuperaddi brevium notarum, ſive commentariorum; ad quod præſtandum utiles admodùm erunt interpretationes Holdeni in totum Teſtamentum novum; item commentarii Janſenii Iprenſis in Evangelia, & Gagnæi in Epiſtolas Divi Pauli, ſicut & Analyſis Patris Mauduit Congregat. Orat. recens impreſſa, quæ eruditiſſimi in dictas Epiſtolas commentarii locum jure ſibi vendicat. Legi inſuper à Tyronibus poterunt paraphraſes, olim ſuper iis editæ à Domino Godeau. Illis autem, qui nonnihil in hoc ſciendi genere ſe jam profeciſſe noverint, utilis erit lectio Fromondi in Acta, & Epiſtola ejuſdem Apoſtoli, faciliorem namque, minuſque ſterilem reor, ac ſit altera Eſtii, qui tamen eruditioribus viris legendus proponitur.

Poſtquàm ſemel, iterumque, nec interruptè, perlecta fuerint quatuor Evangelia, optimum erit alicujus concordiæ adminiculo ſingula invicem conferre. Hujuſmodi autem opera à pleriſque Doctoribus edita, concordiæ titulo inſcribuntur, quatenus in ipſis eorum omnium conſenſio oſtenditur, quæ ſinguli Evangeliſtarum ſcripſere. Legatur ea, quam Doctor quidam Pariſienſis latino ſermone nuper edidit, cujus titulus eſt: Hiſtoria, & Concordia Evangelica.

Poſt harum notionum acquiſitionem legi poterit Concordia Janſenii Gandavenſis, item S. Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſtarum, de Religione, de Moribus Eccleſiæ, & de Sermone Domini in Monte, Maldonatus etiam in Evangelia utilis erit, tametſi nonnihil audacter de Sanctis Patribus eloqui videatur.

Operæ pretium eſt Divi Pauli Epiſtolas pluries evolvere, in quibus almæ Religionis noſtræ veritates examuſſim indicantur, quæ ut plurimum nudè, ac ſimpliciter in Evangeliis nobis proponuntur. Et quia hujuſmodi lectio totum exquirit hominem, ideò non obiter, aut perfunctoriè ipſi incumbendum erit; difficillimum quippè eſt, quemadmodum ex veteribus Scriptoribus nonnulli animadvertunt, intimum Apoſtoli ſenſum vel ſemel in iis attingere, abſque jugi earumdem lectione, profundaque meditatione. Ponderationes inſuper in dictas Epiſtolas à quibuſdam Authoribus editæ, ad hanc ipſam meditationem ritè abſolvendam multùm conferre poterunt. *Guillel. ad Fratr. de Monte Dei.*

Commentarii tamen S. Joannis Chryſoſtomi, & Sermones Divi Auguſtini de Verbis Apoſtoli, quæve ſcripſit Eſtius, potiſſimùm juvabunt ad ejuſdem Apoſtoli ſenſum intimiùs penetrandum. Non modicùm pariter, quæ in iſtas exaravit Epiſtolas Theodoretus, legere proderit; ſunt enim veluti purior Commentariorum ſuccus, quos edidit S. Joannes Chryſoſtomus. Horum plura Gallico ſermone commentaria in lucem nuper prodiere, quorum lectio utilis erit.

Novi inſuper Teſtamenti lectioni altera librorum ſapientialium poterit ſuperaddi, unà cum brevibus commentariis, quales ſunt editi à Janſenio Iprenſi. Confert inſuper non modicum perſæpe evolvere verſiones Domini de Sacy cum ſuis expoſitionibus; item ponderationes in Sapientiæ libros Patris Bouteau Jeſuitæ; in quibus operibus præcellentes Regulæ legentibus occurrent pro omni ſtatu, ac humanæ vitæ conditione, juxta varias viciſſitudines, queis nos ſubeſſe contingit.

Expedit etiam Religioſis Alumnis Pſalmorum ſenſus gnaviter inveſtigare, cùm ſingulis ferè momentis in diurna, nocturnaque Synaxi reſonent in ore pſallentium. Bellarmini autem ſuper his commentaria, exterarum preſertim linguarum notitia carentibus, legenda conſulo; ea tamen Genebrardi, & Simeonis Muiſii magis commendantur, nec quæ Titelmannus edidit ſpernenda opinor. Ad hoc quoque ſummoperè conferent expoſitiones Domini de Sacy; verſio item in Vulgatam, ac Textum Hebraicum, & alia quædam Verſio, cum Epitome Sententiarum Divi Auguſtini, in tertia columna repoſita; Paraphraſis Patris Megii, & alia Domini Abbatis de Cauciaco, & tandem latina verſio Divi Hieronymi in Textum Hebraicum, quam Meldenſis Epiſcopus Vulgatæ nuper inſeruit, unà cum notis, & Prœmio eruditiſſimo. Operæ etiam pretium erit titulos in primis, & argumenta ſingulorum Pſalmorum animadvertere, ſunt quippe veluti clavis ſenſuum in iis reconditorum.

Priuſquàm veteris Teſtamenti libri legantur (quod continuò præſtare quis poterit poſt Philoſophicum, ac Theologicum curſum) ad rem valdè eſſet quatuor Divi Auguſtini libros perlegere de Doctrina Chriſtiana, Sermones de catechizandis rudibus, & de Symbolo; item ſermonem quemdam Gallico idiomate compoſitum in Pentatheucum Moyſi, & alium in præconceptas ideas Domini Paſchalis, ad Religionem attinentem, & librum Grotii de hac ipſa materia tractantem, præter illum Divi Auguſtini jam recenſitum. Enimverò hac ratione totius Œconomiæ noſtræ Fidei idea quædam formabitur, earumque animadverſionum, quæ in lectione Scripturarum Sanctarum fieri debent, tam quoad vetus, quàm novum Teſtamentum; in his nimirum conſiderando humani generis lapſum, ac corruptelam, unius Salvatoris urgentem neceſſitatem, ejuſdem promiſſionem à Deo antiquis Patriarchis factam, Prophetarum vaticinia de Adventu Chriſti, argumenta ejus miſſionis, & tandem omnium divinarum promiſſionum in perſona Jeſu Chriſti adimpletionem. Legi dein poterit brevis Sulpitii Severi Hiſtoria, licèt non eò exacta, quò ſtylo diſerto conſcripta.

Neceſ-

Neceſſum quoque erit caſtigatam, tum veteris, tum novi Teſtamenti, Chronologiam comparare, qualis impreſſa legitur in fronte Bibliorum Antonii Vitrè; item generalem quamdam Dialectorum notitiam, ſive propriorum modorum loquendi ſacræ paginæ, Opuſculum etiam Topographicum, unà cum ſuis tabulis Terræ Sanctæ, quemadmodum in lucem nuper edidére Adrichomius, & Lightfootus; epitomen quamdam Hiſtoriæ Sacræ, atque Tractatum de variis editionibus, ac verſionibus Sacræ Scripturæ; Waltoni prologomena, quæ ſub initium verſionis Polyglottæ, Londini dudum impreſſæ, habentur, quæque ſæparatim in Germania typis ſunt evulgata, non parvo erunt emolumento. Evolvi item poterunt Bibliotheca Sixti Senenſis, ac Bibliotheca ſelecta Poſſevini.

Prout autem ad Sacram ſpectat hiſtoriam, Joſephum de antiquitate Judaica legere præſtat, unà cum hiſtoria, & opere adversùs Appionem, ab ipſo concinnatis, tum diligenter notando, quæ Bibliorum textui ſuperaddidit, ut antiquitatum ſuarum gratior legenti foret narratio; tum pari ſedulitate animadvertendo, quæ ibi de Judæorum moribus retulit, in quo ſanè Philoni anteponendus eſt de Judæorum Alexandrinorum ritibus differenti, qui erant illius ævo magnopere diſcrepantes. Hæc autem Joſephi Hiſtoria oppidò juvat in ſupplementum Bibliorum iis præſertim temporibus, quæ ab ipſis haud attinguntur, putà à Machabæis uſque ad Chriſtum Dominum. Et hinc eſt, ut praxis hujuſmodi facilior redderetur, Authores quoſdam hæc Joſephi ſupplementa in unum collegiſſe, ut inter alios nominatim egit Caſtalion, qui Bibliorum operi à ſe edito ea inſeruit. Demum Joſephus in libris contra Appionem nobis quamplurima hiſtoricorum Authorum ſervavit fragmenta, ut Beroſi, Manethonis, & aliorum, ad evincendum, Moyſen quolibet profano Legislatore fuiſſe longè antiquiorem.

Ex recentibus autem Scriptoribus non deſunt, qui operam feliciter impenderint in univerſa veteris Teſtamenti elucubranda Hiſtoria, juxta propriorum temporum ſeriem, ac diſtributionem, ut Salianus, Torniellus, Pater Alexander. Annales Uſſerii inoffenſo poſſumus pede percurrere, horum quippe Chronologia inter certiores habetur, cui tantum profanæ hiſtoriæ ipſe conſeruit, quantum ſat erat ad plenam Bibliorum notionem.

Porrò quamquam non eſt opus, ut priuſquàm veteris Teſtamenti lectionem quis exordiatur, præfata omnia perluſtret volumina; nihiloſeciùs maximoperè confert quamdam ſaltem Chronologiæ ideam præhabere, atque alicujus Topographiæ, & Dialectorum Sacræ Paginæ, ſeu idiotiſmorum, quos ſexaginta articulis Waltonus concluſit. Nec ægrè quis tulerit, ſi aliquot etiam Proteſtantium Reformatorum inviſenda proponam volumina; quandoquidem Divus etiam Auguſtinus Tichonii, Donatiſtarum hæreſeos labe infecti, regulas nobis legendas obtulit, ut inde faciliùs ſacrarum literarum intelligentiam conſequeremur.

Apparatus item ad Biblia Sacra, per tabulas diſpoſitus, Authore Patre Lamy, Congregat. Orat. Tyronibus perquàm utilis erit; hiſce namque in tabulis compendiariò exprimuntur Hebræorum origo, eorumque potiora geſta, regiones, regimina varia, Religio, Cæremoniæ, ſolemnitates, ſectæ diverſæ, quæ ipſos inter vigebant, pondera, & menſuræ, quibus utebantur, mores, rituſve potiſſimè ad ipſorum Religionem attinentes; item diviſio librorum, ex quibus Sacra Biblia coaleſcunt, idiomata varia, quibus exarata ſuere, & multifariæ ipſorum verſiones. Ultimo dein loco nonnullæ regulæ ad faciliorem Scripturarum captum, & explanationem traduntur. Quòd ſi quis intimiùs ſcire optet, legat Sigonium de Republica Hebræorum, & Waltoni Prologomena.

Præviis hiſce habitis diſpoſitionibus, perlegi mox poterunt veteris Teſtamenti libri, unà cum nonnullis brevibus commentariis pro expoſitione ſenſus literalis, qui eſt veluti baſis, ac fundamentum Religionis; inde namque tempus, ac circumſtantiæ dignoſcuntur, in quibus librorum ſinguli fuere conſcripti. Utile etiam foret lectionem Prophetarum adjicere, Regumque hiſtoriam, ſub quibus eorum ſinguli vixére; vel potiùs Regum libros identidem inviſere, quamdiu lectioni Prophetarum opera navabitur.

Singillatim hìc non recenſeo ea omnia, quæ legi poſſunt commentaria. Vatablus in univerſam Sacram Paginam propter laconicum, quo utitur ſtylum, oppidò confert ad ſenſus literalis notionem; tuta autem conſcientia legi poteſt poſt emendationem nuper à Salmanticenſibus Doctoribus editam, nonnulla ſiquidem loca ejuſdem obliterarunt, quæ à ſuſpectis Authoribus addita exiſtimantur. Præter dictos adjici poterit Menochius, qui ſanè non erit inutilis, cùm brevitate potiſſimùm gaudeat; inſuper Jacobus Tirinus, Gordonius, & Emmanuel Sà. Dionyſius Carthuſianus ſpernendus non eſt. Cardinalis Cajetanus valde commendatur quoad ſenſum literalem. Quidquid Theodoreti in Sacram Paginam habemus, optimum eſt; varias reſolvit quæſtiones in difficiliora loca Pentateuchi, Joſue, Ruth, Regum, Paralipomenon, quæ non inutiliter leguntur; ſicut etiam Eſtius in difficiliora Scripturæ loca. Cornelius à Lapide ad rem etiam erit, ſed quia aliquantùm prolixus, omitti proinde in ipſo poterit quidquid ad literalem ſenſum non neceſſario conducit.

Janſenius Iprenſis in Pentateuchum ſufficere poterit. Non opus eſt multis commentariis pro hiſtoricorum librorum intelligentia; ſecus verò pro illis Job, & Prophetarum. Philippus Codurchus novam quamdam verſionem in Job edidit, cum Scholiis, quæ proderunt legenti. Poſt ipſum Pater Vavaſſorius in eumdem Job ſcripſit, & Pater Senaltius, qui hujuſce libri Paraphraſim elucubravit.

Divus Hieronymus in Prophetas multùm commendatur, præſertim quoad ſenſum literalem, quem profectò accuratè ponderavit, invicem conferendo multifarias ejus verſiones. Verùm pro Tyronibus ad rem eſſe planè non videtur. Maldonatus in Ezechielem, & in ali-

aliquot Prophetarum utilius erit. Eruditiſſimum eſt etiam opus Willalpandi ſuper deſcriptione Templi ab Ezechiele tradita; verumtamen illis fortè gratum omninò non erit, qui ſpiritum dumtaxat in Scripturarum lectione dirigere optant; Quocirca nihil optabilius ſuper hac materia, quàm quæ Lightfootus exaravit.

Biblia magna Patris de la Haye in univerſam Sacram Paginam magis commendantur, quàm ejuſdem Biblia maxima; prima namque collectio ex variis Eſtii adnotationibus concinnatur, Emmanuelis Sà, Menochii, Tirini, & Gagnæi. Supervacaneum videtur hic proponere verſionem, atque explanationem Domini de Sacy in ſingulos Bibliorum libros; ſunt enim veluti eruditiſſima commentaria, ab iis præſertim legenda, qui nonniſi proprii ſpiritus ædificationem affectant.

Plura ſuper hoc non addam; quæque hactenus innui, Monachis abundè ſufficere reor, qui ſacram tantùm paginam evolvere intendunt ad propriam ædificationem, atque ut aliquam ſenſus literalis notitiam aſſequantur, non autem ut, pluſquam oportet, ſapiant, aut quidquam curioſè inveſtigent. In calce libri à Bellarmino compoſiti de Scriptoribus Eccleſiaſticis, catalogus quidam adjicitur eorum omnium Authorum, tum veterum, tum recentiorum, qui in ſingulos Bibliorum Libros edidére commentaria. Catalogus tamen Crovæi, Londini in 8. impreſſus, adhuc abſolutior exiſtimatur.

Servata in lectione Sacræ Paginæ ſemel, & iterum tali methodo, tum lector Operam Commentariis impendere poterit; neutiquam tamen ipſi negotium faceſſet eamdem tertiò attentè perlegere, ſervatis iis conditionibus, infra notandis; & cùm in hacce lectione ſe aliquandiu exercuerit, facilè tum poterit ſibi componere Commentarios, jugiter eidem, ac impensè vacando; hinc enim fiet, ut quæ ſecundò, vel tertiò adhuc obſcura viſa fuerint, magis ac magis elucidentur in progreſſu, & unius loci explanatio ad alterius intellectum conducat.

Ad hoc tamen aſſequendum neceſſum abſolutè non erit, Atticam, aut Hebraicam callere linguam, hujuſmodi namque ſtudium iis potiſſimè ineundum erit, quos Deus ad altiorem ſciendi gradum advocat, qui proinde comparare ſibi debebunt Biblia Polyglotta, aliquam Criſim, ſeu potius Synopſim Criticorum, exercitationes Biblicas Patris Morini, catenas varias, tum Græcas, tum Latinas, quales ſunt Procopii à Gaza &c. Collectio Sacrorum Criticorum, ex adnotationibus tredecim recentium Commentatorum, omnium penè Proteſtantium, coaleſcit; & quia plures in tali opere repetitiones extant, Matthæus Paulus aliam concinnavit ſub titulo: *Synopſis Criticorum*, in qua repetitiones dictas penitùs omiſit, novoſque congeſſit Authores ad declarationem plurium locorum, quæ parùm explanata videbantur. Plerique tamen ſapientum talem collectionem arbitrantur nondum omnibus ſuis numeris abſolutam, tum quia nonnihil confuſa conſpicitur, tum etiam, quia præfato Compilatori neceſſaria deeſt linguarum peritia, quarum ibi verſiones referre conatur.

Quamquàm autem, ut recens innui, præfata linguarum notitia non eſt iis abſolutè neceſſaria, qui pietatem tantùm, propriique ſpiritus compunctionem in Sacrorum Codicum lectione affectant; poterit nihilominus ipſis valdè conferre ad faciliorem ſenſus literalis captum, in quo veræ nititur pietatis fundamentum. Divus Hieronymus in Elogio ſuper Diva Paula à ſe edito, laudibus ipſam extollit, filiamque ejus Euſtochiam, eò quod Hebraicam linguam didicerint, ut majori cum gaudio, ac fructu ſacras literas evolverent. Cæterùm quantum ad illos, qui earumdem exactiùs potiendi cupiditate flagrant, plura infra adjiciam cap. 19. hujus ſecundæ Partis.

Ad rem etiam erit aliquid hic innuere de nonnullis Proteſtantibus minùs ſuſpectis, qui Sacræ Scripturæ felici quodam exitu inſudarunt. Druſius inter eos recenſeri poteſt, qui in univerſa propemodùm Biblia notas elucubrarunt. Sunt autem iſtæ non modicum legentibus utiles, ob exactam Hebraicæ linguæ notitiam, qua præditum ſe fuiſſe talis Author oſtendit. Verum enimverò ſi intimiùs iſtius opus perpendatur, Grammaticam potiùs redolet, quàm veram ſcientiam, aut ſermonis profunditatem. Quare notarum ab ipſo editarum lectio gratior, utiliorque foret, ſi meliori ordine, doctrinæque digeſtione eæ fuiſſent impreſſæ.

Negligendi non ſunt Commentarii, quos in Sacram Paginam edidit Ludovicus de Dieu; conſultò ſiquidem ſtuduit eas quaſcumque præterire ſilentio difficulates, jam ab aliis ſatis eventilatas, ſtatiſque locis pulchra, & curioſa in tali opere leguntur. Si quis ægrè non tulerit volumen perlegere, quod Maſius in librum Joſue contexuit, utiles notas inveniet pro ſingulis Bibliorum libris. Joannes Macerus in Job, & in libros Sapientiales videtur valde prolixus; ſed fructui legentibus erit, ipſumque utiliter conſulere præſertim poterunt quoad difficiliora Scripturæ loca.

Porrò à me hucuſque recenſitis Authoribus ſat pro nunc erit Grotium addere, cujus notæ, atque in ſingulos penè Bibliorum libros Commentaria univerſorum manibus teruntur. Verumtamen quamvis Author iſte nonnihil in ſcribendo moderatus appareat, ipſum nihilominùs cautiſſimè legendum arbitror. Ejus in vetus Teſtamentum notæ, quæ oppidò breves ſunt, profanis eruditionibus paſſim texuntur; Quoad prophetias verò pernicioſiſſimo nititur fundamento, videlicet, quòd earum ſingulæ ad literam fuerint in quodam alio homine adimpletæ, qui erat figura Jeſu Chriſti venturi; & ideò caput 53. Iſaiæ ad Jeremiam refert, ex quo liquet ſummoperè imminui vim earumdem Prophetiarum, ac ſenſum. Similiter quoad novum Teſtamentum, Jeſu Chriſti Divinitatis argumenta enervat, & Pelagianiſmo adhærens, germanum S. Joannis ſenſum, prout ad gratiam attinet, paſſim adulterat; mordicùſque defendere nititur, ne verbum quidem de hiſce veritatibus fieri in Epiſtola ad Romanos. Quapropter non eſt ambigendi locus, ex hujus Authoris lectione aliquot Catholico-

rum

rum mentes gravem ſubiiſſe jacturam, ejuſque dubitationes in rebus ſiedi non mediocri legentibus fuiſſe detrimento. Hoc tamen non obſtante, fateor eamdem quodammodò proficuam fore, dummodò, ut nuper innui, cautè exerceatur; quandoquidem Grotius, licèt dubiæ, ac variæ Religionis, vir tamen erat recti judicii, ac ponderatæ rationis, linguarumque tum Græcæ, tum Hebraicæ peritiſſimus, non minùs quàm profanorum Authorum ſcientiſſimus, ex quibus quidquid ad hiſtoriam, & mores ſpectat, collegit, ut Prophetias illuſtraret, Hebræorumque conſuetudines indicaret.

§. III.

Quænam prærequirantur diſpoſitiones ad utiliter legendam Sacram Scripturam.

Piiſſimus Author librorum de Imitatione egregias planè regulas nobis præſcribit, quatenus cum fructu Sacram legamus Scripturam; ex his autem aliæ ſunt generales, peculiares aliæ. Inter primas una hæc ab ipſo traditur, nimirum quòd univerſa Sacra Scriptura eo à nobis ſpiritu legatur, quo facta eſt, hoc eſt juxta finem, ac propoſitum Dei eam nobis revelantis; atqui Deus quoad hoc nil aliud planè intendit, niſi ſuimet, propriæque veritatis manifeſtationem, & viatoribus ſemitam oſtendere ad ſemetipſum tamdiu inveſtigandum, donec inveniant; & ideò ſpiritalis fervor, quo Divina Scriptura legenda eſt, eò præſertim tendere debet, ut Deum ipſum in terris agnoſcamus, fideique noſtræ myſteria, & noſmetipſos; indeque modum diſcamus rectè ad eum proficiſcendi, rebuſque creatis æquè utendi; demum quod in hujuſmodi lectione ſimplicem tantùm veritatem, ac juſtitiam inquiramus per charitatis, cæterarumque virtutum exercitium. *Lib. 1. c. 5.*

Alterius verò generis conditiones ſunt, puritas cordis, humilitas, ſimplicitas, abdicatio curioſitatis, ac nimiæ feſtinationis; hoc eſt, ut dignè hæc lectio habeatur, & ſpiritualis inde profectus hauriatur, operæ pretium erit cor mundum ſervare, illamque humiliter, ſimpliciter, fideliterque exercére, non curioſè, ac feſtinanter.

I.

Nonniſi in Scripturis Sanctis, propriè loquendo, veritatem aliquam detegere poſſumus, ex iis nempe, quibus meritò totis niſibus inſudandum eſt. Quæcumque aliæ veritates tenebris offuſcantur, noſtraque mens adeò per peccatum obtenebratur, ut incredibili labore opus ſit, & ſæpenumero incaſſum, ad alias veritates ritè penetrandas, præter eas, quæ ſacris in codicibus obſerantur.

Hujuſmodi autem veritates vel theoricæ ſunt, vel practicæ; illæ

G 4 ad

ad imbuendum nos Dei, noſtrumque notitia conducunt, iſtæ verò proprios dirigendi mores nobis ipſis normam ſuppeditant. Aliæ rurſus ſuperſunt veritates, hiſtoricæ dictæ, quæ ad alterutras earum redigi poſſunt.

In inquiſitione ſpeculabilium veritatum nullus unquam committi poteſt exceſſus, dummodò in ſedula noſtrûm meditatione ſiſtamus, qua noſmetipſos Chriſtiano quodam odio jugiter proſequamur, Deumque magis, ac magis cognoſcamus, quatenus intimo cordis affectu ipſum, ut par eſt, diligamus. Si verò præfatis veritatibus, tum ſpeculabilibus, tum practicis, operam demus, eas animo dumtaxat penetrandi, non autem iis utendi ad mores regulandos, talis inquam cognitio plus ſanè nocebit, quàm quidquam prodeſſe valeat; ſiquidem ipſamet ſcientia, quam de rebus vel ad ſalutem noſtram ſpectantibus habere aliquando credimus, inſcitiæ potius nomen merebitur, niſi continuò ad praxim redigatur. Multum profectò hallucinamur autumantes, ex ſolo oblectamento, quod legendo, aut percipiendo Sacrarum Scripturarum ſenſus in nobis ſæpenumero experimur, nos eas, quas inde edocemur veritates, perfectè diligere. Ut plurimùm quod nos merè delectat, amore tantùm proſequimur, & non id, unde ſani efficimur; ſic etiam lumine, ac nitore veritatis plerumque allicimur, ſed ut intellectus per eam tantummodo illuſtretur, non verò ut inflammetur voluntas ad opus.

Tametſi oporteat ad ſalutem conſequendam haud ignorare veritatem, illa tamen in hoc ſolùm minimè nititur. Ipſe veritatis amor non prodeſt quidquam, niſi efficax fuerit; quamobrem obedientiam, virtutumque exercitium operæ pretium eſt ipſi ſuperaddere; hoc quippe neglecto in ſcientiarum comparatione, jure aliquid ſemper ſuſpicandum reſtat, quandoquidem ut plurimum inflant. Præterea hocce omiſſo, aliquid in litera nuſquam non metuendum erit, quoniam
Serm. in Psalm. 18. ipſa occidit. Addamus inſuper cum S. Auguſtino, quòd ſi ſcientia fuerit charitate major, jam non ædificat, ſed inflat. Oſtendemus itaque in progreſſu qua ratione hujuſmodi conditio expleri queat, ut ad praxim univerſa lectio, ſeu ſtudium Scripturarum ſanctarum redigatur.

Hæc porrò erat ratio, propter quam Diva Paula, ut refert S. Hieronymus, & ſi plurimum commendaret, ut debebat, literalem geſtorum hiſtoricorum ſenſum, tamquam primum ipſius veritatis fundamentum, in hoc tamen prorſus non quieſcebat, ſed ad ſui ædifica-
V. Admonit. commun. in Matth. novæ editionis. Serm. 14. alias 1. tionem, ad myſticum, ac ſpiritalem inde ſe erigebat. Unde etiam Patres in Homiliis, quas identidem ad populum habebant, & in Commentariis in Sacram Paginam, ut inter alios liquet apud Sanctum Hilarium, ad myſticum, & allegoricum ſenſum ſæpe confugére. Quare nedum talis non eſt proſcribenda methodus, ut nonnulli mordicùs oblatrare videntur, verùm potius æſtimatione digna cenſenda. Legi interim poterit, prout ad rem hanc laudatiſſimum Domini Hamonis Proæmium, quod eſt in fronte Tertii Voluminis Tra-

ctatuum

ſtatuum ſpiritualium ab ipſo concinnatorum; Item quæ ſuper hoc ſcripſit Abbas Gilbertus in Cantica, ſunt enim huic loco apprimè conſentanea: *Semper*, inquit, *nova reperiri poſſunt in Chriſto, ſemperque ad nova poteſt in ſcripturis penetrari; multi ſunt in illo receſſus, theſauri ſapientiæ innumerabiles; non eſt uno contentus vellere; ſæpius tonderi poteſt*. Bona vellera, ſunt ſenſus myſtici, ſacrati affectus; talibus abundat Jeſus; nudari, & expoliari non poteſt. *Lætabor*, inquit, *ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa. His ergo te veſti ſpoliis, involve velleribus, ut caleſiant* (ſicut ſcriptum eſt) *latera tua.*

II.

Altera diſpoſitio, quæ ab iſta ſequitur, eſt puritas cordis; ita enim ſe gerit veritas, ut Deus ipſe, qui nonniſi cor mundum habentibus ſe manifeſtat. *Impuris non ſe oſtendit veritas*, inquit Mellifluus, *non ſe credit ſapientia; Superbo oculo ea non videtur, ſincero patet; nec enim eſt quòd veritas ſe deneget intuendam puro cordi, ſicuti nec eloquendam*. Theodorus Abbas apud Caſſianum ſcribit: *Impoſſibile eſt, immundam animam, quantalibet deſudarit lectionis inſtantia, adipiſci ſcientiam ſpiritalem; nemo namque in vas fœtidum, atque corruptum unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretioſi quidquam liquoris infundit; facilius quippè, quamvis odoratiſſimum, merum ſemel horrendis imbuta fœtoribus teſta contaminat, quàm ut aliquid ex eo ſuavitatis, aut gratiæ ipſa concipiat; quia multò citiùs munda corrumpuntur, quàm corrupta emundentur*. Ita igitur & vas pectoris noſtri, niſi priùs fuerit ab omni fœda vitiorum contagione purgatum, non merebitur ſuſcipere benedictionis unguentum, nec illam ſcientiam ſpiritalem, & eloquia Scripturarum, quæ dulciora ſunt ſuper mel, & favum, impolluta ſervabit. Innumerabilia penè ſunt eloquia Dei, quæ humano intellectu non attinguntur, id enim vetat mortalis cupiditas, denſiſſimas excitando tenebras, quibus illa obumbrantur, cùm alioquin ex ſe ſint meridiana luce clariora. Unde aperta in nobis neceſſitas evincitur ab omni prorſus labe corda noſtra tergendi; ſecùs namque potiorem eorum partem, quæ nobis Deus in Scripturis revelat, neutiquam poſſumus mente complecti.

Bernard. ſerm. 62. in Cant.

Caſſian. collat. 14. cap. 14.

Verùm in quonam hujuſcemodi puritas cordis ſita eſſe debebit? Non in alio planè præterquam in omnium inordinatarum paſſionum oppreſſione. Divus Baſilius puritatem iſtam eò uſque adducit, ut aſſerat, Monacho cavendum omninò eſſe, tamquam à voti caſtitatis violatione, à quibuſvis inordinatis motibus cujuſcumque excogitabilis paſſionis, unde vel minimùm queat proprii ſpiritus candor labefactari.

Serm. de inſtitut. Monach.

Cùm autem iſta cordis puritas difficilè acquiratur, oportet ad eam obtinendam nedum ſedulò, ut paſſiones ſingulæ opprimantur, ſatagere, verùm & orationi ſeriò inſiſtere; unde brevì, quod petimus, accipimus, ſi exactæ divinarum legum cuſtodiæ ea copuletur; Nonniſi quippe Oratione, & charitatis ope veritas ipſa cordibus noſtris refe-

referatur, quemadmodum per ſolam puritatem in iiſdem manſionem facit, ibique manendo palàm ſe manifeſtat.

Non adeò captu facilis eſt Scriptura, ut perperàm à quibuſdam perhibetur; enimvero utcumque ſublimi quis pollere arbitretur ingenio, id tamen ſæpiſſimè tardum, habeſque experietur in ſacrorum librorum intelligentia. Quæ unquam mens acutior, ſublimiuſque ingenium eo Divi Auguſtini? & tamen Iſaiæ Prophetæ ſenſum penetrare non valuit, cujus lectionem Divus Ambroſius ſub ejus converſionis initium ipſi præſcripſerat; unde etiam coactus fuit eamdem ad opportunius tempus differre, cùm ſcilicet ex diuturna in Scripturis Sanctis exercitatione intenſiori comparato lumine, ipſam potuit ſubtiliùs intelligendo perficere: *Ego primàm bujus lectionem non intelligens*, inquit ipſe, *totumque talem arbitrans, diſtuli, repetendum exercitatiori in dominico eloquio*.

Auguſt. lib. 9. Conf. num. 13.

Neque putandum eſt, id ita eſſe quoad aliquos tantùm Scripturæ libros, ad quorum captum opus dumtaxat ſit Cœleſti lumine; quoniam ad eos etiam, qui ſcitu faciliores videntur, ipſum perſæpè requiritur, quorum exactam intelligentiam in nobis plerumque inordinati remorantur affectus. Quare jugis oratio ad lumen dictum conſequendum neceſſariò exquiritur, qua neglecta, nedum reconditiores Scripturarum ſenſus nuſquam aſſequemur, verùm nec quæ captu faciliora.

III.

Præter remotas haſce diſpoſitiones, quas Author librorum de Imitatione iis præfinivit, qui operam navare cupiunt ſtudio Scripturarum Sanctarum, tres inſuper alias proximiores notat in actuali earumdem lectione exercendas, nimirum quòd eæ legantur humiliter, ſimpliciter, atque fideliter.

Deus nonniſi humilibus ſua detegit arcana, hæcque celat ſuperbis. *Quis cum timore, ac tremore non ſe humiliaverit* (inquit piusquidam, nobiſque Synchronus Author) *nonnibil meditando quomodò dignetur Deus per ſemetipſum Scripturis Sanctis nos imbuere, in quibus, teſte Chryſoſtomo, quidquid admirabilius elucet, nonniſi quamdam veluti demiſſionem Omnipotentis redolet, ut in Verbi Divini Incarnatione apparet, quæ maximam Chriſti humilitatem oſtendit?* Hanc igitur & nos virtutem habere oportet, eò quòd Deus ipſe ſtatuerit veritatem ſuam noſtræ accomodare infirmitati, ut inde diſceremus humiles eſſe, ut ad ſemetipſum nos aliquando exaltaret. Contremiſcamus ergo & nos in conſpectu illius veritatis, à qua judicabimur, nobiſque certò perſuadeamus, ne veſtigium quidem in nobis meriti reperiri, unde Scripturæ, per ipſam revelatæ vel minimùm participes reddamur; hoc quippe privilegium nedum olim univerſo denegavit Orbi, ſed & noſtro hoc ævo potiori ejuſdem parti recuſat.

Neceſ-

IV.

Neceſſum itaque omninò eſt, nedum ſacros humiliter libros evolvere, quamlibet abdicando ambitionem tum gloriæ, tum propriæ eſtimationis, qua quis ſapiens, aut eſſe, aut dici velit; Sed inſuper ejuſmodi lectionem ſimplici corde peragere, iis acquieſcendo illuſtrationibus, quas luminum Pater nobis impertiri dignabitur, non plus ultra ſcrutando, præterquamquod aliter expedire contingerit. *Curioſitas noſtra* (ait præfatus librorum de Imitat. Author) *ſæpè nos impedit in lectione ſcripturarum, cùm volumus intelligere, & diſcutere, ubi ſimpliciter eſſet tranſeundum*. Quare tunc fides ſola nobis ſufficere poterit. *Lib. 1. c. 5. n. 2.*

Id autem nobis fides ipſa præſtabit, ut tantumdem veritatem, ubilibet nos latere contigerit, veneremur, quantùm ubi manifeſta patebit. Hac ratione Divus Petrus, profunda veneratione raptus erga quodcumque Jeſu Chriſti effatum, non fuit ſcandalizatus, ut Capharnaitæ, ob apparentem duritiam ſermonum ejus; ſed potiùs aſſeveranter credidit ea eſſe verba vitæ æternæ: *Numquid jam Petrus* (inquit Auguſtinus) *intelligebat ſecretum illius ſermonis Domini? Nondum intelligebat, ſed bona eſſe verba, quæ non intelligebat piè credebat. Si ergò durus eſt ſermo* (ſubdit Sanctus Doctor) *& nondum intellectus eſt, durus ſit impio, tibi autem pietate molliatur, quia quandoque ſolvetur, & fiet tibi oleum, & uſque ad oſſa penetrabit. Proinde jacta in Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Parvulus es, nondum intelligis ſecreta verborum; fortè tibi panis latet, & adhuc lacte nutriendus es. Noli itaque iraſci uberibus, quæ te nutriunt, ipſe enim te idoneum reddent ad menſam, cui modò minùs idoneus es.* *Serm. 54.*

V.

Poſtremo dein loco aliæ duæ imperfectiones occurrunt, omninò vitandæ, queis ut plurimùm ſcripturam lectitando ſuccumbimus, curioſitas nempe, nimiaque feſtinatio; Hæc autem ex illa ſequitur; eatenus enim feſtinanter legimus, quatenus nova ſemper ſciendi curioſitate trahimur, unde etiam plerumque magis allicimur, quàm à veritate, cùm hanc ideò amore proſequamur, propter novitatem, quam in ipſa affectamus. Et hoc novitatis deſiderium eſt, unde veritas nobis inutilis ſæpiſſimè redditur: *Si veritatem tantùm inquirere contenti eſſemus* (ſcribit piùs quidam Doctor) *eam ex integro poſſemus nanciſci in unica roris hujus Cœleſtis ſtilla; At quia aliud quodcumque, præter eam, inquirimus, per vaſtum ideò Divinarum Scripturarum pelagus ut plurimùm mente vagamur, nullibi nobis ipſa occurrente*. Quandocumque feſtinanter ſcripturam legimus, formidandum nobis eſt, ne aliud præter charitatem, & veritatem in ea veſtigemus. Id porrò unde ſæpenumerò hallucinamur, eſt: Quia legendo alimentum nobis illicò in promptu eſſe putamus, quod tamen aliter evenire conſpicimus; Quocirca noſtra ipſorum intereſt illud primò aptè diſponere. Planè non ambigitur,

quin

quin ibi adſit triticum optimum; at non ſine palea. Vel ſi panis aliquando jam ſit, vel concoqui magis indigebit, vel fortè nobis intempeſtivus erit. Spiritus Sancti igne nobis eſt opus ad ipſum concoquendum; oratio eſt, quæ ipſum inflammat. Cur igitur tanta aviditate cibum vix ſemicoctum vorare paratis? Ne tam citò properetis, ipſum concoqui ſinite; legendi, ac orandi haud impari cupiditate flagrate, ut quod legitis prodeſſe valeat. Scientia inflat, litera occidit. Palea non nutrit, nec glumæ, ſed ſtomachum deglutientis dumtaxat onerant. Meditatione, atque oratione lectio animetur, inde namque ſpiritum, vires, omnemque poſſibilem motum ipſa mutuabitur. Abſque meditatione, ac oratione lectio cadaver fit fœtidum, unde & nos pariter inſici, atque corrumpi contingit.

§. IV.

Quomodò proficiendum ſit ex lectione Sacræ Scripturæ.

CUm principalis ſcopus, ad quem Scripturarum Divinarum lectio collimare debet, ſit ſanctarum veritatum praxis in iis contentarum; neceſſum ideò erit has ipſas veritates diligenter perpendere, & ad proprios mores dirigendos earum ſingulas ſibi paſſim proponere. Verùm quia impar legentibus ineſt intelligendi acies ad eas intimè penetrandas, idcircò fructus etiam ex tali lectione emergens multifariàm diſtinguitur, juxta ſingulorum captu, ac diſpoſitionem.

Licet autem inter ſacras veritates quædam ſint univerſo hominum cœtui valdè perſpicuæ, aliæ tamen non deſunt, quæ à perſpicacioribus tantùm attinguntur. Item in ipſis, quæ ſingulis patent, nonnullæ aliæ latent, quæ nonniſi à multo ingenio præditis dignoſcuntur. Sic inquam Theodorus Abbas apud Caſſianum ſcribit, præceptum nempe hominibus à Deo traditum, vitandi impuritatis actum, à multis diverſimodè intelligi, variatimque juxta diverſas hominum affectiones explicari. Quidam enim illud ad literam rigorosè explanandum autumant; alii verò ſubtiliùs indagantes, arbitrantur tali mandato hominibus à Deo univerſim inhiberi quidquid vel paululùm cordis munditiem labefactare valet.

In brevioribus Divi Baſilii regulis legenti patebit praxis; ad quam Scripturæ Sacræ lectionem à Monachis ſuis redigi jubebat eximius is Monaſticæ vitæ Corypheus. Hæ ſiquidem Regulæ ex variis tantùm quæſitis, ac poſtulatis fermè ubique coaleſcunt, quæ S. Doctor ſuper quorumdam textuum explanatione ibi proponit, qui in novo Teſtamento occurrunt. Ex reſponſis autem, quibus hujuſmodi quæſita reſolvit, pleraque leguntur facilè intelligibilia: alia verò, quibus percipiendis non modico eſt opus ingenii acumine. Nonnulla illorum hic exempla notabo, ut brevem quamdam, facilemque methodum innuam tyronibus imitandam.

Quæ

Quærit igitur Divus Baſilius articulo 48. in quonam propriè conſiſtat avaritia, & quandonam quis hujus peccati reum fateri ſe debeat? Reſpondet, eum tunc in hoc vitio eſſe judicandum; quotieſcumque de ſe ipſo, magis quàm de Proximo eſt ſollicitus; ſcriptum eſt enim: ***Diliges Proximum tuum ſicut te ipſum***. Solutio iſta fermè ſingularis, actútum admirationem parit; verùm non adeò extraordinaria videbitur, ſi quæ de charitate nobis à Divo Paulo adumbrantur, ſedulò animadvertamus, dicente, proprium ipſius eſſe ſua quæque negligere: ***Non quærit, quæ ſua ſunt.***

Item articulo 56. petit, quiſnam elatus, aut ſuperbus verè ſit cenſendus? Reſpondet: ***Elatus autem eſt, qui non ambulat in ſancitis inſtitutis, neque illud exequitur, quod eſt apud Apoſtolum, ut ſcilicet in eadem regula ambulemus, & idem ſentiamus; potiuſque propriam ſuam quamdam juſtitiæ, ac pietatis viam comminiſcitur.*** Proh dolor! Quantus erit, juxta magni hujus viri ſententiam, ſuperborum numerus! Quandoquidem penè innumeri adſunt, peculiares ſibi vivendi normas effingentes, majoribus noſtris prorſus inviſas.

Quærit inſuper articulo 232. ***Si quis injuria affectus ab aliquo, tenendæ animi ſui lenitatis cauſa, patientiæque, ea de re cum nemine loquatur atque hoc modo exiſtimet, ſe reddere judicium Deo, numquid, inquam, hic faciat ſecundùm Deum?*** Reſpondet, tantùm abeſſe, quòd talis actus virtuti adſcribatur, ut potiùs duplicis peccati reum efficiat, eò quod correctionis fraternæ præceptum neutiquam adimpleatur; Quare ſic ait: ***Si verò in hoc negligens fuerit, & tenendæ patientiæ ſuæ cauſa id diſſimulanter tulerit, dupliciter peccatum incurrit, & quòd præcepto illi non paret: Caſtigatione caſtigabis fratrem tuum, & non ſumes propter eum peccatum; & inſuper, quia taciturnitate illa, peccantis particeps efficitur, eò quod quem caſtigationibus lucrari potuerat, ſicut Dominus præcipit, in malo eum patitur perire.*** Fatendum tamen eſt, multa opus eſſe prudentia, ut ejuſmodi correctio ritè exerceatur; Unde idem S. Doctor alibi cavet, ne juniores Monachi cæteros aliquando redarguere audeant; inquit enim, non omnibus hoc datum eſſe.

Denique articulo 285. inquirit, numquid, in mutuis inter diverſas fratrum familias contractibus, rei, de qua ſit contractio, pretium exiliter ad calculum liceat revocari? Reſpondet: ***Utrumne permittat doctrina Chriſtiana venditionem, emptionemve inter Fratres exerceri, prorſus quid dicam compertum non habeo; ſiquidem communicare inter nos aliis alii admonemur, res potiſſimùm ad neceſſitatem vitæ pertinentes, ſicut ſcriptum eſt: Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas.*** Verùm ſi omninò aliquando neceſſitas hujuſmodi contingat, majorem adhibere curam debet qui emit, ne in perſolvendo, de pretio aliquid detrahat, quàm in accipiendo qui vendit, ne plus accipiat, quàm quanti res ſit, ſimulque illud in memoria habeant utrique: ***Damnum inferre juſto non eſt bonum.*** En igitur tibi juſta procul dubio, inſonſque negotiatio;

tiatio; unde nihil fere humana fovetur cupiditas, quæve experimento probari nequit abſque feria Evangelicæ doctrinæ meditatione.

Pleraſque alias poſſem caſuum reſolutiones ex S. Doctore afferre, quæ utique à noſtris docendi principiis oppidò elongantur, quæ nunc temporis in ſcholis traduntur; hæ tamen ſufficere poterunt, ut in nobis aliqua ſaltem eorum formetur idea, quæ in ſcripturis nanciſceremur, ſi impensè ſtuderemus quas continent veritates operibus comprobare, illarumque ſenſum accuratè inveſtigare. Unum tamen ſummoperè animadvertendum reor, quod pariter innuit quidam ex priſcis Patribus, ut videlicet caveat lector bonus, ne ſuo ſenſui ſcripturas obtemperet, ſed ſcripturis ſanctis obtemperet ſenſum ſuum.

Sed pauci fortaſſis erunt ad ſubtiles haſce, atque ingenioſas meditationes idonei in Sacram Paginam habendas; proptereaque ſatius erit alia uti methodo, quam idem S. Baſilius alibi innuit, ſeligendi nempe ex Sacra Scriptura nonnullas regulas ad propriorum morum directionem, eas ad quædam capita redigendo, quemadmodum ipſe in quodam opuſculo geſſit, ſub titulo: *Morales*. Sanctus hic Doctor aſſeruit hujuſmodi collectionem ſufficere poſſe, divina opitulante gratia, ad eliminandos pravos quoſcumque habitus, ex philautiæ vi facilè intruſos, & ad gratuitas hominum traditiones penitùs abolendas, quas inſcitia ſolùm, atque introducta conſuetudo authenticas effecére. Porrò hujuſmodi collectio, quæ in ſeptuagintanovem regulis conſiſtit, tamquam exemplar iis inſervire poterit, qui conſimiles texere voluerint, juxta propriam uniuſcujuſque indigentiam, ac diſpoſitionem. Divus Auguſtinus alteram huic conformem edidit, *Speculum*, inſcriptam. Sed longè ante utrumque Divus Cyprianus in tribus libris varios Scripturæ textus congeſſerat, quatenus in primo oſtenderet, Hebræos jam a vera Religione defeciſſe, eorumque loco Chriſti fideles fuiſſe ſubrogatos; in ſecundo, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum, & unicum eſſe illum Meſſiam, in veteri Teſtamento promiſſum. In tertio verò epitomen quamdam Ethicæ Chriſtianæ comprehendit. Opus iſtud collectaneum cuidam nomine Quirino, fuit a Sancto Doctore nuncupatum, ut præcipuis Catholicæ Fidei fundamentis imbueretur, ut in primis duobus libris liquidò conſtat, ubi habetur: *Ad prima fidei lineamenta formanda;* cui etiam aſſeveranter teſtatur, quòd ſi Fidei Orthodoxæ clypeo ſe ipſum munire voluerit, nil aptius præſtare poterit, quàm Cœleſtes ad has ſcatebras identidem confugere, quibus abundè animæ ſuæ famem explere, ſitimque extinguere poterit. De tertio item libro loquens, inquit, breve, facileque compendium totius Chriſtianæ perfectionis eſſe: *Dum in breviarium pauca digeſta, & velociter perleguntur, & frequenter iterantur*. S. Clemens Alexandrinus conſimile Opuſculum concinnavit in ſecundo & tertio ſui Pædagogi libro, hoc tantùm diſcrimine, quod adeò ſcripturæ loca ibi contexuit, ut continuus inde ſermo formetur.

Inter Opera Divi Athanaſii epitome quædam librorum omnium Sacræ Paginæ viſitur, quæ maximè confert, ut eorumdem univerſalis ſal-

ſaltem idea habeatur. Hæc autem methodus non eſt proculdubio minùs utilis, ac ſint prædictæ, quarum una quidquid moralitatis in ſacris libris continetur, ad loca quædam communia redegit, quomodò S. Cyprianus, & S. Baſilius præſtitere; Altera omnium horum librorum compilationem affert, juxta Bibliorum ſeriem, quemadmodum legitur apud S. Auguſtinum in Speculo à ſe compoſito. At verò in præſenti Author ideam quamdam, puram, & compendiariam ſingulorum Scripturæ librorum tribuit, exordiendo ab illis Geneſeos, uſque ad noviſſimum novi Teſtamenti.

Quòd ſi viri adeò egregii, tantæ utilitatis eſſe autumarunt ejuſmodi collectanea conſtruere, ipſorum ſanè poſſumus in hoc veſtigia ſequi; & licèt quamplures Authores, tum veteres, tum recentiores, pleraque iis ſimilia ediderint; nihilominùs quæ unuſquiſque ex proprio genio, & opportunitate cogeret, longè utiliora ipſi erunt, quàm aliena. Interim utramque dudum recenſitam methodum poterit ad praxim quis tutò redigere, ſingulos Scripturæ libros modo dicto compilando, perque loca quædam topica diſponendo, ſive etiam continuato ordine, juxta Divi Auguſtini exemplum, referendo quidquid ad mores ſpectans in Bibliis legendum occurrit. Hac porrò ratione Monachi in Scripturarum Sanctarum lectione caſtas, ſpiritualeſque ſuorum cordium delicias luculenter invenient, quas cùm ſemel delibaverint, experientur re ipſa cum Regio Propheta, quàm longiſſimè præſtent cunctis Mundi divitiis, quodque aliud animæ oblectamentum, in comparatione cœleſtis hujus dulcedinis, non adſit, qua illorum ſpiritus inebriantur, qui totis niſibus præfatæ lectioni incumbunt. Hoc dumtaxat ſtudio univerſa priſcorum Patrum ſcientia, ac Theologia nitebatur, unde etiam ideas, ac fundamenta ſolidæ illius pietatis hauſere, qua verè Sancti, & grati in conſpectu Dei ſunt facti, cæterorumque hominum Duces, atque Didaſcali.

Verùm omnes iſtæ ponderationes, Scripturarumque compilationes, nil ferè nobis proderunt, niſi ipſis ita inſudemus, quatenus inde corda noſtra juſtitiæ amore incendantur; adeò ut noſmetipſos ad patientiam diſponentes, promiſſionum tamdem divinarum conſolatione recreemur; hic quippe, teſte Apoſtolo ad Rom. 15. unicus eſt ſcopus omnium Scripturarum Sanctarum.

CAPUT III.

De lectione, ac ſtudio Sanctorum Patrum.

SI Scripturarum Divinarum lectio Monachis eſt neceſſaria, ut hactenus oſtendi, nil minùs ea erit Operum Sanctorum Patrum, qui earum veriores interpretes fuere. Et revera compertum nobis eſt, Monachos omni ævo huic ſtudio operam navaſſe, neque nos latet, Divum Auguſtinum, alioſque Patres, propria, quæ elucubrarunt, opera Monachis plerumque nuncupaſſe.

Ad

Ad evincendum autem, hujuſmodi ſtudium olim inter Monachos maximè viguiſſe, nobis impræſentiarum ſat eſſet collectiones varias Operum Sanctorum Patrum recenſere, à pleriſque illorum concinnatas. Ea, quam Eugipius Abbas ſub initium ſexti ſæculi ex S. Auguſtini codicibus compilavit, una eſt ex præclarioribus, quæ nobis poſt tot ſæculorum decurſum ſuperfuerit. Erat Eugipius cujuſdam Monaſterii Abbas, in Campania Neapolitana ſiti; ſcituque dignum eſt, præfatam collectionem ipſum aggreſſum fuiſſe efflagitatu Marini Abbatis, & Monachorum ejus, ut ipſemet in Proœmio teſtatur, quòd poſtmodùm Probæ Virgini miſit, quæ dictæ compilationis exemplar ab ipſo petierat. Ut autem eamdem, quoad fieri poterat, exactiorem redderet, univerſa Divi Auguſtini opera ſedulò inveſtigavit, diligenterque perlegit. Ad quod præſtandum duo potiſſimùm ipſum impulere: Primum, ut qui aliquibus S. Doctoris operibus carebant, vel iſta planè habentes, ad omnia tamen penitùs perluſtranda, vel non erant idonei, vel temporis laborabant inopia, poſſent iſtius compilationis ope tales ſupplere defectus; facilius quippe eſt unicum, aut invenire, aut perlegere volumen, quàm plura ſibi comparare, atque evolvere. Alterum fuit, ut inde cæteros ingenio præditos viros excitaret ad aliquid in hoc ſcribendi genere perfectius elucubrandum. Diſtribuitur dicta Compilatio ſub peculiaribus quibuſdam titulis; conſiſtitque juxta Caſſiodorum in 338. articulis, ſeu prout typis evulgantur in 352., in quorum primo, ac poſtremo de charitate agitur, utpotè quæ principium, & finis quorumlibet ſtudiorum, quæ Chriſtifideles, præſertim verò Regulares, ſuſcipiunt, eſſe debeat. Caſſiodorus, qui præfatum Authorem optimè noverat, diſcipulis ſuis ejuſdem operis lectionem maximè commendat; *quandoquidem occurrunt*, inquit, *in hac collectione, quæ vix in amplis, luculentiſve Bibliothecis reperire contingit*. Porrò Eugipius is eſt, cui S. Fulgentius elegantem illam de charitate, ac dilectione epiſtolam nuncupavit, quintum inter ejus opera locum obtinentem.

Idem Caſſiodorus mentionem facit cujuſdam viri, nomine Petri Abbatis Tripolitani, qui in Divi Pauli epiſtolas quoſdam ſcripſerat commentarios, Divi Auguſtini doctrina taliter contextos, ut facilè quiſque crediderit S. Doctorem eorumdem Authorem extitiſſe. Idipſum præſtitit Beda Venerabilis, reticendo hic Florum, Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconum, qui horum exempla pariter eſt æmulatus.

Quamplures alii Aſcetæ hujuſmodi Opuſculis inſudarunt, & præ aliis Defenſor Monachus, qui ſub initium octavi ſæculi in Monaſterio Ligugenſi Pictavorum Provinciæ degebat, ubi collectionem quamdam edidit dogmatum moralium, ex omnibus ferè antiquis Patribus depromptorum.

Quis autem enarrare valeat (inquit Theodorus Studita in funereo elogio S. Platonis) multifarios eximii hujus Archimandritæ labores in iſto ſcribendi genere, quot libros compilationeſque Operum

rum Sanctorum Patrum concinnarit, ex quibus Monachi incredibile nunc hauriunt emolumentum?

Quæ cùm ita ſint, perpendendum reſtat, num Monachi ad omnium materiarum ſtudia indiſcriminatim teneantur incumbere, quas Sancti Patres pertractarunt? Rurſus quoſnam ex his peculiariùs ſeligere, & quanam methodo perlegere debeant?

I.

Quidquid in Operibus Sanctorum Patrum nobis legendum occurrit, ad quinque potiſſimùm capita redigi poteſt, videlicet: Interpretationem Scripturarum, Dogmata fidei, Chriſtianos mores, Diſciplinam Eccleſiaſticam, & Diſciplinam Monaſticam.

Facile hîc eſſet oſtendere, priſcos Monachos neutiquam exiſtimaſſe, ſingulis hiſce Capitibus quidquam ineſſe, cujus intelligentia, ac ſtudium Monaſticæ ſint converſationi contraria. Jam nuper innuimus, multifarias Sanctorum Patrum collectiones ab iis fuiſſe contextas, ad Sacram Paginam attinentes; unicuique hic erat ſcopus, ob quem Caſſiodorus, ſtudium Sanctorum Patrum ab Alumnis ſuis fieri præcipiebat; quocirca catalogum quemdam accuratè compoſuit eorum omnium, qui Commentarios jam pridem ante ipſum in Sacram Scripturam ediderant.

Opus à Caſſiano exaratum ſuper ineffabili Incarnationis Myſterio, palàm oſtendit, quòd is Patres lectitabat, ut inde dogmata erueret; Sanctorum enim Doctorum teſtimonia ibi paſſim recenſet, ad ejuſdem probationem Myſterii pertinentia. Sanctus Anſelmus, & Sanctus Bernardus, qui conſimiles pertractarunt materias, nil minùs erant in tali lectione verſati; & notatu dignum eſt, quomodò Mellifluus Tractatum ſuum de Gratia, totum planè dogmaticum, cuidam Ordinis noſtri Abbati nuncuparit, Guillelmo nempe Sancti Theodorici, qui cùm in Cœnobio Signiacenſi, Ciſtercienſis Ordinis, privatam degeret vitam, ſcripſit contra Petrum Abaillardum ſuper controverſiis, ubi paſſim citat SS. Patres. Alios pleroſque Monachos infrà recenſebo, qui etiam polemicis materiis inſudarunt.

Sed ut rem hanc antiquioribus illuſtremus monumentis, nos non fugit, S. Auguſtinum librum de Correptione, & Gratia exaraſſe in gratiam nonnullorum Monachorum Africæ, qui ejuſdem de Gratia doctrinam, ut par eſt, haud percipientes, perperam etiam arbitrabantur, ex ipſius principiis ſequi, correptionem ipſam inanem prorſus reputari. Libros itaque verſabant, quos S. Doctor ea de re in lucem edebat, nec propterea ipſos ab eo redargutos aliquando fuiſſe novimus, eò quòd Monaſticæ conditioni quidquam derogare viderentur; quinimmò opus alterum de Gratia, & libero arbitrio iiſdem nuncupavit.

Tantumdem poſſumus de S. Fulgentio ejus diſcipulo enunciare, qui nedum de Charitate ad Abbatem Eugipium ſcripſit, verùm tres, quos ejuſdem flagitatu elucubraverat de Prædeſtinatione libros, ad ipſum miſit, & nonnullorum Dogmatum Opuſcula, ſic inſtante Monimo. Idem S. Pater tres etiam libros de Veritate Prædeſtinationis, & gratiæ, duobus inclytis Monachis nuncupavit, Joanni nempe, ac Venerio, quorum primus Joannes ille Archimandrita, alter verò Venerius Diaconus eſſe perhibetur, quibus Africani Præſules in exilium miſſi, reſpondent, nonnulla reſolvendo dubia ad materiam de Gratia ſpectantia. Denique hic ille eſt Joannes, qui una cum Leontio Monacho, & Petro Diacono, ex Africa Romam miſſi fuere, ut ibi difficultatum aliquot de Incarnatione, & Gratia, deciſiones intelligerent; & tantum abeſt, ut Sancti illi Præſules parvipendant, aut vituperent cupiditatem, qua præfati Monachi Theologicis doctrinis imbui flagrabant, ut potiùs eoſdem multis ob id laudibus extollant. Plura interim ſuper hoc addere omittam; ſat enim, ſuperque perſuaſum habeo, inſignium horum virorum exempla ſufficere in ſtudiorum commendationem, quæ poſſunt à Monachis fieri, perlegendo Dogmatica Sanctorum Patrum opera; quam praxim nominatim ſervarunt Beda Venerabilis, Rabanus Maurus, S. Paſchaſius Radbertus, S. Anſelmus, S. Bernardus, aliique penè innumeri ſanctitate, ac doctrina conſpicui.

Prout verò ad moralem doctrinam attinet, ſat eſt Chriſtiano cenſeri nomine, ut inde neceſſitas, vel ſaltem libera poteſtas arguatur evolvendi Patres, propriæ eruditionis gratia. Quòd ſi univerſo Chriſtifidelium cœtui liberè permittitur eorum ſenſa percipere in rivulis inde manantibus, hoc eſt in libris ſpiritualibus, quis ibit inficias utilius adhuc fore, eadem proprio in fonte libare, ſi ad hoc præſtandum quis inveniatur idoneus? quinimmò deplorandi potiùs ſunt nonnulli, religioſam vitam degentes, arbitrantes ethicen Chriſtianam ſua ipſorum minimè intereſſe, ſed tantùm Chriſtifidelium univerſitati conducere; cæterùm oportere, ut ejuſmodi doctrina à Monachis præſupponatur, virtuteſque illas unicè comparare ſibi ſtudeant, quæ Monaſticæ converſationi peculiariter debentur; quod perinde eſt, ac ſi Monachorum conditio quid aliud omninò videatur innuere, præter perfectionem Chriſtianam, & valeat quis religionem adamuſſim profiteri, ſine exacta moralis diſciplinæ cognitione. Multum igitur refert muneris noſtri partes in Patribus ipſis diligentiſſimè inveſtigare; quandoquidem Deus Didaſcalos, ac Magiſtros eos nobis deſtinavit; non negligendo tamen recentiores alios Authores, qui majoris charitatis ergò germana ſuper ipſis edidere commentaria.

Fortè non deerit, qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudium Monachis vix neceſſarium exiſtimet; ſed ſufficere ſi quæ nunc temporis in praxi habentur quoad Sacramentorum adminiſtrationem, non ignorent, quin ulteriùs priſcas ſcire conſuetudines teneantur, quæ variis olim, ſive

loci,

locis, ſive temporibus, vigebant. Verumtamen licèt reverà Monachis par non incumbat onus iſthæc intelligere, ut cæteris Eccleſiaſticis, nihilominùs ejuſmodi ſtudium ſupervacaneum ipſis non fore reor; arduum quippe eſt ſcire, quomodò in aliquibus circumſtantiis quis ſe gerere debeat, ſi primitivorum Eccleſiæ ſæculorum praxis penitùs lateat; prætereà iſta deficiente notitia, nonnulli plerumque temerè proſcribuntur uſus alioquin in ſe ſanctiſſimi, tametſi vel noſtro hoc ævo, vel in iis, quas incolimus Regionibus, obſoleverint. Ex hac porrò veteris diſciplinæ inſcitia ortum duxit ea recentis cujuſdam Scriptoris hallucinatio, qui in Hiſtoria Ethiopiæ inter Abyſſinorum errores conſuetudinem jejunandi recenſet uſque in Veſperam. Inſuper valdè difficile eſt quamplurium rituum antiquioris diſciplinæ Monaſticæ reddere rationem, queis utique fas eſt Monachos inſtrui, præter alios plures ad Eccleſiam attinentes, cui Monaſteria in ipſo potiſſimùm propriæ fundationis exordio continuò ſe conformarunt, præſertim in materia Sacramentorum; & reverà veteres cæremonias, ſacroſque ritus ipſa diu ſervarunt, quamvis fuerint ab Eccleſia mox immutati; ſic exempl. grat. in antiquis Ritualibus Monaſticis legimus, ſicut etiam in Vitis Sanctorum Monachorum, quòd Sanctiſſimum Viaticum nonniſi peracta extrema unctione ægrotis impertiebatur; item quod hæc ipſa unctio fiebat incipiente ægritudine, pluriumque Presbyterorum manibus adminiſtrabatur, dierum aliquot fluxu continuo; hæc enim tunc erat in Eccleſia conſuetudo.

Ex his autem, pluribuſque aliis, quæ hìc reticentur, exemplis, ſatis liquet, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudium Monachis valde conferre ad exactè ſciendam Monaſticam Diſciplinam, cujus notionem nil minùs, quàm moralis Aſceticæ, ſibi comparare tenentur, ac ſedulo inveſtigare in ipſis Patrum operibus, quorum pulcherrima nobis reliquit Collectanea Pater Thomaſſinus in ſuo Opere de Diſciplina. Addi ulteriùs poteſt præter rationes hactenus allatas, Diſciplinam Eccleſiaſticam neceſſariam cum Aſcetica, & morali contignationem habere; enimverò à Patribus, atque Conciliis eatenus illa ſtabilita fuit, quatenus inde illibata ſervaretur morum integritas, pietatiſque Chriſtianæ, ac Evangelicæ fervor. Propterea cùm teneantur Monachi Ethicen Chriſtianam haud ignorare, operam pariter ipſos navare oportet Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, cui illa prorſus innititur.

II.

Nunc verò perpendendum reſtat, quinam ſint Patres, quibus legendis Monachi potiſſimùm occupari debeant; Quandoquidem ad rem nullatenus eſſe videtur, quemlibet ipſorum indiſcriminatim evolvere, nec unuſquiſque noſtrum tantam materiarum amplitudinem proprio valet intellectu metiri; temporiſque brevitas, quod peractis reliquis Monaſticæ vitæ exercitiis, ſupereſt, idipſum Monachis impoſſibile

reddit, licèt alioquin eſſent ad id præſtandum idonei. Fateor utique illorum neminem à Divo Benedicto in Regula excipi, immò ſingulos cum fructu perlegi poſſe: *Quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum* (inquit S. Patriarcha) *hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Salvatorem noſtrum?* Verùm hoc non ſine quibuſdam limitibus intelligitur, itaut ex Patribus ii in primis ſint ſeligendi, qui legentibus queant majori eſſe emolumento.

Cap. 73.

Exordiri ergò, meo quidem judicio, quis poterit à lectione Caſſiani, quam etiam S. Legiſlator nobis in Regula expreſsè commendat. Hæc lectio perquam utilis erit ad dignoſcendum priſcum Monachicæ conditionis fervorem; & quia facili procedit methodo, geſtis namque, ac exemplis paſſim, jucundèque intermiſcetur, tyronum ideò captui erit accommodatior; præterquamquod Collationes hujuſce Authoris, dialogorum ad inſtar ſunt diſtinctæ. Porrò Gazei Commentaria ad obſcuriora ejuſdem loca declaranda legentibus inſervient, unde etiam ea omnia facilè poterunt animadvertere, aliquibus ſubjecta cenſuris.

Legere ſubinde oportebit Theodoreti Philotheum, Opera Sancti Ephrem, Scalam S. Joannis Climaci, S. Dorotheum, Vitaſque Patrum à Roſweido impreſſas.

Poſt iſtas lectiones captu faciliores, perlegi mox poterunt Regulæ S. Baſilii, incipiendo à brevioribus, uſque ad fuſiores; quibus ſuperaddendus erit ſermo quidam ab eodem S. Doctore editus ſuper Monaſticis inſtitutionibus, ac Diſciplina morali Monachorum, unà cum Epiſtola ad Chilonem Monachum, & duabus, tribuſve aliis, in quibus agitur de nonnullorum Anachoretarum lapſu.

Huic lectioni altera Codicis Regularum antiquarum annectenda erit; vel etiam Concordiæ Regularum, cum notis Patris Menardi; deinde tomorum quinque Aſceticorum, quos Patres Congregat. Sancti Mauri typis mandarunt in gratiam Religioſæ juventutis, cui difficile eſt integra diſtribuere volumina, in quibus Sanctorum Patrum continentur opera, quibus præfati tomi undequaque abundant. Iſta compilatio ſummæ eſt utilitatis, potiorique amodò eſſe debet commendatione digna, quàm hucuſque fuerit, ex eò ſolùm, quia tertium volumen negotium legentibus alicubi faceſſere videatur. Opere inſuper pretium erit, S. Auguſtini tractatibus, qui tomo quinto hujuſce Compilationis leguntur, reliquos adjicere de Opere Monachorum, de Mendacio ad Conſentium, de Agone Chriſtiano, de Fide, & Operibus, unà cum libris Confeſſionum; item Epiſtolas parænetieas Sancti Nili, & Epiſtolas S. Iſidori Damiatenſis, in quibus luculenta, & egregia ad Aſcetas monita leguntur.

Præter nonnullas S. Hieronymi Epiſtolas, quæ in quarto leguntur Aſceticorum Tomo, de quibus hactenus memini, perlegi univerſim poterunt ſingulæ ejuſdem Epiſtolæ, atque Tractatus, & in Prophetas Commentaria; item libri de Sacerdotio, & Homiliæ S. Joannis Chryſoſtomi in Matthæum, & Paulum, unà cum iis, quas coram Populo Antio-

tiocheno concionando declamavit, Catechèſes S. Cyrilli Hieroſolymitani; libri Salviani de Providentia; Libri Moralium, & Dialogorum S. Gregorii; ejuſdem liber Paſtoralis, unà cum iis, quæ in Ezechielem ſcripſit; Opuſcula Petri Damiani, potiorque ejuſdem Epiſtolarum pars, unà cum iis Petri Venerabilis.

Ad ſtudium Eccleſiaſticæ diſciplinæ non modicum conferet Apologetica attentè perlegere, quæ Chriſtianæ Religionis gratia emanarunt, in quibus Diſciplina, & mores vividè adumbrantur; quibus præterea veterum Patrum Epiſtolæ ſunt ſuperaddendæ, præcipuè S. Ignatii Martyris, & S. Cypriani; item Epiſtolæ Canonicæ S. Dionyſii Alexandrini, S. Gregorii Nyſſeni, & S. Baſilii, unà cum Commentariis à Balſamone, & Zonara editis. Epiſtolæ Divi Gregorii Magni ad rem valdè erunt pro intelligentia Eccleſiaſticæ, ac Cœnobiticæ diſciplinæ. Legi ſubinde poterunt eæ Ivonis Carnutenſis, Petri Bleſenſis, unà cum libris Divi Bernardi de Conſideratione. Ut tamen perfectior Eccleſiaſticæ Diſciplinæ notitia habeatur, neceſſum erit, præter recenſitos Authores, Summorum Pontificum, & Conciliorum Decretales epiſtolas complecti, de quibus infra ſermonem habebimus. Pars inſuper notabilis veteris diſciplinæ in unum collecta inveniri poteſt apud Eſpencæum in Epiſtolam ad Timotheum, & in reliquis ejus Tractatibus; item apud Hugonem Menardum in Sacramentarium, ſeu librum Sacramentorum Divi Gregorii, apud Patrem Morinum de Pœnitentia, & Ordinationibus, denique in libris de Diſciplina Eccleſiæ Ludovici Thomaſſini.

Verùm ex omnibus libris, quos poſſunt, aut debent Monachi evolvere, nullus poſt ſacra Volumina ſupereſt, qui majori queat ipſis eſſe emolumento, quemque præ manibus magis habere teneantur, quàm Opera Divi Bernardi; hoc enim pabulo proprias oportebit ut nutriant animas omni vitæ ſuæ tempore, nec ipſis unquam licebit eximii hujus Monachorum Magiſtri lectionem interponere, niſi ut eamdem quamprimùm jucundiùs, & avidiùs reaſſumant; in hanc quippè mixta fluunt, quæcumque alibi diſperſa occurrunt, nimirùm ſoliditas, venuſtas, varietas, proprietas, brevitas, fervor, & energia ſermonis; quinimmò aſſerere auſim, vix alterum inventum iri, quem Deus ad Aſcetarum mores reformandos peculiariùs delegerit, quique feliciùs muneris hujus partes abſolverit, viro iſto præſtantiſſimo.

En igitur potiores Patrum lectiones, quæ meo videri poſſunt à Monachis fieri, non quidem, ut inde ſapientes prorſus evadant, ſed ut quantum ſat eſt, quæ ad regulam morum, diſciplinamve, tum Chriſtianam, tum Monaſticam ſpectant, non ignorent. Cæterùm arbitrandum hìc non eſt, operæ pretium eſſe quæcumque à me hucuſque recenſita Authorum Opera evolvere, vel præfatam ſeriem omninò ſervandam eſſe; proprio namque quoad hoc poterit unuſquiſque ingenio, geniove conſulere, vel etiam ſapientis, peritique Viri ſe Judicio committere.

III.

Quoad illos verò, qui acriori pollebunt ingenio, majorique ſpiritus fervore flagrabunt ad ampliorem in hoc provinciam capeſſendam, verbo demum, magis idonei fuerint ad intimiùs percipiendum quidquid ad traditionem Eccleſiaſticam ſpectat, poterunt utiliter evolvere exiguum Tractatum de lectione Patrum Eccleſiæ: *Petit Traité de la Lecture des Peres de l'Egliſe, ou la Methode pour les lire, utilement, Pariſiis impreſſum apud Couterotum, & Guerinum anno 1668.* Cujus Libri Author, ut ex pleriſque ratum habui, eſt P. D. Bonaventura Argonnenſis, Carthuſiæ S. Juliani Rhotomagi Vicarius. Abs re non erit aliquam ejuſdem notitiam hìc breviter innuere.

Author iſte jure exiſtimat, ut utiliter legantur Patrum Opera, opus eſſe ea proprio, quo ſunt edita, idiomate perlegere, proindeque præter latinam, Atticam quoque linguam addiſcendam eſſe. Inſuper præter Sacram Paginam, cui hujuſcemodi ſtudium in primis innititur, neceſſum eſſe vult, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Scholaſticam, profanorum etiam Authorum Scripta, Criticamque prænoſcere. Item quòd hujuſmodi Criſis prudenter, diſcretè, ac moderatè fiat, cavendo nempe à nimia ſeveritate, & acrimonia, ne, dum nimiùm expungere quis audet, totum alteret, aut deſtruat. Præterea, quòd eadem Criſis verſetur præcipuè in ſedula indagatione Authorum Eccleſiaſticorum, proprias ſcilicet eorum qualitates, ac dotes inveſtigando, legitimas ipſorum elucubrationes ab apocriphis, ac ſuppoſititiis ſecernendo, melioreſque editiones diſtinguendo à cæteris inferioris notæ.

Poſtquam conditiones iſtas in genere Author recenſuit, alias peculiares affert, multifarias proponendo methodos ad præfatam Patrum lectionem attinentes. Nonnulli ſiquidem autumant, ipſos juxta temporum, quibus vixerunt, ſeriem, perlegi poſſe. Alii verò arbitrantur, lectionem Græcorum Patrum alteri Latinorum intermiſcendam eſſe, ut utrorumque ſenſus ſimul retineantur. Alii denique ſentiunt, aliquem ex Patribus ſeligendum eſſe, ſive Græcum, ſive Latinum, iſtiuſque potiſſimum lectioni vacandum, ita tamen, ut cùm opus fuerit, cæteri quoque liberè perlegi queant. Item ad ſelectionem hanc faciendam oportere, ut unuſquiſque proprias conſulat intelligendi vires, geniumque ſequatur; & ut Authores, qui ſeliguntur, inſtituto noſtro, ac muneri conformentur. Tandem quòd hujuſmodi ſelectio fiat ex decem, aut duodecim celebrioribus Patribus. Exactiùs tamen loquendo, cùm juxta Authoris hujus ſententiam ſinguli Patres Græci ad S. Joannem Chryſoſtomum unicè redigi queant, omnes pariter Latini ad ſolum Divum Auguſtinum poterunt planè reſtringi.

Hic idem Author unum, quod appoſitè ad rem præſentem, gravis eſt momenti, animadvertit, inquiens: „ Il ya des eſprits de peu „ d'éten-

„ d'étendue, qui ſe doivent borner à peu de choſes; & d'autres ſi „ vaſtes, qu' ils peuvent tout embraſſer. Quand ceux là s'oubliant „ eux memes veulent s'elever au rang de ceux ci, ils s'eblouiſſent, „ & perdent par leur vanité la place, qu'ils aurojent remplie di- „ gnement dans un état mediocre, s'ils avojent eu aſſez de mode- „ ration pour s'y fixer. D'ailleurs les grands eſprits ne connoiſſant „ pas tout ce qu'ils peuvent, ſe perdent en manquant de courage „ pour ſe porter ou leur merite les appelle. D'ou vient qu'l arri- „ ve, que l'attachement qu'ils ont aux petites choſes, les rend à „ la fin incapables des grandes, pour les quelles la nature les avoit „ formez „. Adſunt ingenia, inquit ipſe, modicæ capacitatis, quæ propthereà intra certos limites neceſſariò ſiſtere debent; alia verò tantæ vaſtitatis, ut univerſa queant facilè complecti. Quotieſcumque illa propriæ conditionis oblita, ad horum gradum ſe audent extollere, hallucinantur, & ex propria ambitione eo loco decidunt, quem alioquin in gradu inferiori dignè implere potuiſſent, ſi moderatione utentes, in ipſo manſiſſent. E contrario eximio pollentes ingenio, non tamen attingentes, quæ aliquando poſſent propria facultate metiri, miſerè torpent, animoque cadunt, ne ulteriùs progrediantur, quò propriæ vires conducerent; unde mox fit, ut dum jugiter in rebus parvi momenti occupantur, inepti tandem ad majora reddantur, ad quæ natura ipſos deſtinaverat.

Hinc tamen non arguitur (ſubdit ingenioſiſſimè hic Author) ſublimiora ingenia identidem non debere ad inferiora etiam intelligenda deſcendere; nec ea, quæ mediocris ſunt perſpicaciæ, ſupra propriam, atque ordinariam cognoſcendi vim poſſe aliquoties tranſcendere; quandoquidem ex una parte indubitatum eſt, nihil prorſus negligendum eſſe, & ex altera utile eſſe, ingenium ad ulteriora interdum extollere. Verùm tali moderatione id præſtandum erit, ut inde nec contemptus de rebus utiliùs ſciendis, nec tædium, aut moleſtia gignatur.

Præter hæc monita, quæ quidem ſeriò ſunt animadvertenda, pleraque alia ſuperſunt ſanè non ſpernenda.

Primum eſt, quòd antequàm alicujus Patris lectionem quis exordiatur, ad rem valdè erit ejuſdem vitam, ac geſta accurate inviſere, ut inde ingenium ejus, genium, ſcribendi methodum, & tempus, quo vixit, comperiat.

Secundum (quòd etiam aliàs innui) eſt: Diligenter diſtinguenda eſſe ejuſdem opera vera, ac legitima ab apocryphis, ac ſuppoſititiis. Quòd ſi non præcaveatur, in varios ingenteſque errores poterit lector facilè labi, nec totum illum, quem ex tali lectione ſperabat, fructum exhauriet. Quapropter meliores Patrum editiones fas erit inquirere, & novam Bibliothecam evolvere Domini Du-Pin.

Tertium: Operæ pretium eſſe tempora accuratè diſtinguere, quibus ſingula eorum opera elucubrata fuere.

Quartum: Quòd ſi quis ex Patribus variè de re aliqua ſcripſit, po-

ſtremæ ejuſdem potiùs, quàm primæ oportebit adhærere ſententiæ.

Quintum: De alicujus Patris doctrina judicandum eſſe, ex locis potiùs, in quibus materiam aliquam data opera eventilarit, quàm ex aliis, in quibus de ipſa obiter tantùm, aut perſunctoriè diſſeruerit.

Sextum: Non ita adhærendum eſſe iis omnibus, quæ aliquoties à nonnullis Patribus fervore ſcribendi amplificata fuerint, ut indiſcriminatim, & inconſideratè ſingula eorumdem effata velut axiomata putentur.

Septimum: Quotieſcumque Pater aliquis quidquam ſentire dignoſcitur cæterorum opinioni diſſonum, integram ipſi fidem adhibendam non eſſe, niſi fortè Eccleſiæ Orthodoxæ authoritas ejuſdem arrideat ſententiæ. Cæterùm ſi quis aliquando ab inſignium iſtorum virorum ſententia cogatur recedere, id reverenter, ac circumſpectè præſtabit, ne temerè quidquam aliquando condemnet, quod fortè nondum intellectu complectitur; duo verò anceps inter extrema conſtitutus, benignè, ac piè ſuperabundare mallem, Quintiliani conſilium ſimili in caſu ſecutus, favorabiliter nempè ipſorum opiniones exponendo (quemadmodùm etiam à Divo Thoma peractum ſæpenumerò legimus) quàm iis vel minimam cenſuræ notam unquam inurere: *Si neceſſe eſt in alterutram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quàm multa diſplicere maluerim*. Quod etiam S. Hilarius pulcherrimè innuit: *Ne damnemus*, inquit, *Patres, ne animemus Hæreticos, ne dum hæreſim expellimus, hæreſim nutriamus;* Quod in primis ſervandum erit, ipſis in aliquo unanimiter conſentientibus; quoniam tunc præſumptio ſanè intolerabilis foret, ut inquit S. Baſilius, ab ipſorum ſententia, propriam præferendo, recedere.

Lib. 10. Cap. 1.

In fine Libri de Synodis.

Epiſt. 300. init.

Octavum: In Polemicis Patrum operibus finem, quem ſibi præfixerunt, maximè attendendum eſſe; nec iis ſemper eòuſque aſſentiendum, quò nonniſi ex diſceptationis fervore, ipſorum ratiocinia plerumque pertigerunt; Qua monitione utendi erit occaſio in lectione præſertim Tertulliani, & aliquoties in ea Divi Hieronymi, ac Petri Damiani.

Nonum: Quod utiliter Analyſis fieri poterit cujuſcumque Tractatus Patrum juxta methodum nobis à Photio in ſua Bibliotheca traditam, vel etiam juxta illam Sculteti quoad Patres primorum quatuor ſæculorum; quocirca perlegenda eſt tota planè Bibliotheca Photii; multumque præſtabit Scultetum etiam evolvere, conſiderando ejus methodum, indeque arguere num ſaltem ex parte ipſam liceat imitari; neutiquam tamen approbando ſingula iſtius Proteſtantis Dogmata, utpotè paſſim erronea, ac noxia.

Alia inſuper poſſem monita adjicere, putà: ſedulò perpendere expreſſiones, vel dialectos quaſdam, priſcis Patribus communes, vel etiam ſingulis proprias, earumque ſenſum percipere juxta uſum, ſuo, non noſtro ævo, familiarem; Verùm alibi de hujuſcemodi ſtudio plura diſtinctiùs addam, cap. ſcilicet 20. iſtius ſecundæ Partis. Interim

finem

finem parænetícis hiſce adnotationibus impono, eos qui huic ſtudio navant operam, hortando, ut longè magis ad cordis puritatem, morumque directionem reſpiciant, quàm ad meram contemplationem, atque doctrinam, vel ſaltem quoad fieri poteſt, utrumque ſtudeant copulare; ſecùs enim nuſquam, ut par eſt, Sanctorum Patrum verba, ſenſumque percipient, ut optimè S. Athanaſius ſub finem lib. de Incarnatione docet.

C A P U T IV.

Continuatio ejuſdem Argumenti; ubi ſit ſermo de Sanctorum Patrum lectione, prout ad Theologiam confert.

QUæ potiſſimùm in Sanctorum Patrum lectione à nobis debent inquiri, ſunt: ſcientia dogmatum fidei, & divinarum explanatio ſcripturarum, quæ omnia ſub Theologiæ poſitivæ nomine ſolent comprehendi.

Studium hoc in duas partes dividi poteſt; in prima de fidei dogmatibus agitur, prout ad Orthodoxos ſpectat, & hæc propriè loquendo eſt Theologia Patrum: In altera verò prout ad Ethnicos, Judæos, & Hæreticos, hæcque Controverſiarum nomine indigitatur.

Ad rem erit à prima exordiri, niſi fortè quis velit utramque ſimul intermiſcendo complecti. Et quantùm ad hoc plurimum juvat primò evolvere tertium, quartum, & quintum librum S. Irenæi, præſertim verò tertium; Item librum à Tertulliano compactum de præſcriptione adversùs Hæreticos: Deinde commonitorium Vincentii Lerinenſis, qui libellus eodem poteſt inſigniri elogio, quo à Tullio alter cujuſdam Academici commendabatur his verbis: *Eſt non magnus, verùm aureolus, & ad verbum ediſcendus libellus.*

Perlegendi mox erunt quinque Tomi Dogmatici Dionyſii Petavii, ad explorandas potiores difficultates in Patrum operibus occurrentes, ac peculiares exprimendi modos ſciendos, juxta methodum, atque praxim eorum temporum. Tria etiam volumina, ad hoc ipſum pertinentia, legi poterunt à Ludovico Thomaſſino in lucem nuper edita.

Perlectis hiſce, vel ſaltem perluſtratis Codicibus, Sanctorum Patrum ſtudio incumbendum erit, vel per continuatam ipſorum ſeriem, vel materiarum ordinem. Prima methodus prolixa nimis videtur; altera verò brevior, proindeque fortaſſis utilior.

Porrò ſi ad rem quis arbitretur dogmata ſeorſim addiſcere, ea ſcilicet non ordinando ad Controverſias, juvat ſtudium hocce à lectione Patrum exordiri, ex quibus univerſalis quædam Religionis idea formari queat, ut ſunt Libri S. Auguſtini de Catechizandis rudibus, illi de Doctrina Chriſtiana, Tractatus de vera Religione, de Moribus Eccleſiæ, denique ejuſdem Enchiridion; Item Euſebius de preparatione,

tione, ac demonſtratione Evangelica &c. Liber Sancti Fulgentii de fide ad Petrum, ubi egregias quadraginta regulas tradit, ad fidem attinentes.

Quoad Tractatum de Trinitate, legantur S. Athanaſius ſuper explanatione vocis, Ομοίσιον; quinque Orationes S. Gregorii Nazianzeni ad Theologiam ſpectantes, hoc eſt trigeſima tertia, cum quatuor ſequentibus; libri decem S. Hilarii; S. Baſilius contra Eunomium; Divus Auguſtinus contra Maximinum Arianum, & primi ejuſdem libri de Trinitate; denique liber ſuper eadem à S. Fulgentio concinnaus.

Quoad Incarnationis Myſterium legantur epiſtola S. Athanaſii ad Epictetum; ea S. Auguſtini ad Voluſianum; ejuſdem Tractatus de perſeverantia, ubi ſub finem explicat Jeſu Chriſti prædeſtinationem; item Epiſtolæ S. Cyrilli Alexandrini, lectæ in Concilio Epheſino, & illa, quam ſuper reconciliatione cum Orientalibus exaravit; Epiſtola S. Leonis ad Flavianum; Definitio Concilii Calcedonenſis; Anathematiſmi Quinti Concilii; Definitio ſexti Concilii; Sanctus Fulgentius. Epiſtola 190. Divi Bernardi ad Innocentium II. adverſus Petrum Abaillardum ſuper ſatisfactione Jeſu Chriſti, ejuſque Redemptione.

Quoad Spiritum Sanctum, libri Divi Baſilii, & illi Didymi, inter Opera S. Hieronymi ejus traductoris, ac Diſcipuli, typis editi.

Prout verò ad materiam de Gratia, legantur octo Canones Concilii Milevitani; liber S. Auguſtini de ſpiritu, & littera; illi de Gratia, & libero arbitrio; de Correptione, & gratia; de Prædeſtinatione Sanctorum; de Dono perſeverantiæ; Reſponſiones S. Proſperi ad objectiones Vincentianas, & contra Collatorem; Concilium Arauſicanum ſecundum; Seſſio ſexta Concilii Tridentini; Epiſtola S. Cœleſtini Papæ ad Gallos; S. Proſper, & S. Fulgentius.

Quoad Sacramenta, legantur libri ſeptem S. Auguſtini, ad Baptiſmum ſpectantes, contra Donatiſtas, ejuſdem libri adverſus Parmenianum, in quibus de efficacia Sacramentorum in genere agitur; S. Juſtinus de Baptiſmo; & Liturgia; Catecheſes S. Cyrili Hieroſolymitani de Sacramento Euchariſtico: Tractatus S. Ambroſii de initiandis; Tractatus de Sacramentis, qui inter ejus opera viſitur; Homilia 83. S. Joannis Chryſoſtomi in Matthæum; Catecheſes Sancti Gaudentii. Horum ferè omnium Patrum Compendia adſunt in Officio de Sacramento Euchariſtico per ſingulas totius anni Hebdomadas diſtributo. Pro Sacramento Baptiſmi, & Euchariſtico, Epiſtola S. Fulgentii ad Ferrandum, ubi agitur de Baptiſmate cujuſdam Æthiopis, in mortis articulo conſtituti. Pro Sacramento pœnitentiæ, Tertullianus de pœnitentia; Epiſtolæ S. Cypriani; ejus Tractatus de lapſis; Epiſtola S. Paciani ad Sempronianum contra Novatianos: S. Ambroſius de pœnitentia; poſtrema ex 50. Homiliis S. Auguſtini; ejus Semo 32. de verbis Apoſtoli; S. Fulgentius de Remiſſione peccatorum. Circa modum orandi pro defunctis, liber S. Auguſtini de cura pro mortuis agenda, ejuſque Enchiridion.

De

De Natura Animæ, perlegi poterit liber decimus ejuſdem Sancti Auguſtini de Trinitate.

Pro materiis ad Eccleſiam ſpectantibus, videatur S. Cyprianus de Unitate Eccleſiæ; ejus Epiſtola ad Antonianum; liber S. Auguſtini de Unitate Eccleſiæ; plures ejuſdem Epiſtolæ contra Donatiſtas; quibus adjiciendus eſt liber Domini Nicole de Unitate Eccleſiæ; Epiſtolæ Sancti Ignatii ſuper poteſtate Epiſcopali, unà cum Apologia Pearſonis; item ferè omnes Epiſtolæ S. Cypriani ad hoc ipſum ſpectantes, & pro Eccleſiaſtico regimine, eæ potiſſimùm, quas Divo Cornelio Papæ, Florentio, Puppieno, & aliis ſcripſit.

Super Authentico Apoſtolorum teſtimonio legi poterunt S. Irenæus; Sancti Joannis Chryſoſtomi Homilia prima in Matthæum, primæ duæ in Joannem, Quarta, & quinta in epiſtolam primam ad Corinth. cap. 1. verſic. 26. in ea verba: *Non multi nobiles*.

Super Traditione, & authoritate Deciſionum Eccleſiæ, S. Irenæus, lib. 3. adverſus hæreſes; Tertullianus de præſcriptionibus, & cap. 3. ejus libri de corona militis, unà cum cap. 27. libri Sancti Baſilii de Spiritu Sancto, & Commonitorium Vincentii Lerinenſis.

Quoad formulas judiciorum Eccleſiaſticorum, Acta primi Concilii Chalcedonenſis; Acta Conciliorum quinti, ſexti, & ſeptimi. En igitur ea omnia, quæ potiori ex parte ad dogmata ſive in genere, ſive in ſpecie, referuntur.

Prout verò ad ſecundam partem ſpectat, quæ nimirum Controverſias, ſeu polemicas materias reſpicit, legere oportet omnes Apologias, quæ in favorem Chriſtifidelium contra Ethnicos emanarunt, illas ſcilicet Tertulliani, Origenis contra Celſum, S. Juſtini, ejuſque Dialogos cum Tryphone, Athenagore, Minutii Felicis, Inſtitutiones Lactantii, &c. Item antiquas profeſſiones fidei, præter Symbola, ut eſt illa Epiſcoporum Africæ in Tertio Libro Victoris Vitenſis; item eas Hæreticorum, quarum aliquot in adnotationibus Patris Garnierii in Marium Mercatorem reperies; nec parum juvabit retractationes, & abjurationes Hæreticorum, aliorumve lectitare, qualis eſt ea Leporii Monachi, à Patre Sirmondo typis edita, &c.

Ad explicitam, ac diſtinctam ſingularum hæreſum ſeriem cognoſcendam, legendi ſunt Sanctus Epiphanius; S. Auguſtinus ad *Quodvult-Deum*; S. Irenæus; Leontius Monachus, cujus Opera Patrum Bibliothecæ ſunt inſerta; Theodoretus in quinque ſuis libris de fabulis Hæreticorum Epitomen S. Irenæi compoſuit; S. Ignatius, qui ſpeciatim contra Simonem Magum, ejuſque aſſeclas ſcripſit; S. Irenæus contra Valentinum; Tertullianus contra Valentinianos, & Marcionem; SS. Cyprianus, & Pacianus contra Novatianos; Sancti Athanaſius, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus contra Arianos; idem S. Athanaſius contra Sabellianos; SS. Baſilius, & Gregorius Nazianzenus contra Eunomianos; SS. Auguſtinus, & Optatus contra Donatiſtas; S. Hieronymus contra Origenem, Jovinianum, Helvidium,

Vi-

Vigilantium, & Pelagium; S. Auguſtinus contra Manichæos, Pelagianos, & Jovinianiſtas; S. Cyrillus Alexandrinus contra Neſtorianos, ejuſdemque libri decem contra Julianum Apoſtatam; S. Leo contra Eutychianos, & Priſcillianiſtas; S. Proſper contra Semipelagianos; Sancti Sophronius Hieroſolymitanus, & Maximus contra Monothelitas; Sancti Joannes Damaſcenus, & Theodorus Studíta contra Iconomachos, ſeu Iconoclaſtas; & Sanctus Anſelmus contra Græcos.

Porrò ſilentio præteriri non debent, quæ Sanctus Athanaſius contra Ethnicos exaravit; item præparatio Evangelica Euſebii contra Gentes nil minùs ac ejuſdem demonſtratio contra Hebræos.

Monachos tamen hìc cogere non intendo ad ſingulos recensſtos Authores indiſcriminatim evolvendos; id enim pluribus eſſet prorſus inutile. Verùm allata ſeries, cujus potior pars ex ſelectione Meldenſis Epiſcopi deprompta eſt, iis poterit juxta exigentiam inſervire, cùm ſcilicet neceſſitate urgente vel temporis, vel loci, vel demum proprii muneris alios edocendi, ſemetipſos præfatis materiis cogentur imbuere.

Nec ſimiliter neceſſe reor, priſcarum hæreſum habere notitiam, modò de iis alicubi non ſit pertractandum. Eas Pelagianorum, Donatiſtarum, ac Jovinianiſtarum ſat erit inviſere; iſtorum ſiquidem deliramenta cum ſectariorum præſentis ævi hæreſibus, ac diſceptationibus majorem habent affinitatem. Qui S. Epiphanii Opera perlegerit, reliquorum pariter ejus temporis Authorum lectionem non omittat, ut loca quædam hujus Patris emendare queat, quæ non omninò ſunt veritati conſentanea. Hinc tamen non relinquitur, quin ipſius lectio valde ſit utilis.

Cæterùm melior norma in ſeligendis Patribus attendenda eſt: quòd præferantur ii, quos Deus ſpeciatim delegerit ad illuſtrandas peculiares quæſtiones, aliis, qui eas perfunctoriè tantùm pertractarunt, tuncque potiſſimùm, cùm res ipſa nondum, vel eventilata, vel deciſa eſſet ab Eccleſia. Item quòd alicujus Patris ſcripta, in quibus data opera de ſtato puncto diſſeritur, quibuſdam locis anteponantur, in quibus idem Author obiter ſolùm de eo eſt locutus. Hæcque ratio in primis extitit, propter quam Eccleſia S. Auguſtinum cæteris quibuſvis Patribus jugiter præpoſuerit in materia de Gratia, in iis nimirum Operibus, quæ contra Pelagianos abſolvit.

Poterit inſuper Sanctorum Patrum lectio ad S. Thomæ, aut Magiſtri ſententiarum methodum referri, quos ideò verſare non modicum proderit, ut ad praxim ea ritè redigatur. Verùm hoc ad Collectiones potiùs, aut Compilationes attinet, de quibus in hujuſce Tractatus progreſſu ſermonem habebo.

Lecture des Peres pag. 181. En igitur, quæ maximè advertenda cenſui ad præfatam lectionem expendendam. Pleraque tamen alia legere quis poterit in libro nuper hac de re conſultò elaborato, qui mihi admodum profuit ad prædictas adnotationes. Unuſquiſque autem in hoc genium proprium, propenſionemve ſequatur, peritumque, ac ſapientem conſulat Doctorem,

ctorem, ut lectiones iſtas ritè diſponat; ſat enim perſuaſum habeo, quòd, ut vaſtum, ſeriumque hoc ſtudium feliciter abſolvatur, tot methodos excogitari fas eſſet, quot ſtudentium inclinationes. Quapropter quilibet juxta propriæ intelligentiæ rationem, & ex doctiorum virorum conſilio, talem ſibi notitiam comparare ſataget, qualem vel ex librorum copia, vel methodorum congerie, incaſſum ſperabit.

CAPUT V.

De Studio Conciliorum, & juris tum Canonici, tum Civilis.

STudium Conciliorum ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & dogmata ſcienda, nil minùs requiritur, quàm illud Sanctorum Patrum, cùm ex unanimi iſtorum de aliqua re conſenſu, ſpecies quædam Concilii Generalis emergat, nunquam non in Eccleſia ſubſiſtentis. Quare compertum eſt, Monachos utrique propè æquè operam navaſſe. Conciliorum Collectanea, à Dionyſio, cognomento, Exiguo, nobis relicta; item illa Reginonis Abbatis Prumienſis, Abbonis Venerabilis, Abbatis Floriacenſis, quorum Compilatio in Tomo ſecundo Analectorum, quæ nuper edidimus, reperitur; Gratiani Monachi S. Felicis Bononiæ, Blaſtaris Monachi Græci, & aliorum, id fortiter evincunt, præter alia plura, Martini nempe Epiſcopi Bracarenſis, Arſenii Patriarchæ Antiocheni, Anſelmi Epiſcopi Lucenſis, ac Deus-dedit Cardinalis, qui proprias lucubrarunt Collectiones, poſtquàm de Statu Monaſtico ad Eccleſiaſticas dignitates fuerunt aſſumpti. Hinc meritò Caſſiodorus in ſuis Inſtitutionibus, proprii Cœnobii Monachos hortatur ad lectionem aſſiduam Compilationis Sacrorum Canonum, quam Dionyſius Exiguus ſuo ævo congeſſerat, & Conciliorum Epheſini, & Chalcèdonenſis, *ne* (ut ipſe ait) *viderentur tam ſalutares Eccleſiaſticas regulas culpabiliter ignorare.* *Cap. 23.*

Et reverà multi in Conciliis Canones habentur, Monachos potiſſimè ſpectantes, quorum propterea ipſis expedit notitiam habere, non minùs ac aliorum, qui Sacramenta reſpiciunt, ſtatumque Clericalem, quo condecorantur. S. Bernardus hujuſcemodi ſtudio neutiquam adverſatur; quòd ſi alicubi, ut Tractatum ſuum de Præcepto, ac Diſpenſatione Regulæ, breviorem redderet, inquit ſupervacaneum eſſe pleriſque difficultatibus, aut quæſitis reſpondere, à Monachis S. Petri Carnutenſis ſibi propoſitis, ſuper quibuſdam Canonibus ad ipſorum Inſtitutum nil ferè attinentibus, ſtatim tamen ſubdit, poſſe ſemetipſos, ſacros inviſendo Canones, pro eorum ſolutione inſtruere: *Quia in libris ipſi facilè reperire poteſtis, ſi quærere non gravemini.* Quare non arbitrabatur ſtudium iſtud Monachis ſimpliciter incongruum. Præterea indubium eſt, Sanctum Doctorem illud ſibi *S. Bernard. de Præc. cap. 19.*

lumen

lumen nullatenus comparare potuiſſe ad libros de Conſideratione texendos maximè neceſſarium, abſque prævia, & exacta Sacrorum Canonum, Conciliorumque notione.

Trifariàm quoad hoc ſtudium quis ſe gerere poteſt, vel ſcilicet Concilia integrè perlegendo, unà cum Decretis Summorum Pontificum, quæ ipſius ſunt maxima portio; vel iſtorum dumtaxat Collectanea verſando, vel demum epitomen aliquam evolvendo, ut eſt ea Cabaſſutii ſecundæ editionis in folio; & hic poſtremus modus, utpotè brevior, atque facilior, pleriſque ſufficere poterit; tametſi parùm à nonnullis commendetur.

Vetuſtiora Collectanea in compilationibus occurrunt, quas duobus in tomis Juſtellus concinnavit, quorum etiam Prœmia legenda erunt, unà cum diſſertatione Domini de Marca ſuper variis hiſce Collectionibus, paulo hinc tempore inter ejus Opuſcula à Domino Baluzio luci tradita. Gratianus poſtremus eſt inter Latinos, qui hujuſmodi Collectiones congeſsére; ejuſque Decretum (quo nomine indigitatur) amplius eſt quavis compilatione ab omnibus facta, qui eum præceſsére. Ponderationes quaſdam Canonibus ibi recenſitis adjecit, quemadmodùm Abbo, & Deus-dedit longè ante ipſum præſtitére.

Ut tamen utiliter, ac tutè Decretum iſtud legatur, adnotationes, & emendationes oportet inviſere, quas Antonius Auguſtinus in Gratiani opus contexuit; multumque debemus Domino Baluzio propter novam ejus editionem nuper nobis traditam, unà cum aliis emendationibus ab ipſo recens adjectis.

Nec ullatenus prætereunda eſt lectio eorum, quæ doctus is Præſul, Antonius nempe Auguſtinus, ſuper antiquis Canonibus nobis reliquit, & ſi falſas etiam, & apocryphas decretales identidem recenſeat; ſicut & Collectionis Beveregii in Anglia nuper impreſſæ. Collectio iſta, duobus amplis contenta Voluminibus, Canones Apoſtolorum complectitur, & Œcumenica Concilia ab Eccleſia Græca univerſim recepta, unà cum Scholiis Balſamonis, Zonaræ, & Ariſtenis, denique Canonicas Epiſtolas Patrum Græcorum, Syllogen Blaſtaris cum doctiſſimis Beveregii notis, quibus totam dictam Collectionem illuſtravit.

Quoad ſecundum modum, Concilia nempè integrè perlegendi, multifariam pariter quis ſe gerere poterit; Enimverò pleriſque fortaſſe ſat erit Concilia quinque, vel ſex primorum ſæculorum, perluſtrare, quibus nimirum Eccleſiaſtica diſciplina majori ſua ſimplicitate, ac puritate gaudebat; dummodò & illa ſubſequentium ſæculorum nullatenus negligant. Alii verò autumabunt, omnia generalia Concilia perlegenda eſſe, ut vult Pater Lupus Auguſtinianus in quinque voluminibus à ſe luci traditis, complectendo etiam Concilia, quæ generalia putabat, unà cum notis ſuper ipſis editis. Alii huic ſtudio illud quoque Conciliorum ſuperaddendum ſentient propriarum nationum, ac Regionum; Sic inquam Galli Gallica, Hiſpani

Digitized by Google

pani Hiſpanica, Angli Anglica, Germani Germanica, omninò legenda eſſe ſuſtinebunt, quorum peculiares Collectiones ſeorſim factæ, apud nos extant; utcumque autem ſit, certè Africana prætereriri nullatenus debent, cùm aliàs pluribus Eccleſiis normam diſciplinæ præſtiterint: Nec pariter veteres Pontificum Decretales Epiſtolæ omittendæ erunt, quæ in unum collectæ, & in tres tomos redactæ fuere; iſtarum tamen primæ, uſque ad illas Syricii Papæ, relinqui poterunt, cùm impræſentiarum à doctioribus Viris velut apocryphæ, ac ſuppoſitiæ compertæ fuerint, præcipuè verò poſtquam Blondellus præ aliis hoc ipſum demonſtravit. Alii tamdem exiſtimabunt, opus eſſe Concilia quælibet, ſive Provincialia, ſive Œcumenica perlegere, ut inde maturior Eccleſiaſticæ diſciplinæ notitia habeatur.

Prout verò ad methodum Conciliis ſtudendi attinet: Primò univerſalis quædam eorum idea formari debet, quæ ibi notanda occurrunt. Quocirca ad rem multùm erit dudum legiſſe duos ponderationum libros Domini Albaſpinæi, neutiquam tamen ſtatuendo, quid circa dubia, ab ipſo inibi propoſita ultimò ſit reſolvendum, uſquedum ſingula in ipſis contenta, probè, diligenterque fuerint perpenſa. Cabaſſutius etiam quantùm ad hoc non parum juvabit. Qui tamen Concordiæ Domini de Marca ſtuduerint, librisque Ludovici Thomaſſini de Diſciplina, & Patris Queſnelii, magis etiam in Conciliorum ſtudio proficient. Legi item poſſunt Richerius, & Jacobatius, cujus Opus velut Iſagoge ad iſtam lectionem inſeruit. In calce hujus Tractatus potiorum difficultatum Elenchum invenies, quem idcircò tradidit, ut inde Autographorum ſtudium facilius redderem.

Secundò cujuslibet Concilii hiſtoriam adamuſſim ſcire oportet, videlicet quidnam ad ipſorum celebrationem anſam præbuerit; quæ fuerint in ipſo hæreſes percuſſæ anathemate; Quinam celebres viri ipſi interfuerint; & quæ inde evenerint.

Tertiò, ſi quæ fuerint in Conciliis legendis notatu digna, calamo exaranda erunt, vel quoad dogmata, vel quoad Eccleſiaſticam diſciplinam. Iſtæ autem adnotationes integrè, & per extenſum ſcribi poterunt, breviter ſolùm innuendo in margine cauſas, aut materias ſingularum, ut paulo infra, cùm de Collectionibus, luculenter exponam.

II.

Juris Canonici ſtudium parùm, aut ferè nihil differt à præfato Conciliorum; & bifariam dividi poteſt; pars ſiquidem una Jus antiquum comprehendit, hoc eſt Decretum Gratiani: altera verò Jus novum, quod Summorum Pontificum Epiſtolas Decretales complectitur, quæ poſt Gratianum emanarunt, dum medium ſub duodecimi ſæculi viveret, ex utroque autem totum, quod Juris Canonici corpus dicitur, coaleſcit.

Decretum Gratiani ex Sacræ Scripturæ teſtibus compingitur, ex regu-

regulis Conciliorum, antiquorum Pontificum Reſcriptionibus, & Sanctorum Patrum Authoritatibus; treſque in partes eſt diſtributum. Prima dicitur de Diſtinctionibus, & unam ſupra centum diſtinctiones claudit. Secunda, quæ De Cauſis inſcribitur, ex triginta ſex cauſis contexitur, quarum trigeſima tertia diſtinctiones ſeptem complectitur, in quibus de Pœnitentia agitur. Tertia quinque diſtinctiones continet, quæ de Conſecratione appellantur, ut à prima parte diſtinguantur, eò quòd in præſenti ab Eccleſiarum conſecratione Gratianus reverà exordiatur.

In prima itaque parte de primis Juris principiis agitur, hoc eſt Juris tum Divini, tum humani, in primis nempe vicenis diſtinctionibus; in reliquis verò de Ordinationibus, & Eccleſiarum Miniſtris, de Prælatis, & Inferioribus, & de Prærogativis, ac dotibus, quibus inſigniri debent.

In ſecunda de judiciis Eccleſiaſticis tum civilibus, tum criminalibus, pertractatur, deque materia, ſupra quam cadunt, tam in exteriori, quàm interiori foro; & propterea hac in parte de Matrimonio, ac de Pœnitentia luculenter agitur, quæ pleriſque ex dictis judiciis materiam præbent.

In tertia demum Gratianus de cæteris Sacramentis diſſerit, de quibus nullus in præcedentibus ſermo eſt habitus, videlicet de Baptiſmate, Confirmatione, & Euchariſtia, Extremum Chriſma reticendo; & cùm Euchariſticum Sacramentum ſit cæterorum longè præſtantiſſimum, idcircò de ipſo ibi primò pertractat, incipiendo ab Eccleſiarum, & Altarium conſecratione, quæ eidem Auguſtiſſimo Sacramento debent inſervire.

In ſingulis porrò iſtarum partium Gratianus ſtudet varios concordare Canones, ſuper quavis materia occurrentes; unde creditur opus iſtud ab ipſo ſic fuiſſe inſcriptum: *Concordia diſcordantium Canonum*. In his tamen conciliandis aliquoties hallucinatus eſt, ſicut etiam citando authoritates, quas refert, ut ex iis argui poteſt, quæ parte ſecunda de Confeſſione recenſet; quamquàm ibidem poſſumus ipſum favorabiliter interpretari, ut videre eſt in Tractatu de Confeſſione Patris de Sancta Martha, Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri.

Cæterùm, quantùm ad falſas Gratiani citationes, Romani Correctores ſub Pontificatu Pii IV. & Pii V. ipſis proſpicere curarunt, ſingula nempe propriis tribuendo Authoribus, quæ Gratianus, poſt Burchardum, & Ivonem Carnutenſem, aliis aſcripſerat. Antonius Auguſtinus, Archiepiſcopus Tarraconenſis, conſimile opus eodem tempore ſuſceperat, totumque penè conſummaverat, cùm ecce intellexit, novam Decreti Gratianæi editionem à Romanis Reviſoribus prodiiſſe, unà cum ejuſdem emendationibus. Quocirca Doctus is Præſul coactus fuit eas ſedulò perpendere, perque nova quædam additamenta, Dialogis, ex quibus duo ejus libri componuntur, inſerta

ſerta

ſerta referre. Hoc tamen opus, poſtquàm Author naturæ conceſſerat, quod anno 1586. contigit, ſolummodò fuit luci traditum; & quia impreſſa exemplaria ferè ubique defecerant, Dominus Balluzius, ut nova fieret editio, oppidò utilis, & caſtigata, operam dedit, cui etiam ſcitu dignas correctiones ſuperaddidit, ut aliàs innui.

Licèt autem iſtud Gratiani Decretum haud fuerit publica ex authoritate compoſitum, hinc tamen non obſtitit, quin fuerit in jurisprudentiæ palæſtris ſummoperè commendatum ante Decretalium compilationem, quæ poſtmodùm facta eſt. Quinimmò ex tunc etiam jugi in exiſtimatione fuit, tametſi ejus authoritas ex Doctorum, quos inibi paſſim recenſet, teſtimonio in primis firmetur.

Porrò jus novum in quinque collectionibus, ſive Decretalium compilationibus conſiſtit, quæ poſt Gratiani obitum à Summis Pontificibus emanarunt. Hæ autem Collectiones ſunt: Decretales Epiſtolæ à Gregorio IX. compilatæ, Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes Communes.

Ante Gregorium IX. quamplures earumdem Decretalium Sylloges texere attentaverant; & præ aliis Innocentius III. & Honorius III. iſtam nonnullis provinciam demandaverant; ſed tandem Gregorius Nonus, Honorii ſucceſſor, qui vixit in Pontificatu ab anno 1237. uſque ad 1241. collectionem fieri juſſit, quæ nunc temporis Canonico juri inſeritur; quamvis pleræque ex hiſce Decretalibus haud ſint in Gallia receptæ, & præſertim eæ Sexti, quæ ex Lugdunenſi Concilio non fuerunt depromptæ. Prætereà harum aliquot abrogatæ fuere, ſive à Concilio Tridentino, ut ſunt quæ Clandeſtina approbabant Matrimonia, ſive ex contraria conſuetudine.

Collectio hæc Gregorii IX. coaleſcit nedum ex Summorum Pontificum Decretalibus, quæ qui vixerunt poſt Eugenium III. cujus ſub Pontificatu vivebat Gratianus, verùm etiam ex Divinarum Scripturarum, Conciliorum Patrumve teſtimoniis, quemadmodum & Gratiani Decretum. Porrò in quinque libros iſthæc diſtribuitur: in primo agitur de Judicibus, nimirum de Prælatis; in ſecundo de Judiciis Civilibus; in tertio de rebus Eccleſiaſticis, ad Clericos, Laicoſque ſpectantibus; quæ etiam præfatis Judicis materiam ſuppeditant; in quarto de Matrimonio; in quinto demùm de criminibus, & Judiciis criminalibus; Quorum omnes librorum materias quinque ſequentis carminis vocabula complectuntur.

Judex, Judicium, Clerus, connubia, crimen.

Bonifacius VIII. huic compilationi ſextum quemdam librum adjecit, qui proptereà Sextus appellatur, Epiſtolas Decretales complectens, quæ poſt Gregorium IX. uſque ad Bonifacium ipſum emanarunt, unà cum Canonibus duorum Conciliorum Generalium Lugdunenſium anni 1245. ſub Innocentio IV. & 1274. ſub Gregorio X. Sextus quoque dividitur in quinque libros, ſicut & compilatio Gregorii IX. & ſequentes.

Clementinæ continent Canones Concilii Generalis Viennenſis, ſub

Clemente V. celebrati, unà cum hujuſce Pontificis Decretalibus, unde etiam hujuſmodi collectio, Clementinarum nomen ſortita eſt.

Joannes XXII. collectionem iſtam publicavit; ſimulque confirmavit, novamque ſubinde edidit, proprias Decretales complectentem, quæ Extravagantes nominantur, eò quod corpori Juris ſunt adjectæ, quod jam erit in praxi.

Extravagantibus iſtis Joannis XXII. nonnulli privata induſtria Pontificis hujus Decretales, quæ ejuſdem collectioni deerant, adjecére, eaſque ſucceſſorum; quæ ut ab illis Joannis dicti ſecernerentur, Extravagantes Communes dicuntur.

Nomen hoc, Extravagantes, jam pridem Decretalium collectionibus, poſt Decretum Gratiani cincinnatis, impoſitum fuerat; mox tamen primas duas dumtaxat ejuſdem vocis ſyllabas retinere ſatius viſum eſt, nimirum; Extrav. vel cum majori abbreviatione: Ext. in citationibus compilationum Gregorii IX. & Sexti. Cæterùm titulo, Extravag. Decretales tantùm Joannis XXII. Et extravagantes communes inſcribuntur.

Ad dignoſcendas autem Juris Canonici citationes meminiſſe fas eſt, Decretum Gratiani diſtributum eſſe in diſtinctiones, & cauſas; cauſas in controverſias, utraſque verò in Canones. Item animadvertendum eſt, in ſecunda parte hujus Decreti, quæ eſt de cauſis, agi de Pœnitentia in trigeſima tertia, & hunc Tractatum in ſeptem diſtinctiones dividi. En igitur quomodò citatur Prima pars Decreti:

Can. vel cap. Erit autem 2. diſt. 4.

Quod innuit, locum hunc reperiri in Canone, ſive capite, incipiente per hæc verba: *Erit autem*, qui textus eſt ſecundus quartæ diſtinctionis.

Citatur Secunda Pars hoc modo:

Can. Quoties 9. 1. (ſupple cauſa) quæſt. 7.

Verùm cùm notandæ ſunt Gloſſæ, ſeu Commentaria Gratiani, utimur nota paragraphica: §. Sed hoc de peccatore ad finem Can. Sicut Chriſtus 7. 1. quæſt. 1.

Prout ad Tractatum ſpectat de Pœnitentia, qui ſeptem diſtinctiones complectitur in cauſa 33. hic eſt citandi modus:

Can. perfecta, 16. diſt. 3. de Pœnit.

§. Illud autem Gregorii poſt Can. Quærat hic aliquis diſt. 4. de Pœnit.

Praxis denique citandi Tertiam Partem hæc eſt:

Can. Nemo 9. diſtinct. 1. de Conſecrat.

Quod denotat canonem, ſive caput, quod incipit: *Nemo*, quod eſt nonum in prima diſtinctione de conſecratione, ideſt tertiæ partis.

Quantùm verò ad quinque Decretalium libros, à Gregorio IX. compilatarum, ſinguli eorum diſtribuuntur per titulos, tituli per capita, hæcque, cùm nimis prolixa, per paragraphos. Poſt capita, & paragraphos, ſi adſint, opponitur particula, Extra, vel abbreviando: Ext videlicet, C. cum in cunctis 7. §. Inferiora Ext. de elect.

Quoniam in citationibus hujuſce collectionis numerus libri reticetur, ut

ut etiam in citationibus Decreti; operæ ideò pretium eſt quidquid in ſingulis librorum continetur, prænoſcere, ſicut & ipſorum ſeriem, ut is ritè diſtinguatur, qui ut materia citationis refertur. Sic in citatione modò allata, liber de elect. primus eſt quinque eorum, ex quibus Gregorii IX. compilatio componitur; Quotieſcumque autem ſub uno, ac eodem titulo capita recenſentur ſimili vocabulo incipientia, additur: el ſecundo, ut ſecundum indicetur.

Quoad Sexti citationes, additur in calce cujuſlibet citationis, in 6. & in Clem. pro Clementinis, & Extravag. pro Extravagantibus, ſuperaddendo: Jo. 22. pro iis Joannis XXII. Denique Extravag. Comm. pro Communibus.

Plerique Authores nonnulla Canonici Juris edidere compendia, & alii methodos quaſdam, ut minùs laborioſum Sacrorum Canonum ſtudium redderent. Quocirca præ aliis legi poterunt Corvini Epitome, Inſtitutiones Juris Canonici cum commentariis Lancellotti, Œconomia Juris Canonici Caballutii, Prænotionum Canonicarum libri V. Domini Doujat, in quorum calce Elenchus adeſt Conciliorum, omnium Patriarcharum Orientis, Summorumque Pontificum, Les Inſtitutions au Droit Eccleſiaſtique par Monſieur l'Abbé Fleury, Inſtitutiones in Jus Eccleſiaſticum Domini Abbatis Florii; Opus Domini Du-Bois Advocati in Conventu juridico, ſeu Parlamento Pariſienſi, tandem libellus quidam anonymus, Lugduni anno 1690. excuſus, ſub hoc titulo: Abregé hiſtorique Du-Droit canon, contenant des remarques ſur le Decret de Gratien, avec des Diſſertations ſur les plus importantes matieres de la Diſcipline de l'Egliſe, & de la Morale Chrétienne. Compendium hiſtoricum Juris Canonici, Adnotationes continens in Decretum Gratiani, unà cum Diſſertationibus in potiores materias Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, atque Ethicæ Chriſtianæ.

Priùs quàm Juris Canonici ſtudium quis exordiatur, oportet ut generalem quamdam legum notitiam, vel ſaltem ideam præhabeat; inde namque compilationem ſuam Gratianus reverà incæpit. Divus Thomas de legibus egit prima ſecundæ. Sunt qui conſulant, haud prætermittendum Dominicum Soto De Juſtitia, & Jure; ſed nimis amplum Volumen videtur, doctrinis quidem variis refertum, & ut conſulatur opportunum, aſt eò prolixum, ut non parùm negotii perlegenti faceſſat. Ut autem aliqua ſaltem juris civilis idea formetur, Tractatus quidam legi poterit Gallico ſermone à Domino Domadio elucubratus, velut præambulum ad alterum ab ipſo pariter nuper excuſum, in quo juris civilis leges eleganti diſponit ordine, quæ in Codice, ac Digeſto per quàm confusè traduntur.

Multum deinde confert Gratianum, ac Decretales accuratè perpendere, unde hodiernum Juris Canonici corpus conſtituitur. Qui tamen Canonico Juri noluerint operam adeò impensè navare, ea ſaltem perlegere ſatagent, quæ inſtitutum proprium, & Sacramenta reſpiciunt; Quæ materiæ ſub propriis titulis diſtinctæ legentibus occur-

 rent.

Digitized by Google

rent. Qui verò Canonici Juris pleniorem habere notitiam optaverit, quoſdam inſuper Commentarios evolvet, ut putà à Proſpero Fagnano dudum editos, qui præſtantiores habentur; ad rem quoque valdè erit iſtorum aliquot ſibi comparare, Gallico idiomate compoſitos, ut peculiares Galliarum conſuetudines, ac municipales leges innoteſcant;. Quocirca opus præfati Abbatis Florii maximè proderit.

III.

Jus Civile Archetypum fuit jus Canonicum condendi. Conſiſtit autem in quatuor præcipuè collectionibus, quæ ſunt: Inſtitutiones, Digeſtum, aliàs Pandectæ Codex, & Novellæ. Decretum Gratiani cum digeſto, Prima Decretalium compilatio cum Codice, reliquæ verò cum Novellis, multum affinitatis habent,

Inſtitutiones quatuor libris abſolvuntur, in quibus agitur de Juſtitia, & Jure. Perſonæ, res, obligationes, & actiones in ipſis potiſſimè pertractantur.

Digeſtum priſcorum Juriſconſultorum deciſiones continet, & partitur in Digeſtum vetus Infortiatum, & novum, quorum ſingula in plures libros diſtribuuntur. Uſitatum eſt in citationibus duplici ff. Digeſtum innuere.

Codex nil aliud eſt, niſi veterum legum Imperialium Collectio. Quinque autem enumerantur, ideſt Codex Juſtinianæus, Gregorianus, Hermogenianus, Theodoſianus, & Baſilicæ. Codex Juſtinianæus, ſtatuta, ſanctiones, & præcepta Imperatorum complectitur, ab Adriano, uſque ad Juſtinianum, qui collectionem hanc fieri juſſit. Gregorianus, & Hermogenianus à duobus præclaris Juriſconſultis, Gregorio nempe, & Hermogene, conditi ſunt, ex quibus collectiones iſtæ nomen derivarunt. Theodoſianus codex, Theòdoſii Magni, & nonnullorum Imperatorum conſtitutiones claudit. Tandem Baſilicæ nil aliud ſunt, propriè loquendo, quàm Juſtinianæi Codicis epitome, cujus Authoritas cæteris quibuſvè aliorum Codicum præfertur.

Novellæ, ſolas Juſtiniani Imperatoris conſtitutiones continet, quibus earum Appendix adjuncta fuit; quæ authenticæ non habentur.

Ulteriora non recenſebo prout ad jus civile, quandoquidem Monachos parùm decet hujuſmodi ſtudium; Præterea ipſis à S. Baſilio interdicitur in Epiſtola ad Sanctum Gregorium; ſicut etiam ab Alexandro Tertio Pontif. Max. præter alios, qui omittuntur; quod tamen de iis videtur intelligendum, qui id expreſsè profitentur; ſecùs verò reſpectu illorum, qui legum, vel Inſtitutionum univerſalem dumtaxat ideam ſibi comparare cupiunt, ut inde ad jus canonicum percipiendum faciliùs ſe introducere valeat, vel etiam ut ad rectè judicandum de variis, quæ contingunt actionibus, diſponantur ingenia; quod appoſitè Petrus Bleſenſis animadvertit, inquiens: Bonum eſt ſcire leges, ſed non ad quæſtum, non ad iniquum juris compendium,

dium,

dium, ſed ad inquiſitionem veritatis, & judicii æquitatem. Plurima etiam in Theodoſii, ac Juſtiniani Codicibus extant, quorum ſcientia Superiores maximè decet. Domini Gothofredi notæ in Theodoſianum Codicem, eruditionum copia undique ſcatent.

Inſuper in Novellis Juſtinianæis legi poteſt conſtitutio quarta tota per extenſum; item articulus 42. conſtitutionis octavæ; & in aliis, quæ ſequuntur, conſtitutionibus articuli 410. 411. & 480. & ſequentes legendi erunt; in iſtis namque pleraque, & egregia documenta, ad Monachos attinentia, fient legentibus obvia.

Non deſunt tamen vel in Jure Cæſareo multa Eccleſiaſticis valde conſentanea; Quid namque præſtantius eo, quod Leo, & Anthemius Imperatores, pro Epiſcoporum eligendorum norma, ad Armaſium Prætorio-Præfectum ſcribunt? *Nec pretio, nec precibus ordinetur Antiſtes; tantùm enim ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; ſola illi ſuffragetur excuſandi neceſſitas; Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Haud ægrè arguere hinc poteris (ut ajunt) ex ungue Leonem, & ex iſto brevi Doctrinæ veſtigio, nedum præfatæ, ſed & cæterarum conſtitutionum vim inferre, quæ occurrunt in Juſtinianæo Codice, in Regio Luparæ Palatio nuper excuſo, unà cum Notis Domini Pithœi. Ineſt nobis eximia quædam compilatio Regularum, ac juridicorum dogmatum, quæ Petrus Pithœus congeſſerat, deinde Dominus Jolius imprimi curavit, unà cum Opuſculis Domini Oyſelii.

Codex Juſt. Lib. 1. Tit. 3. Cap. 31.

Qui generalem quamdam juris civilis notitiam habere cupit, Epitomen Corvini legere poterit, Juſtiniani Inſtitutiones; item Arnoldum Vinnium in Inſtitutiones, planè utilem, cæterumque fortè præſtantiſſimum; *L'Origine du Droit Francois par Monſieur l'Abbè Fleury*, Gallici Juris originem à Domino Abbate Florio, duobus parvis voluminibus nuper vulgatam. Non abs re fortaſſis erit Juris Canonici ſtudium, ex hac Juris Cæſarei præconcepta idea exordiri, ſiquidem velut Iſagoge ad ipſum inſervire poterit. Claudii Colombeti Paratitla in Digeſtum, eaque Jacobi Cujacii in novem Codicis libros, multum ſanè eruditionis continentia, ad iſtam ideam brevi formandam oppidò conferent.

Quamplures inſignium Juriſconſultorum autumant, utiliorem Juri ſtudendi methodum fore, ſi nudè, abſque Gloſſa, aut commentariis legatur; ſaltem ita ſentiebant Domini Pithæi, Viri de Juriſprudentia optimè meriti, quorum proinde authoritas taliter opinantium ſententiam valdè commendat. Legitur hoc in Vita Petri Pithœi, unà cum Opuſculis Domini Loyſel in lucem edita, cura, & ſtudio Domini Joly, Canonici, atque Cantoris Eccleſiæ Cathedralis Pariſienſis.

CAPUT VI.

De Theologia poſitiva, & Scholaſtica.

DIſcrimen hoc Scholaſticam inter ac poſitivam intercedit Theologiam, quòd hæc Scripturis Sanctis, Conciliorum, Patrumque Traditionibus merè innititur; illa verò latiorem ſibi vendicando campum, humanæ etiam rationis, Philoſophiæ, cæterarumque ſuperaddit ſcientiarum adminicula.

Quoad poſitivam Theologiam non eſt cur hìc fuſiori me extendam calamo; quæ ſiquidem de Scripturarum, Patrum, ac Conciliorum lectione ſuperiùs innui, ad id videntur ample ſufficere, præter ea, quæ mox adjiciam de Scholaſtica Theologia. Nihil autem ſuper hoc jucundius, ac opportunius legendum nobis occurrit, quàm quòd monet S. Hilarius lib. 1. de Trinitate, ubi inquit: *De Deo tractare volentem, meminiſſe oportet terrenarum mentium infirmas, atque imbecilles opiniones eſſe abjiciendas, omnes imperfectæ ſententiæ anguſtias religioſa dicendi expectatione laxandas; Novis enim regenerati ingenii ſenſibus opus eſt, ut unumquemque conſcientia ſua ſecundùm Cœleſtis originis munus illuminet. Standum itaque per fidem ante eſt in ſubſtantia Dei, ut ſenſum ad ea, quæ Dei ſubſtantiæ ſint digna, moderetur; moderetur autem non aliquo modo intelligendi, ſed infinitate.* „ Quin etiam con- „ ſcius ſibi divinæ ſe naturæ participem effectum fuiſſe; Dei natu- „ ram, non naturæ ſuæ legibus metiatur, ſed Divinas profeſſiones ſe- „ cundùm magnificentiam Divinæ de ſe proteſtationis expendat. Opti- „ mus enim lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis „ potius, quàm imponat, neque cogat id videri dictis contineri, quod „ ante lectionem præſumpſerit intelligendum. Cùm itaque de rebus „ Dei erit ſermo, concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſque ejus „ pia veneratione famulemur; idoneus enim ſibi teſtis eſt, qui niſi „ per ſe cognitus eſt. Si qua verò, de natura Dei tractando, compa- „ rationum exempla afferantur, nemo ea æxiſtimet in ſe rationis per- „ fectionem continere; comparatio enim terrenorum ad Deum nulla „ eſt, ſed infirmitas dumtaxat noſtræ intelligentiæ cogit ſpecies quaſ- „ dam ex inferioribus, tamquam ſuperiorum indices, quærere, ut „ rerum familiarium conſuetudine admonente, ex ſenſus noſtri con- „ ſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem educamur. Omnis igitur com- „ paratio homini utilis potiùs habeatur, quàm Deo apta ..... pro- „ teſtans & infirmitati ſe humanæ neceſſariam, & ab invidia eſſe li- „ beram non ſatisfacientis exempli. Nam id, quod ultra humani „ ſenſus intelligentiam Dominus de ſe profeſſus eſt, quantis poteſt „ potentiæ exemplis, ad intelligentiæ fidem coaptat, innuens, ut „ quod ab homine per naturam hæbetem non capitur, id fides ta- „ men rationabili ſcientia conſequatur; quia neque non credendum

„ de

„ de ſe Deo eſt, neque opinandum extra rationem fidei eſſe intel-
„ ligentiæ poteſtatem.

Nonnulli ob id Scholaſticam ſcientiam, tamquam cujuſdam corruptelæ fontem ſpectant, quæ ſenſim in Theologiam irrepſerit; Hincque ægrè ferunt, vel ratione humana, vel Philoſophica ſcientia, quædam in ipſa reſolvi rationem ipſam omninò tranſcendentia. Reverà fateri cogimur, exceſſum aliquem in hoc poſſe contingere, quinimmò multoties in Theologiam irrepere; verùm ſi moderatio ſervetur, nec non ineptus rationis emendetur uſus, haud quaquam improbandum eſt, quod alioquin liquet in ſe eſſe valdè proficuum. Scholaſtica ergò facultas perquam utilis eſt ad rectè diſſerendum de rebus ad materiam religionis ſpectantibus; ad ſtabiliendas ſententias, quibus nitendum eſt; ad decidendas novas controverſias, quæ paſſim inſurgunt; ad enodandas æquivocationes, Paralogiſmos, & Hæreticorum ſophiſmata, ad conciliandos demùm veterum exprimendi modos cum iis, qui nunc in Eccleſia uſurpantur.

Duplex ratiocinandi genus in Theologia notatur, unum nempè in veritatibus revelatis, in Scripturis, ac Traditionibus fundatum; alterum verò, illis præſuppoſitis, ex naturali, ac philoſophica ratione emergens, ut inde per comparationes quaſdam, & paradigmata, præfatæ veritates magis illuſtrentur, credituque faciliores reddantur.

Hic autem rationis uſus neutiquam dedecet, quamdiu certos limites, modoſve minimè tranſcenderit. Aſt ubi primùm exceſſerit, ita ut nedùm veritates revelatæ illuſtrentur, ſed ad futiles, chimericaſque Quæſtiones digrediamur, tunc tranſit in Theologicæ facultatis abuſum, non quidem ex nobiliſſimæ hujus ſcientiæ defectu, ſed hacce perperam utentium. Humana ratio plerumque inquies eſt, ac indomita, nec niſi ægrè patitur legibus ullis, aut limitibus circumſcribi; Quo circa fides ipſam inter theologizandum compeſcere debet, quotieſcumque ſupergredi noverit. Oportet igitur, ut fides rationem dirigat, & viciſſim quòd intrà illius veritates vel ſaltem ipſarum inquiſitionem, ac intelligentiam, hæc coerceatur: *Bonus quidem rationis circuitus* (egregiè ſcribit pius quidam Author) *ſed quando ratio ipſa intrà fidei regulas ſe continet, ejuſque terminos non excedit de fide ad fidem, vel de fide ad intelligentiam pertingens.... Bonus iſte circuitus, in quo mens rationis ductu perveſtigando procedit, ſed a fide non recedit; inſtructa à fide, reſtricta ad fidem.* *Gillelb. ſerm. 4. in Cant. n. 2.*

Quamdiu methodus iſta ſervabitur, haudquaquam rationis uſus vitio vertetur; Nec ſecùs iſta uſi ſunt priſci Patres, ſive veræ Religionis cultum Ethnicis ſuadendo, ſive eamdem contra Adverſarios viriliter propugnando. Sic pariter ſe geſſerunt primi Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ, Catholicorumque dogmatum defenſores.

Equidem fateor non modicum eſſe diſcriminis inter noſtratem, ac ipſorum Theologiam; horum quippe ratiocinia diſertè adeò ſunt, eleganterque diſpoſita, ut jucunditatem, ac energiam juxta Chriſtia-

I 4 næ

næ eloquentiæ methodos, ubique redoleant. E contrario verò Scholaſtica Theologia prorſus arida, ſterilisque videtur; per argumenta enim, ac Dialectica ratiocinia ferè ſemper interruptè procedit, ut plerumque legenti negotium faceſſat. Niſi tamen quorumdam Neotericorum Theologiæ mille futiles Quæſtiones fuiſſent inſertæ, methodus iſta nonnihil adhuc eſſet commendabilis, cùm reverà propriis non careat emolumentis. Verùm nedum frivolis quæſitis eam plerique deturparunt, ſed & Theologicos diſcurſus penè omiſerunt, alios eorum loco ſubrogantes ſæpe numerò irridendos, utpotè pueriles, nugatorios, & almæ Religionis, quam profitemur, majeſtati incongruos. Inſuper à traditione ipſa, ex nimia philoſophandi libidine, multoties declinarunt, quam tamen ex veterum Patrum ſtudio, à ſe jugiter neglecto, haurire facilè potuiſſent. Inter ipſos autem celebriori cenſebantur nomine, qui ſophiſtica invicem cavillandi arte præſtabant, ut ex Sic, & Non, Petri Abaillardi liquet. Verùm enimverò quis excogitare queat in quot demùm hujus farinæ Theologi proruperint deliramenta? Arguere id luculenter poſſumus ex iis, quæ Guillelmus, ac Stephanus, Pariſiorum Antiſtites, ac Sorbonenſis Univerſitas identidem damnarunt, reticendo etiam pro nunc improbum, tum docendi, tum diſcendi laborem, qui eo ex tempore in quorumdam ſcholis miserè invaluit, adjectis innumeris latinæ linguæ barbariſmis.

Abuſus iſte elapſis quidem ſæculis apprimè viguerat; verùm noſtro hoc ævo ipſi quadantenus proſpectum eſt; ſiquidem nedum Scholaſticam Theologiam puriorem conſpicimus, ſed longè digniùs, ac olim gymnaſticis in palæſtris pertractari; pluris enim in præſentia authoritatem facimus, quàm rationem; ipſa Scriptura, Conciliorum, Patrumque ſententiæ proprio in fonte leguntur, non verò in apocryphis, dubiiſque ſcriptis, quæ olim ſcholaſtici ſibi viciſſim communicantes, contra legitimum Autographorum ſenſum iis ſæpiſſimè utebantur, eò quòd iſtos in fonte noluerint aliquando conſulere. Cæterùm optandum nobis eſt, ut diu, quæ nunc in ſcholis viget, ſervetur methodus, ſimulque cavendum, ne quis impoſterum fidenter acquieſcat nonnullis, ſive exemplaribus, ſive Collectionibus Patrum, Conciliorum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ à quibuſdam vel viris doctis proprio uſui concinnatis; quandoquidem ea in nobis renovaretur confuſio, quam hucuſque in præteritorum temporum ſcholaſticis improbavimus.

Tayonus, Cæſarauguſtæ Antiſtes, ex primis fuit, qui Theologicam ſummam congeſſerit. Vixit ſub medium ſeptimi ſæculi, & in quinque libros ſub peculiaribus titulis redegit quidquid ad Theologiam ſpectans in Divi Gregorii Operibus nactus eſt, nullum ibi intermiſcendo ſermonem, neque aliorum Patrum teſtimonia, præter aliquod Divi Auguſtini. In primo hujus compilationis libro, nondum typis edito, agit de Deo, ejuſque Attributis; In ſecundo de Incarnatione, de Prædicatione Evangelica, de Eccleſiarum Paſtoribus, eorumque gregibus; in tertio de variis Eccleſiæ Ordinibus, de Virtutibus,

tibus, & Vitiis; In quarto de Dei Judiciis, de tentationibus, ac peccatis; In quinto demùm de Reprobis, de Judicio Univerſali, de Mortuorum Reſurrectione.

Sanctus Joannes Damaſcenus primus inter Græcos extitit, qui Summam ediderit Theologicam, quæ in quatuor libros diſtribuitur, & inſcribitur: *De Fide Orthodoxa*. In primo agit de Deo, ejuſque attributis; in ſecundo de Creatione, de Creaturis, & de Prædeſtinatione; In tertio, & quarto de Incarnatione, de variis myſteriis, quorum poſtremum eſt de Reſurrectione Mortuorum. Regula, quam ſibi in hac Summa potiſſimè præſcribit, hæc eſt: Nil aliud in Theologia inveſtigandum eſſe, præter ea, quæ nobis in lege per Prophetas, Apoſtolos, ac Evangeliſtas ſunt revelata; item ſubtrahendas eſſe inanes quaſdam, futileſve quæſtiones, quæ poſſunt ab humana intelligendi acie confingi circa Divinam eſſentiam, vel circa modum ejus immenſæ exiſtentiæ; quomodò Verbum, & Spiritus-Sanctus procedant; qualiter Verbum ſit Incarnatum, &c. Cùm hæc, & id genus alia quæſita nobis in Scripturis haud explanentur.

Primus verò inter Latinos, qui Theologicas Quæſtiones Scholaſtica pertractarit methodo fuit S. Anſelmus in variis, quos elucubravit Tractatibus. Ejus ſtylus, nec prorſus ad Oratorium, nec ad Dialecticum vergit, ſed videtur nonnihil de utroque participans; Laconicus tamen potiùs eſt, ac metaphyſicam redolens. Guillelmus de Campellis, Petrus Abaillardus, Anſelmus Laudunenſis, aliique plures eum ſunt imitati.

Poſtremi horum Theologorum Theologiam in ſententias redegere; ea namque Guillelmi de Campellis, in quodam Manuſcripto Eccleſiæ Pariſienſis ſub hoc titulo legitur: ***Sententiæ Theologicæ Magiſtri Guillelmi Catalaunenſis Epiſcopi***. Petrus Abaillardus Præceptoris ſui exemplum in hoc tenuit, ſicut & Robertus Pullus, ac Petrus Pictavienſis; ſub quoetiam titulo S. Bernardus Abaillardi Theologia citat. Sed tandem Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis omnibus aliis longè antecelluit, & Theologica Patrum dogmata in quatuor ſententiarum libros redegit; hæcque eſt illa methodus, quæ univerſo ferè Scholaſticorum Cœtui, qui poſt ipſum fuere, magis arriſit, uſquedum Angelicus Doctor, qui eadem pariter uſus eſt, novam in ſua Summa concinnavit, quam ſubinde Scholaſtici cæteris quibuſcumque præpoſuerunt.

Non modicùm tamen poſt Divum Thomam Theologicæ facultati à Neotericis derogatum eſt; futiles namque ſpeculationes, ſeu potiùs nugatorias cavillationès in ipſa eò uſque congeſſerunt, ut à gravitate illa, ac theologizandi majeſtate, in Chriſtifidelium lyceis omninò ſervanda, multum receſſerit. Quocirca piùs quidam, ſapienſque Præſul ſe cohibere non potuit, quin ſcriberet: ***Pluſieurs Scolaſtiques modernes, plus ſubtils, que ſolides, voulant encherir Sur S. Thomas, ont embroiiìè les veritez qu'ils pretendent eclaircir, ruinè l'etudè de l'ecriture, des Saints Peres, & des Conciles; dèbauchè les eſprits, & èteint*** *Godeau Hiſt. de l'Egliſe.*

peu à

peu à peu dans les ames l'eſprit de pietè par leur maniere ſeche de s'eſpliquer; ce qui eſt un grand mal. Plerique recentiorum Scholaſticorum, vanam potiùs ſpeculationem, ac ratiociniorum acumen oſtentantes, quàm doctrinarum gravitatem; & ſupra Divum Thomam meliori fortè nomine cenſeri præſumentes, veritates dum magis illuſtrare intendunt, potius implicuerunt; inſuper Scripturarum Divinarum, Sanctorum Patrum, ac Conciliorum ſtudia everterunt, perverterunt ingenia, ſenſimque veræ pietatis fervorem in animabus ſuffocarunt ob aſperam, ſpinoſamve à ſe confictam docendi methodum, quod ſanè Reipublicæ literariæ ingenti eſt detrimento. Melchior Canus in hunc abuſum maximoperè invehitur; meritò tamen ſuſtinet, Scholaſticam Theologiam ob id minimè ſpernendam eſſe, cùm non in ipſam, ſed in quorumdam dumtaxat Theologorum ineptiam quidquid indecorum eſt, ſit refundendum.

Oportet igitur, ut qui in Theologica facultate brevì proficere cupiunt, hujuſmodi Syrtes ſedulò declinent, hoc eſt Theologicum ſtudium in litigioſas palæſtras minime convertant, neque frivolis controverſiis operam impendant, materia, quam pertractant, prorſus indignis; denique, ut tantam argumentorum, ratiociniorumque farraginem moderentur, quæ vel in rebus ſacris Auditorum animis negotium potiùs faceſſunt, quàm ad ipſas ſuadendum, aut magis propugnandum conducant.

Quocirca ipſis operæ pretium erit veterum ſcholaſticorum veſtigia ſequi, putà S. Joannis Damaſceni, S. Anſelmi, præſertim verò Magiſtri Sententiarum, cujus Summa prò methodo inſervire poterit, tum ratione brevitatis, tum ſelectiorum materiarum, tum denique ex modò iſtas demonſtrandi, authoritate Patrum, ac Scripturarum; Quibus alià ſubinde Patrum teſtimonia poterunt ſuperaddi, quæ opportuniora videbuntur, unà cum iis Conciliorum, quæ inibi multoties deſiderantur; authoritates maturè ponderando identidem afferendas, ut quod quis probare nititur, efficaciter evincere queat.

Can. Lib. xii. cap. 3. Si verò materiarum ſeriem, ordinemve ſpectemus, Melchior Canus Divi Thomæ Summam cæteris quibuslibet meritò præfert, tametſi nonnihil prolixam, cujus proinde lectio, & ſtudium multum temporis poſcunt, quod ab aliquibus breviùs ſe expedire cupientibus in evolvendis Scripturis, Patribus, & Conciliis poſſet inſumi. Theologiæ tamen Profeſſoribus neceſſum omninò erit exactam totius Summæ prædictæ ideam gerere, potioreſque ejuſdem Controverſias ad Moralem in primis ſpectantes, ritè perpendere. Grotius in Epiſtola, cuidam Galliarum Regis Oratori exarata, qui methodum quamdam exactè ſtudendi ab ipſo popoſcerat, ei conſuluit lectionem ſecundæ ſecundæ Divi Thomæ ad Moralis Doctrinæ conſecutionem. Quamobrem qui opportuna librorum copia caruerint, vel ad Patres, aut Concilia proprio in fonte ſcrutanda defecerint animo, intrà Summæ iſtius limites continere ſe poterunt; vel ſi malint, Eſtium in Magiſtrum Sententiarum evolvere, utpotè breviorem, potioreſque dum-

taxat,

taxat, reſectis inutilibus, Thologiæ Quæſtiones pertractantem.

Plura hic non adjiciam ad demonſtrandum Theologicum ſtudium Monachis planè congruere. Exemplum Caſſiani, Jobii Monachi Græci, qui, referente Photio, novem de Incarnatione libros quinto ſæculo edidit, à Theodoreto Epiſt. 127. ad ipſum ſcripta, ſatis commendatos; reticendo Niciam, & Theodoſium, quorum opera paſſim citat idem Photius. Iſtorum, inquam, Doctorum exemplum, ſicut & S. Joannis Damaſceni, S. Anſelmi, Franconis Abbatis Monaſterii Affligenienſis in Belgio, qui libros quinque de Gratia compoſuit; Fulgentii Abbatis Montis Angelorum in Helvetiis, qui ſæculo duodecimo in univerſam Theologiam ſcripſit, aliis penè innumeris omiſſis, id ſat ſuperque confirmant. Nunc verò, ut innui, exoptandum reſtat, ut Scholaſticam Theologiam noſtri homines quadantenùs moderentur, ut inde Religioſis Alumnis utilior fiat, eorumque inſtituto magis conſentanea. Jam id à nonnullis cum fructu cœptum eſt, ſpeve optima nitimur majoris impoſterum progreſſus. Eſto autem mihi certò perſuadere non audeam, opuſculum hoc ad id multum poſſe conferre, nullum tamen inde detrimentum evenire crediderim; quinimmò generatim hactenùs dicta nonnihil ſtudioſæ juventuti profutura confido. Interim abs re minimè erit nonnulla hic hortamenta ſubdere, de quibus nondum hucuſque ſermonem habui. *Photius cap. 222.*

I. Exordiri quis poterit à lectione Melchioris Cani: *De locis Theologicis;* ſunt enim univerſæ Theologiæ veluti baſis, ac fundamentum. Præter iſtius operis materiam, legenti jucundam æquè ac neceſſariam, opportuna valdè erit ejus lectio ad ſciendum modum, quo Controverſiæ in Scholis utiliter ſint pertractandæ, recedendo nempe ab aſperitate, ſeu duritie quorumdam Scholaſticorum Neotericorum, quorum termini, reſque pertractandi methodus, videntur penè intolerabiles. Photius in ſua Bibliotheca animadvertit, Opera S. Juſtini, alioquin egregia, & ſoliditatem ſermonis ubique habentia, venuſtate tamen, optabilique jucunditate carere, eò quòd Sanctus Martyr eloquentiæ regulas prò debita ſtyli elegantia neglexit. At verò ex oppoſito inquit, S. Athanaſium veterum Philoſophorum veſtigia æmulatum, dialectico vigori rethoricæ facultatis ornatum copulaſſe, aſperam, & elumbem dicendi methodum declinando, & barbara vitando vocabula, queis Neoterici paſſim abundant. Melchiorem Canum tamquam exemplar poterit unuſquiſque ſibi proponere, ad emendationem iſtius Scholaſticorum defectus; & ſanè vix aliud in iſto ſcribendi genere opus adeò opportunum legendum repereris. Perlegi item poterit appoſite ad rem hanc Theologia Joannis Baptiſtæ Du-Hamel, quæ nil minùs ſtyli venuſtate gaudet, quàm ejuſdem Philoſophia. *Phot. Cod. 125 & 240.*

II. Ad rem pariter erit quatuor S. Joannis Damaſceni libros de Fide Orthodoxa inviſere; item Tractatus Theologicos S. Anſelmi, Quatuor libros Magiſtri Sententiarum, necnon præcipuas Quæſtiones Summæ Divi Thomæ.

III. Le-

Digitized by Google

III. Legi etiam poterunt Tractatus Patrum, quos ſupra innui, pro ſingulis Theologiæ materiis, unà cum Opere, quod inſcribitur: *Trias Patrum, ad materiam de Gratia pertinente*. In hac porrò lectione potiora argumenta ſeligentur, & loca, quæ ad ſtabiliendas, aut illuſtrandas præfatas materias, quas pertractare, vel addiſcere quis voluerit, magis videbuntur idonea.

IV. Oportebit inſuper ideam quamdam præhabere Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Conciliorumque ſaltem generalium; ad quos Hiſtoria Patris Alexandri, Notitia Conciliorum Cabaſſutii, Bibliotheca Domini Du-Pin ſufficere poterunt, donec favorabilis ſe prodat occaſio materias ipſas meditandi in Autographorum fonte.

V. Subtrahendæ ſunt quævis Diſceptationes inutiles, quales, ut plurimum ſunt circa, Quomodo, verſantes; Vel ſi quis eas penitùs omittere nolit, majori ſaltem, quoad fieri poterit, brevitate illas expendet. Nihil ſuper hoc legendum opportunius occurrit, quàm quod S. Baſilius Homil. 25. tom. 1. quæ eſt de Chriſti Domini Nativitate, ſcribit; ibi namque præcipit, perpetuo prætereundas eſſe ſilentio in Eccleſia ſingulas eas Quæſtiones, quæ vix ullam redolent utilitatem. Item quòd cuncta, quæ nobis credenda proponuntur, quantum poſſumus illuſtrare conemur, & quidquid ſilendum eſt, omninò ſupprimere debeamus: σιγάσθω τὰ πιστὰ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, δοξαζέσθω τὰ πεπιστευμένα, μὴ περιεργαζέσθω τὰ σιωπώμενα. Verbo demùm quidquid parum, aut nihil prodeſt, ſive ad fidei Orthodoxæ ſuſtentationem, ſive ad mores dirigendos, reſecandum erit: *Tradantur optima, idque, quantum libet, compendiò; reſecentur ſupervacanea*, inquit Eraſmus in Notis in Epiſtolam primam ad Timotheum cap. 1. ubi quamplures inutiles recenſet Quæſtiones quibus plerique Neotericorum, Theologiam ultra modum amplificarunt.

VI. Quidquam non eſt aſſeveranter affirmandum, niſi juxta certitudinis gradum, quo nobis innoteſcit; nec ulla opinabilis ſententia, tamquam indubitatus fidei articulus enunciabitur, quin priùs ut talis fuerit ab Eccleſia definita, Proœmium à P. Thomaſſino præpoſitum monimentis de Gratia, à ſe elucubratis, appoſitè ad rem hanc legendum moneo.

VII. Vitanda eſt quæcumque altercatio, aut excandeſcentia, quæ inter diſputandum ſæpenumerò excitatur, & interdum eouſque pertingit, ut variis contumeliis arguentes, ac reſpondentes ſeſe viciſſim afficere audeant: *Pro fide pugna ſit* (inquit Melchior Canus) *Pro bis verò, quæ non ſunt fidei, ſit pugna, ſed incruenta*. Legi poſſunt ſuper hoc Regulæ egregiæ à S. Gregorio Nazianzeno in ſuis ſermonibus propoſitæ, in primis ſerm. 26. & 32. in iſtis quippè illos potiſſimùm redarguit, qui contra Hæreticos diſceptantes, ipſos probris, ac conviciis identidem onerant, hac fortè ratione putantes ſuorum argumentorum ineptiæ quidquam poſſe ſuffragari; & tandem concludit, hanc Controverſiarum Profeſſoribus præſcribendo methodum, videlicet: Adverſariorum quidem animi nulla verborum acrimonia laceſſiri

ceſſiri debent ; ſed nec multùm iis indulgendum , ne fiant impudentiores .

VIII. Fugiendæ item ſunt ſophiſticæ cavillationes vel in Quæſtionibus neceſſariis, in quibus plerumque totum difficultatis pondus ad terminos merè æquivocos redigitur; unde fit, ut verboſæ dumtaxat protrahantur in circulis diſputationes, abſque ulla prorſus ſcientificæ veritatis conſecutione.

IX. Novis, ac inauditis vocabulis non eſt utendum, ſed iis tantùm , quæ vel Eccleſiæ conſuetudine , vel communi Theologorum praxi, pietate non minùs, quàm doctrina præſtantium, magis approbantur; & ſuper hoc oppidò confert Epiſtolam 410. Baſilii Magni inviſere, ſermonemque 26. S. Gregorii Nazianzeni. Præſertim verò nova vitanda ſunt ſyſtemata, utcumque ſpecioſa, aut plauſibilia videantur; Quoniam licèt poſſint reverà eſſe fidei, & rationi conſentanea; ſemper tamen ambigendi locus, ne inde tumultus, aut animorum diſſidia naſcantur , vel ſaltem ſimpliciores turbentur , ſuſpicantes , illa Univerſali Eccleſiæ Doctrinæ opponi. Verbo demùm, prout ad Theologiam attinet, quævis novitas pro ſuſpecta habenda erit, proindeque in iis ſiſtendum , quæ jam dudum veteres Patres calculo ſuo approbarunt , & per continuam traditionem ad nos devenere.

Addi etiam poſſet non videri adeò neceſſarium Theologicas Quæſtiones Dialectica tantùm argumentandi methodo expendere, ſed altera expeditiori, quemadmodùm poſt Magiſtrum Sententiarum , & Angelicum Doctorem Melchior Canus ſe geſſit; quia verò praxis in oppoſitum communiter invaluit, & hodierna, quæ in Scholis traditur methodus, reverà utilior, & ad tyrones imbuendos facilior univerſim creditur, propterea nec ipſi refragari præſumam; Quantumvis enim primus modus nobilior, atque præſtantior exiſtimetur; cùm tamen alter longè majori ſit emolumento, neutiquam prætermittendum reor. Sed de hoc fuſiùs infra cap. 10.

Unum tamen hìc animadvertere non omittam, utilius nimirùm fore pleroſque adoleſcentes, qui vel Scholaſticæ diſciplinæ parùm videntur idonei, vel ad ipſam nihil fermè inclinant, nullatenus cogere ad integrum Theologiæ curſum abſolvendum, ſed attenta ipſorum in Philoſophicis modica, tum propenſione, tum aptitudine ad ſcholaſticas ſcientias, ſat ſuperque fore ſimplicem quamdam, ac compendiariam Theologiam iis tradere, vel potiùs Tridentini Concilii Catechiſmum ipſis explanare , quò minus tempus in caſſum terant in conſcribendis amplis ſpeculabilium ſcientiarum tractatibus, quos plerumque nec legunt, nec intelligunt.

Nonnulla de Controverſiis dicenda ſuperſunt, ex quibus Scholaſtica Theologia vel ex parte coaleſcit; circa quod indubitatum eſt, hujuſmodi ſtudium, quandocumque neceſſitas, aut Eccleſiæ indigentia expoſcit, Monaſtico inſtituto neutiquam repugnare. Quicumque Chriſtiano cenſetur nomine, eo ipſo tenentur cauſæ communis Eccle-

ſiæ

ſiæ patrocinari. Exemplo ſint Sancti illi Anachoretæ Antonius, & Afratus, qui è propriis antris egredi non dubitarunt, ut eam adversùs Arianos ſtrenuè propugnarent; nos inſuper minimè latet, à S. Epiphanio Opus de Hæreſibus, quorumdam Monachorum efflagitatu fuiſſe compactum; item à Leontio Bizantino, Monacho Lauræ S. Sabæ pleraque non modò fuiſſe conſcripta de diverſis Hæreticorum ſectis, juxta doctrinam Theodori Abbatis ſui; verùm etiam tres libros contra Neſtorianos, Eutychianos, & Apollinariſtas. Quis porrò zelum, ab admirabili Simeone ſtilita exhibitum, æquè commendare valeat, quo Ethnicos, Judæos, ac Hæreticos, Theodoreto teſtante, partim exhortando, partim ſcribendo, ad Chriſtum convertit? Sanctus quoque Maximus Abbas, vir ſanè egregius, adversùm Monothelitas viriliter ſe geſſit; quemadmodum etiam S. Joannes Damaſcenus contra Jconoclaſtas, Lanfrancus, Algerius, Guimondus, & Durandus Troarnenſis Abbas contra Berengarianos, S. Bernardus, & Petrus Venerabilis, plurimis aliis omiſſis, contra Sectarios ſibi Synchronos.

Verum enimverò cùm horum agendorum occaſio rarò contingat, & præterea hocce ſtudium à dogmatica ſcientia parum, nihilve diſſideat; idcircò hactenus dicta ſufficere arbitror. Cæterum qui plura id genus ſciendi cupiditate flagrarit, Doctores Controverſiarum conſulere poterit. Cardinalis Bellarmini ſuper hoc exarata Volumina, *Reſponſe du Cardinal Perron au Roy de la Grande Bretagne*, Reſponſio Cardinalis Perronii ad Regem Magnæ Britanniæ; *Controverſes du Cardinal de Richelieu*, Controverſiarum Opus ſub nomine Cardinalis Richelæi excuſum; *Variations des Heretiques par Mr. de Meaux*, Variationes Hæreticorum per Epiſcopum Meldenſem, Tractatus de Controverſiis Fidei Adriani, & Petri de Wallemburch; *Methode des Controverſes pars Francois Verron*, Methodus Controverſiarum Franciſci Verronii; *La perpetuitè de la Foy touchante l'Euchariſtie*, Perpetuitas fidei circa Euchariſticum Sacramentum; *Traite de l'Unite de l'Egliſe*, Libellus quidam continens tractatum de Unitate Eccleſiæ; *Prejugez contre les Calveniſtes*, pluraque id genus alia, univerſim adeò commendantur, ut ſupervacaneum videatur de iſtis in præſentia meminiſſe. Quæ pariter Gregorius Caſſander ſcripſit prò reconciliatione Proteſtantium cum Catholicis legenda erunt. Quondam Dominus Franciſcus Pithœus teſtatus eſt Patri Sirmondo, Catholicam Religionem ſe fuiſſe amplexatum evolvendo Veteres Eccleſiæ Patres, & præſertim Vincentium Lerinenſem adverſus Hæreſes, cùm adhuc Genévæ, ac Heidelbergæ moraretur, & ſolitum fuiſſe reliquis Religionis Proteſtantium Sectariis cæcitatem, ac pervicaciam exprobrare, ipſis objiciendo præfatum Vincentii Lerinenſis Opuſculum. Ita exploratum habemus ex Vita Petri Pithœi, de quo jam præcedenti Capite.

CA-

CAPUT VII.

De Doctoribus Theologiæ Moralis.

PErnicioſior Scholaſticæ facultatis uſus multiplicatio fuit Doctorum Theologiæ Moralis. Sub initium tantùm tertii decimi ſæculi cœpit hæc ſchola floreſcere; in primitiva ſiquidem Eccleſia ſola puritas, & cordis rectitudo, quæ inter Paſtores, atque fideles apprímè vigebat, Doctrina item Evangelica, Patrum Dogmata, & Epiſcoporum Deciſiones, neceſſarium lumen abundè ſuppeditabant ad dubia, identidem occurrentia, reſolvenda. Hinc etiam ſingulas Eccleſias proprios Pœnitentiales libellos habuiſſe legimus, in quibus pœnitentiæ diſtributæ erant, pro variis peccatorum generibus, juxta Sacros Canones injungendæ. Poſt S. Dionyſium Alexandrinum, & Sanctum Gregorium Thaumaturgum, quorum ſinguli Canonicam Epiſtolam exararunt, pœnitentias in ipſis diſtinguentes, quibuſdam in caſibus imponendas, S. Baſilius Magnus tres alias nobis reliquit, Amphilochio, Iconii Antiſtiti, ſcriptas, ſumma ponderatione dignas. Extat inſuper apud nos Pœnitentiale Romanum, quod Halithgarius, Epiſcopus Cameracenſis, nono ſæculo, alteri à ſe compacto inſeruit; Illius verò, à Theodoro Archiepiſcopo Cantuarienſi compoſiti, aliquot tantùm nobis fragmenta ſuperſunt. Dominus Abbas Petit pleraque alia edidit; nonnulla etiam Domnus Lucas Acherius tomo nono ſui Spicilegii, quæ tutiora habentur; Illud Bedæ Venerabilis inter ejus Opera legitur. Alterum quod in calce primi Tomi Muſæi Italici viſitur, eſt antiquiſſimum. Pleraque alia in libris de pœnitentia occurrunt, à Patre Morino in lucem editis.

Tunc itaque moralis doctrina puriùs, ac ſinceriùs expendebatur, nec tot, tantiſque dubiis Metaphyſicis, ut nunc, erat obnoxia; Verùm eo ex tempore ad tot ſpeculationes deventum eſt, ut ex nimio, ac immoderato ratiocinandi acumine nonnumquam vel ipſa ratio deſierit; Quinimmò non ſine animi noſtri mœrore compertum eſt, Ethnicorum Ethicem quorumdam Theologorum ſummis aliquando fuiſſe pudori. Eccleſia tamen animarum pignus, gregemque ſibi à Chriſto Domino commendatum, jugiter, fideliterque cuſtodiens, quidquid Chriſtianæ Philoſophiæ candorem, ac rectitudinem vel minimùm labefactare poterat, perpetuo anathemate perculit, nec quidquam ſanctius in ipſa admiramur, quàm quæ identidem ſuper hoc ordinavit.

Hujus veritatis veſtigium exploratum habemus in Conciliis Turonis, & Cabilloni ad Ararim, quæ ſub initium noni ſæculi celebrata fuere; cùm enim horum Sacrorum Cœtuum Patres comperiſſent, Pœnitentiales libros ſupra modum multiplicari, nec ullam ampliùs apud Confeſſarios certam vigére, atque uniformem Regulam debitas Pœnitentibus injungendi ſatisfactiones, ac pœnas, ſancitum fuit, ut

à Præ-

à Prælatis unanimi conſenſu Pœnitentiale ſtabiliretur, deinceps omninò ſervandum, ut abuſus, qui in imponendis ſatisfactionibus in quorumdam Confeſſariorum mentes ſenſim irrepſerant, radicitùs amputentur. Canon hic eſt tertii Concilii Turonenſis cap. 22. ſed alter Concilii Cabilonenſis hoc ipſum magis confirmat; quandoquidem libellos quoslibet Pœnitentiales anonymos proſcribit, quorum
Concil. Cabil. 2. Cap. 38. errores indubitati erant; Sic enim habet: *Repudiatis, ac penitus eliminatis libellis, quos Pœnitentiales vocant, quorum ſunt certi errores, incerti Authores.* Item Confeſſarios omnes negligentiæ, atque inſcitiæ efficaciter ibi condemnat, qui pro enormibus ſceleribus leves dumtaxat pœnitentias injungebant contra communem Eccleſiæ praxim: *Pro peccatis gravibus leves quoſdam, & inuſitatos imponunt pœnitentiæ modos;* Unde funeſta hac lenitate ſceleſtiſſimos quoſvis peccatores dimittentes, ſpeciem quamdam falſæ ſecuritatis iis procurabant, ex qua propriæ ipſorum ſalutis ſequebatur interitus. Verùm abſurdum iſtud minimum erat in comparatione alterius, quod temporis progreſſu nonnulli Caſuum Conſcientiæ Doctores addidére.

Sanctus Raymundus Frat. Ord. Prædicat. XIII. ſæculo, ex primis fuit, qui Summam de Peccatis elucubrarit; Angelicus Doctor paulò ante ipſum, & fortè ſub idem tempus, principia ad hoc ipſum pertinentia parte ſecunda ſuæ Summæ tradiderat. Quòd ſi plerique Neotericorum ab iis non receſſiſſent, nec eſſet cur de ipſorum Doctrina in præſentia conquereremur. At verò poſtquam plurimi liberum ſibi campum vendicarunt, de humanis actibus, & peccatis diſſerendi, etiam inconſultis Sacris Eccleſiæ Canonibus, eò devenit moralium opinionum relaxatio, ut nullum penè ex criminibus cenſeatur, quin aliquo indulgenti colore calamiſtretur.

Tantum igitur abeſt, ut iſtorum Summiſtarum ſtudium ad Chriſtianæ Philoſophiæ conſecutionem quadantenus dirigat, quòd potiùs ex libera ipſos legendi facultate non modicum ſequatur detrimentum. Quare niſi utiles à noxiis ſedulò ſecernantur, periculum imminet ſpiritualis ruinæ. Fructus longè major ex Ciceronis de Officiis lectione hauritur, quàm nonnullorum Summiſtarum, qui præter amplam doctrinarum, ac ratiociniorum farraginem, nil aliud ſæpe ſæpius ingerunt, præterquàm moleſtas legentibus tricas, unde difficillimè ſubinde emergunt. Numquid rectior norma, ad probabilitatem attinens, in iſtorum Summis apparet, ea Tullii præfati, in qua præſcribit, ab iis univerſim nobis cavendum eſſe, quæ licita nec ne ſint quodammodo dubitamus?
Cic. lib. 1. De Off. num. 30. *Quo circa bene præcipiunt* (inquit) *qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ſit, an iniquum. ÆQUITAS enim lucet ipſa per ſe; dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.* Quot Conſcientiæ Caſus, inquit egregius quidam Scholiaſtes, ex iſto ſolùm principio liquidò reſolverentur, ſi Chriſtifideles hoc ipſum feriò vellent animadvertere!

Quia tamen Monaſticam vitam degentes, rarò ad animarum curam deſtinantur, non videtur ideò neceſſe, quòd multum temporis impen-

impendant in Moralium ſcientia; & ſi eorum aliquot, vel occaſione loci, vel ex charitatis munere (quibus deficientibus neutiquam debent conſcientiarum regimen ſponte ſuſcipere) animarum ſaluti proſpicere cogantur, quæ ſcienda, & agenda ſunt, condiſcere poterunt abſque tot Summiſtarum lectionibus. Moralis doctrina in Scripturis Sacris ſedulò perpenſa, & ad praxim redacta, Pædagogus S. Clementis Alexandrini, Liber Moralium Divi Gregorii, Rituales libri ſingularum Eccleſiarum, ſecunda ſecundæ Divi Thomæ, *Les Inſtructions de Saint Charles aux Confeſſeurs*, Sancti Caroli Inſtructiones ad Confeſſarios; *La Morale de Grenoble*, Doctrina Moralis Gratianopolitana; *Les Conferences de Luçon, & de la Rochelle*, Collationes Lucionenſium, & Rupellenſium; Et ſi Summiſtarum aliquot velis adjicere, Cardinalis Toletus, Navarrus, Summa Chriſtiana Boni Merbeſii, & Reſolutiones Domini de Sainte-Beuve, ſatis ſuperque eſſe poterunt, una cum rectæ Rationis, & Conſcientiæ dictamine, ad principia opportunè tradenda pro deciſione caſuum conſcientiæ, tum in jure naturali, tum poſitivo; cujus vel ampliorem notitiam comparare quis poterit, Summorum Pontificum Decretales conſulendo, & præclarum aliquem iſtarum Scholiaſten, putà Fagnanum.

Quantùm verò ad dubia, quæ poſſunt inſurgere quoad vota, & alia Monaſticæ Profeſſionis onera, Divus Thomas ſecunda ſecundæ de iis luculenter agit. Utiliter etiam ſuper hoc legi poterit Homo Religioſus Patris Saint-jure; Item Obligationes Monaſticæ vitæ, & potiſſimùm liber S. Bernardi de Præcepto, ac diſpenſatione. Verùm ex oppoſito tantumdem cavendum eſt ab iis, quæ Joannes Caramuel, præ aliis, licentiùs quàm par eſt, ſcripſit in ſuis Commentariis in Divi Benedicti Regulam, quæ unà cum aliis ejuſdem Doctrinæ Moralis Operibus utinam nuſquam fuiſſent luci tradita. Cæterùm opus non eſt plura ſuper hac materia recenſere, fuſiùs namque, quàm par ſit, protraheretur ſermo.

Silentio tamen hìc præterire nolo, quæ ſcribit pius, ac ſapiens Epiſcopus Vincienſis, Epiſtola ad Fideles, poſita in fronte Verſionis novi Teſtamenti, ab ipſo concinnatæ; ubi vehementer optat, ſacrum iſtum librum ipſis eſſe loco Doctoris, ad rectam morum, vitæque rationem: „ Les Chretiens durant pluſieurs ſiecles (dit'il) n' en „ ont point eu d'autre; & ils s'en trouvojent ſi bien, que leurs mo- „ eurs eſtojent auſſy ſaintes que leur créance, & que ſans parler „ leur innocence eſtoit une preuve de la verité de leur Religion. „ Maintenant, ajoute ce prelat, les Chretiens ſont infiniment eloi- „ gnez de cette puretè. Les Docteurs ſe ſont multipliez, & la bonne „ doctrine s'eſt preſque toute perdue. On a traité exactement des „ cas de conſcience: On a tout examinè, on a tout reglè; & l'on a „ perdu la conſcience. Chriſtifideles (inquit) plurium ſæculorum decurſu, haud alium præ manibus habuerunt, adeòque ex ipſo proficiebant, ut non minor in moribus ſanctitas, quàm in fide eluceret, itaut merè ſilendo, ipſorum Innocentia veræ Religionis, quam profiteban-

tur, eſſet argumentum. Nunc verò (ſubdit is Præſul) ab ejuſmodi candore Chriſtifideles quàm longiſſimè diſtant; crevit Doctorum numerus, ac Doctrinarum ſoliditas tota propemodùm evanuit; Exactè quidem de conſcientiæ caſibus tractatum eſt, ſingula ritè perpenſa, cuncta accuratè diſpoſita; verumtamen conſcientia ipſa interiit. Cætera funeſtæ hujus adumbrationis, & alia, quæ idem Præſul in Operis dicti Proœmio refert, omitto; Ex hoc quippè ſolo veſtigio facile erit reliqua conjicere. Exoptandum modò eſſet, ut ab Eccleſia ſanciretur (quemadmodùm jam propoſuerat in tertio Concilio Cabilonenſi ad Ararim) earum regularum præſcriptio, quas Confeſſarii omninò ſervare debeant in Pœnitentiæ foro. Nonnulli Epiſcoporum in propriis Diœceſibus id jam feliciter præſtitére; ſed vereor ne irritus ſit iſte labor, cùm ſingulæ harum Regularum jugiter pleno Confeſſariorum dimittantur arbitrio. Quocirca nihil aliud ſupereſt, niſi pios, prudentes, cordatoſque Eccleſiæ Miniſtros à Deo expoſcere, qui ſanctis inſtitutionibus, ſolidiſque doctrinis conſcientias regere valeant, ac moderari citrà quemlibet relaxationis, aut rigoris exceſſum; hic, inquam, unicus videtur ſupereſſe modus ad iſtum ſaltem, præ tot aliis, defectum eliminandum.

CAPUT VIII.

De Studio Sacræ, ac Profanæ Hiſtoriæ.

Licèt ad hiſtoricum ſtudium plus plerumque curioſitas, quàm fructus, aut neceſſitas ulla compellat, fateri nihilominus oportet, longè majus in nos emolumentum inde derivari, quàm univerſim credatur, oppidòque urgentes rationes eſſe eidem vacandi, & præſertim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ. Indubitatum enim eſt, abſque ſtudii hujus adminiculo nec Patrum exactam notitiam obtentum iri,
Lib. 11. Cap. 2. nec Theologicæ ſcientiæ, cùm inde non modò quæ ad mores dirigendos conferunt, innumeris ab exemplis addiſcantur, ſed etiam cuncta noſtræ Religionis dogmata. Quapropter Melchior Canus appoſitè ſcribit, Theologorum quemquam Hiſtoriæ ignarum, Theologi nomine immeritò gloriari; & Dominus Godeau inquit, quamplures ſcholaſticorum, ob Hiſtoriarum inſcitiam, in maximos lapſos fuiſſe errores, adeò ut adverſarii, homines malæ fidei, & inſipientes eos nominarint; Et Dominus Valeſius in Euſebium aſſerit, ſcientiam iſtam ad convincendos Hæreticos apprimè conducere. Et ſanè ex inclyto quodam hujus ſæculi viro, qui jam à crepundiis hæretica fuerat labe infectus, excepi, quòd præter Eccleſiaſticæ lectionem Hiſtoriæ, nihil magis ad proprii cognitionem erroris, quo detinebatur, ipſum induxerit.

Inſuper his omnibus addi poteſt, ex hiſtoriarum peritia peculiarem quamdam prudentiæ rationem in nobis gigni, ob diuturnam nempè

præte-

præteritorum eventuum meditationem; ibi enim tamquam in ſpeculo humanarum rerum viciſſitudines, atque Providentiæ Divinæ prodigia contemplamur, tam in univerſi regimine, quàm Eccleſiæ ſuæ moderatione.

Quòd ſi eos minimè improbamus, qui ſacræ vacant Veteris Teſtamenti Hiſtoriæ, qui fieri poteſt, ut Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudium vituperetur, cùm noſtri Mater Eccleſia, immaculati Agni Sponſa, haud minorem cultum, ac venerationem mereatur, ac olim priſca Synagoga?

Quamquàm autem nulli dubitatio ſuboriri debet, quòd hujuſcemodi ſtudium præſertim Eccleſiaſticos deceat, fortè tamen ambigendi locus erit, num Monachis congruat; Videtur namque id ſtudii genus multam ſpiritui diſſipationem ingerere, intimæ illi cordis compunctioni infenſam, quæ ſanctæ Monachorum converſationi eſt apprimè conſentanea. Præterea cùm ea, quæ in ſæculo paſſim eveniunt, curioſè inveſtigare ipſis inhibeatur, tantumdem etiam omnem præteritorum ideam arcere coguntur.

Inficias tamen ire nemo poteſt, exactarum jam in antiquitate rerum lectionem, aut recitationem, lectionis animum minùs movere, altera, quæ identidem in ſæculo contingentia recenſet, cùm ſiquidem iſthæc humanos affectus proximiùs excitent, faciliùs etiam ad eorum auditum alliciuntur homines; Et quia inter colloquendum ſæpiſſimè refricantur, vix ideò fieri poteſt, quin & nos de ipſis ſermocinemur. Non ſic autem de jam tranſactis; de quibus cùm nihil ampliùs hominum interſit, quilibet etiam ſuper ipſis animorum motus planè ſedantur, unde pauci ea inveſtigare ſatagunt, vel invicem de ipſis confabulari; Hinc eſt, ut iſtorum lectione modicum delectetur animus, cùm unus, aut alter vix nobis obviet, qui cum de iis liceat habere ſermonem.

Verùm iſtas prætermittendo rationes, afferere poſſumus, abs re non eſſe ſi in ſæculo contingentium, ad Eccleſiam ſpectantium, lectioni Monachi quandoque vacaverint; enimverò quid incongrui poſſet eis objici, ſi quæ de Miſſionariis, exempli gratia, ſcribuntur, ad ſtatum, vel Catholicæ Religionis incrementum pertinentia, ex America, vel Sinarum Imperio perlegerent, aut piorum aliquot hominum adhuc viventium geſta intelligerent? Ex iſtis autem, vel ferè ſimilibus, vetus Hiſtoria Eccleſiaſtica coaleſcit; quorum proinde lectio nuſquam Aſcetis interdicta conſpicitur. Quinimmò univerſa literatorum Reſpublica fateri cogitur, quidquid apud nos extat hiſtoriarum ſuperſtes, Monachorum dumtaxat ſolertiæ deberi, qui eas Antiquariorum manu ſæpenumerò repararunt. Præterea multas ipſorum aliquot proprio Marte concinnarunt, ut ſunt: Beda Venerabilis, Marianus Scotus, Aimonius, Lambertus Scaſnaburgenſis, Hugo Flavinius, Sigebertus, Ordericus Vitalis, Ingulphus Abbas, Willhelmus Malmesburienſis, Matthæus Pariſienſis, Matthæus Weſtmonaſterienſis, aliique plurimi; Unde quidam ex Angliæ Proteſtan-

Marsham. in Propyl. Monaſtici Anglic.

tibus, de re literaria optimè meritus, ſcripſit, quòd abſque Antiquariorum Monachorum ope, Anglici Regni Hiſtoria nos planè lateret.

Quoddam ſuper hoc ſcitu digniſſimum legimus in Proœmio Hiſtoriæ Matthæi Pariſienſis, in Anglia videlicet iſtam jamdudum invaluiſſe conſuetudinem, ut in quolibet noſtri Ordinis regio Cœnobio idoneus, ſolerſque deputaretur Monachus, cui onus ſpeciatim incumberet ſingillatim deſcribere quidquid in toto Regno notabiliter eveniret, quæ mox exarata monimenta, poſt ſingulorum Regum obitum, ad totius Ordinis generalia Comitia deferebantur, ut in corpus hiſtoricum redigerentur, in Tabulariorum pluteis ad poſterum eruditionem diligentiſſimè aſſervandum. Hinc eſt Anglici Regni Hiſtoriam alia quacumque longè puriorem, ac luculentiorem eſſe, quamquàm vix ulla reverà legitur, quin impenſo Monachorum labori, ac ſtudio tribuatur; quibus proinde jus illud immeritò contenderetur, quod in Hiſtoriis componendis jamdiu ſibi compararunt.

Nobis ſaltèm concedendum eſt, Monachis valdè congruere, ut Monaſtici inſtituti, quod profitentur, Hiſtoriam non ignorent. Quinimmò Hiſtoricum ſtudium hinc primò exordiri tenentur. Quocirca ipſis verſanda erit Monaſtica Orientis Hiſtoria, Gallico nuper idiomate excuſa, unà cum Epitomen noſtri Ordinis Hiſtoriæ ex uno & eodem Authore, cujus duo prima tantùm Volumina apud nos extant; & utinam quæ deſunt ex eodem haberemus, quandoquidem gloriari aliquando liceret, non modo Epitomen, verùm exactam totius Ordinis Benedictini hiſtoriam poſſidere. Legi pariter poterunt vitæ Patrum per Roſweidum, & earumdem verſio per Dominum de Andeliaco; Item Franciſcus Bivarius de Monachatu Orientis; ſed in primis Caſſianus, & univerſim omnes Hiſtoriæ Monaſticæ Scriptores, tam Orientis, quàm Occidentis, unà cum Sanctorum Monachorum Vita. Ad rem quoque erit peculiares Monaſteriorum Hiſtorias inviſere, ut Antiquitates Fuldenſes Chriſtofori Broweri, Hiſtoriam Einſidlenſem Sacræ Eremi Virginis Deiparæ apud Helvetios ex Chriſtophoro Hartmanno, & illam Beatæ Virginis Sveſſionum, per Domnum Michaelem Germanum.

Ubi primùm quis legerit, & Monaſticam perceperit Hiſtoriam, ſi ad Eccleſiaſticam ulteriùs inclinet, huic etiam operam navare poterit; & ſi mediocrem tantùm ipſius nòtitiam habere cupiat, Epitomen aliquam ipſi ſat erit evolvere, cujuſmodi ſunt eæ Henrici Spondani, Domini Godeau, Philippi Brietii Jeſuitæ, Horatii Turſellini, & aliorum. Rationarium Dionyſii Petavii eſt quidem opus egregium, ſed nimis compendiarium pro iis, qui Hiſtoriam brevi cupiunt per Epitomen expendere; arduum enim eſt tot memoriæ geſta mandare, quæ interruptè, & ſine ulla circumſtantiarum colligatione notantur. Verumtamen opus iſtud ab iis potiſſimùm lectitari præſtat, qui Eccleſiaſticam Hiſtoriam examuſſim callere peroptant, vel paſſim reminiſci volunt, quæ jam didicere.

Pluri-

Plurimum item juvabit Acta primorum Martyrum perluſtrare, ſelecta per Domnum Theodericum Ruinart; Item Acta Sanctorum Martyrum Africanorum Victoris Vitenſis, Vitam S. Pachomii apud Joannem Bollandum, die 14. Maji, & alteram S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, quæ ſunt celebres, ac Monaſticis eruditionibus refertæ, Vitas Sanctorum quatuor Doctorum Eccleſiæ Grecæ, & illam S. Ambroſii ex Hermantio; Vitam Theodoſii Magni per Dominum Flechierium, illam Divi Bernardi per Magiſtrum, & S. Ludovici per Dominum de la Chaize, vel, ut aliis libet, per Abbatem de Cauciaco. Denique illam Domini Bartholomæi de Martyribus &c. unà cum Bibliotheca Eccleſiaſtica Domini Du-Pin.

Si quis verò hiſtoriam exactiùs ſcire voluerit, operæpretium ipſi erit Authographos legere, putà Joſephum de Antiquitate Judaica, ejuſque Hiſtoriam de Bello Judaico, & reſponſum ad Appionem; Hiſtoriam Euſebii, illas Socratis Sozomeni, Theodoreti, Theodori Lectoris, Philoſtorgi, Evagrii, Theophanis, Photii Bibliothecam Byzantinam prò Authoribus Græcis, quibus adjiciendus eſt Zonara, cujus lectio ſolùm poſt Conſtantinum Magnum eſt utilis. Pro Latinis verò Gregorium Turonenſem, Bedam Venerabilem, S. Bertini Annales, S. Eulogium Cordubenſem, Flodoardum, Luithprandum Diaconum Papienſem, Dithmarum Lambertum Scafnaburgenſem, Hugonem Abbatem Flaviniacenſem; Sigebertum, Ordericum Vitalem, Willhelmum Malmesburienſem, Matthæum Pariſienſem, Annales Cæſaris Baronii, & continuationem Odorici Rainaldi ad finem Concilii Tridentini, quos ſaltem ante, vel poſt Authographorum lectiones fas erit evolvere. Abs re item non erit nonnulla capita inviſere, quæ in Spicilegio reperiuntur, & in Miſcellaneis Stephani Baluzii, & in Monumentis Græcis Cotelerii, unà cum Bibliotheca nova Labbeana.

Plura impræſentiarum Hiſtoricorum Opera recenſere nolo, ne videar legentibus negotium faceſſere; Qui tamen Authores dictos, vel in totum, vel ex parte, perlegerint, ex ipſis poterunt cæteros Scriptores conjicere, juxta ſingulorum diſpoſitionem, aut propenſionem legendos. Sed de his redibit ſermo cap. 20. hujus ſecundæ partis. Gerardus Voſſius de ſingulis hiſce Authoribus, tum Græcis, tum Latinis, duobus in tomis diſſeruit. His porrò ſuperaddenda ſunt S. Hieronymi, & Gennadii Opera, cæterorumque Authorum, qui de Eccleſiaſticis Scriptoribus pertractarunt, à Miræo in unum corpus collecta. Multùm prætereà confert brevem catalogum inviſere à P. Philippo Labbe editum de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Conſulenda inſuper ſunt Critica varia in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ut Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cum Notis Philippi præfati, Critica Pat. Antonii Pagi, Monimenta Domini Tillemontii, ſatis egregia, & caſtigata; Opera Pat Henrici Noris, nunc Purpuratorum albo conſcripti, præter Bibliothecam Domini Du-Pin, de qua ſupra. Poſtremò neceſſum erit Critica quædam proprio ſi-

Digitized by Google

bi Marte componere, collatione priùs facta præfatorum Authorum cum Authographis.

Quia verò Eccleſiaſtica Hiſtoria adeò profanæ miſcetur, ut impoſſibile ſit alterutram tantùm perfectè aſſequi; optimum ideò erit ideam quamdam gerere etiam Romanæ Hiſtoriæ, Cæſarum, & Hiſtoriæ generalis illius Regionis, aut Regni, in quo quis reſidet, ut puta Galliarum pro Gallis, Hiſpaniarum pro Hiſpanis, & ſic de ſingulis. Ob iſtam rationem Cæſar Baronius utramque Hiſtoriam ſimul commiſcuit, ſicut etiam P. Carolus Cointius in ſuis Annalibus Galliæ. Hoc idem præſtat mira ſolertia Tillemontius in ſuis Monumentis. Legendæ quoque erunt peculiares Hiſtoriæ aliarum Regionum, ſive Civiles fuerint, ſive Eccleſiaſticæ, præcipuè verò ab ipſarum incolis, ut Annales Trevirenſes Chriſtophori Broweri, Hiſtoria Metropoleos Remenſis Guillelmi Marlot Benedictini, ea Lutetiæ Pariſiorum per Patrem Du-Bois Congregat. Orat. & tandem illa Archiepiſcoporum Rhotomagenſium per Patrem Franciſcum Pommeraye, noſtræ Congregat. Monachum.

Hiſtoria Romana, eſt omni alia opportunior ad exactam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ intelligentiam. In duas autem partes diſtribui poteſt, Unam nempè ab Urbe condita uſque ad Adventum Chriſti Domini; Alteram verò ab ipſius Incarnatione, uſque ad exitium Orientalis Imperii. Prima pars complectens ſeptem Regum, ac Reipublicæ regimina, non videtur adeò utilis, ac ſecunda, ab Auguſto nempè exordiens, uſque ad XV ſæculum, cùm ſcilicet à Turcis expugnata fuit Conſtantinopolis. Secunda hæc pars complectitur etiam Imperium Occidentis, à Carolo Magno fundatum, cujus etiamnum veſtigia vigent in Germania.

Prout ad priorem partem attinet, legere ſat erit Titum Livium Patavinum, Vitas Romuli, & Numæ, aliorumque apud Plutarchum, quibus inſuper addi poſſunt Hiſtoriæ Polybii, Appiani, unà cum exiguo Floro, qui eſt velut Epitome iſtius primæ partis.

Quoad ſecundam verò, continuatio Titi Livii, Tacitus, Dion, Svetonius, Scriptores quoque Hiſtoriæ Auguſtæ, & Vitæ Galbæ, ac Othonis apud Plutarchum, hanc Hiſtoriæ partem ad Conſtantinum uſque conducent. Nicolaus Coeffetau hos omnes Authores in unam ſeriem redegit, quod opus oblectamento, & fructui legentibus erit. Monimenta Domini Tillemontii ſat ſuperque erunt ad illuſtrandas præfatorum Cæſarum Vitas. Quoad reliqua verò legi poteſt Carolus Sigonius de Regno Italiæ, & de Imperio Occidentali.

Prætereo hic priſcam Græcorum Hiſtoriam, quam cernere eſt apud Herodotum, Xenophontem, Thucydidem, Polybium, Plutarchum, cujus lectio impensè juvat, & alios Atticos Authores. Qui tamen Hiſtoriæ nomen dare noluerit, vel Hiſtoriographi haud fungi munere, iſtorum aliquot, inter quos Plutarchum, tantummodò ſeliget. Hujuſmodi autem ſtudium ad ſæculares potiùs ſpectare videtur, qui multam eruditionum copiam cogere, atque oſtentare ſatagunt; Prout verò Monachorum intereſt, ut etiam alias innui, parciùs ipſi incumbent;

bent; horum quippe præcipuus, vel fortè unicus ſcopus in eo ſiſtere debet, ut propriæ cognitioni præſertim vacent, utpotè utiliori, immò difficiliori, quàm ſit notitia cujuſquam mundanæ hiſtoriæ.

Hinc tamen non infertur, quominùs ex præfatis Hiſtoriis nonnihil ſaltem proficere poſſimus, ut ex Univerſali Hiſtoria Meldenſis Epiſcopi conjici poteſt. Prætereà S. Auguſtinus teſtatur profanam Hiſtoriam ad Sacræ Scripturæ intelligentiam valdè conferre. Studium tamen adeò amplum ritè abſolvere paucis datur; Prætereà aliæ plures lectiones Monachis ſunt utiliores, iis in primis, qui hæc in eruditionum genera parúm ferunt. Præter Univerſalem Hiſtoriam paulò ante dictam, haud pigeat libellum quemdam Anonymum legere; *De l'Uſage de l'Hiſtoire*, de uſu Hiſtoriæ, Pariſiis excuſum apud Barbinum, & Michalletum, anno 1671. ex hoc enim libello percipi facilè poteſt, nil fortè tam vanum, quàm Hiſtoricum ſtudium, ſi nimirum modus attendatur, quo à quibuſdam perperam colitur; ex oppoſito verò nil magis proficuum fore, ſi, ut par eſt, abſolvatur. Parum eſt memoriæ conglobatam Annorum, Sæculorum, Olympiadum, & Epocharum ſeriem, vel etiam innumera penè nomina Cæſarum, Regum, Conciliorum, & Hæreſum, plureſque tragicos eventus, vel heroica geſta condiſcere. Modus iſte prædicta memoriter tantùm diſcendi, ne quidem ipſum Hiſtoricæ ſcientiæ nomen meretur: Quandoquidem ſcire, eſt res per proprias cauſas, & principia cognoſcere; ſic igitur Hiſtoriam ſcire eſt, homines, materiam ipſi ſuppeditantes, dignoſcere, ac de ipſorum qualitatibus prudenter judicare, Hiſtoriæ ſtudere eſt, cauſas, opiniones, pathemata, hoc eſt varios animi affectus, in hominibus accuratè perpendere, adeò ut inde comperiamus omnem rationem, ac modum, quo mens hallucinatur, & humanum cor allicitur; verbo demùm eſt, ſemetipſum ex aliorum cognitione metiri, eſt in Sanctis, virtuteque præditis viris propriam ſui ædificationem nanciſci, & in flagitioſis, ac impiis quidquid vitandum eſt, ſedulò cavere; tandem eſt intelligere, quomodò, ſive in proſperis, ſive in adverſis, noſmet gerere debeamus.

His autem deficientibus diſpoſitionibus, jam non amplius ex Hiſtoria verus fructus emerget, videlicet exacta morum regula per prudentes reflexiones, ac ponderationes habenda, ſed vana dumtaxat, futiliſve ſcientia, per quam plura ſcire hallucinabimur, reverà prorſus indocti; unde ex cauſa, alioquin utili, ac honeſta, noxius, ac pravus prodibit effectus.

I. Primum, quod nobis ſummoperè animadvertendum occurrit in hiſtorico ſtudio, eſt, ut eos omnes arceamus defectus, in quos facilè labimur, falſum nimirum pro vero ſupponendo, & peculiaribus Hiſtoricorum affectionibus obſecundando. In primis itaque operæ pretium eſt Authoris dotes ſedulò perpendere, num ſcilicet idoneus ſit, ac ſincerus; quo fine, & ratione ad ſcribendum ductus fuerit; an aliquorum factioni, aut ſectæ adhæreat, quemadmodùm

Euſebius Arianis, Socrates, ac Sozomenus Novatianis, Theodoretus Theodoro Mopſueſteno; Id namque præcavendo, mirum ſubinde non erit, cur præfati Authores Sectariis ſuis paſſim arrideant. Præterea Græcis, minùs præ aliis, fidendum eſt; res etenim in ſui favorem ſoliti ſunt vehementer amplificare.

II. Inveſtigandum eſt, num Author, quem legimus Synchronus ſit; num Authographus, an Amanuenſis; num prudens in ſuis aſſertis, an conjecturis tantùm nitatur; enimverò, ſi cætera ſint paria, pluris facienda eſt coævi Authoris opinio, quàm alterius recentioris. Dixi: Si cætera ſint paria; Quoniam fieri poteſt, immò quandoque contingit, Authorem haud Synchronon Hiſtoriam exaraſſe, ſeriis monumentis, rationibuſque innixum, omnique maturitate, ac prudentia, ſecùs verò contemporaneum, utpotè negligentem, rerumque inſcium, vel etiam aſſentatione aliqua, aut proprii commodi fœnore illectum.

III. Hinc propterea fit, nimis fidendum non eſſe iis, quæ Scriptores, vel abſolutè, vel fermè contemporanei, ſilentio prætereunt; contingere ſiquidem poteſt, ut Author vel tempore remotior, ſelecta quædam monumenta perlegerit, in ſecretis, cùm res evenerunt, habita, ſeu etiam Scriptores Synchronos, vel fermè Synchronos inviſerit, quorum opera mox evanuerint. At verò ſi nec ejuſmodi Scriptores, nec qui unius, aut duplicis ſæculi intervallo ſucceſſére, geſtum aliquod innuant, & nihiloſeciùs Hiſtoriographus aliquis recentior, nullo teſtimonio, vel authoritate innixus, id temerè aſſeverare audet, tunc quidem parvipendendus erit; ſecùs enim ampla ad errandum, alioſque fallendum via ſterneretur.

IV. Summoperè cavendum eſt, ne à nonnullis ſuppoſititiis noſtræ hujus tempeſtatis Authoribus decipiamur, ut ſunt Chronica falſi Maximi, Lucii Dexteri, ac Luithprandi; Item hiſtoriæ, Manethonis, Beroſi, & aliæ ab Annio Viterbienſi, & id genus aliis impoſtoribus confictæ, tametſi contemporaneorum Authorum nomina referant. Rurſus prudenter nonnunquam ſuſpicandum eſt etiam circa quaſdam alias hiſtoriæ partes, quarum ſuppoſitio non omninò firma perhibetur, ut ſunt Acta S. Andreæ Apoſtoli, Achajæ Presbyterorum nomine inſcripta, de quibus tamen Scriptorum neminem ante octavum ſæculum meminiſſe novimus; quamquàm videtur Miſſalis Gothici Author ante annos mille ea legiſſe, ac notaſſe feſta die ejuſdem Sancti Apoſtoli.

V. Nec vice verſa abſolute proſcribendus erit Author aliquis, ob aliquot hallucinationis, vel paſſionis defectus, ob ſtyli aſperitatem, aut alium quemdam naturalem defectum, dummodò ſincerus, ſolerſque in reliquis comperiatur. Argumento ſint Joſephus Hebræus, qui egregios inter Hiſtoricos annumeratur, quamvis identidem calamo inter ſcribendum ceſpitarit; & Herodotus Halicarnaſſæus, Ciceroni parens hiſtoriæ, & Hiſtoricorum Princeps; licèt in ipſo quàm plurima commentitia inveniri teſtetur; ſuper quibus tamen aliqui

De Leg. num. 12.

eum

eum excuſare conantur. *Quid obſtat* (appoſitè ad rem hanc inquit Photius) *quæ utiliora videntur ſeligere, cæteris poſthabitis?* ſed multo non inficior, ad hoc præſtandum opus erit ingenio. *Bibl. c.97.*

VI. Nec deſpectui eſſe debent Antiquarii, Hiſtoriarum contractores, ac compilatores; ſiquidem fieri poteſt, quemadmodùm recentior quidam optimè notat, quòd vel tranſcriptor in melius emendarit, vel Autographum magis illuſtraverit, vel quòd Compilator Authores ſuper quibuſdam diſcrepantes conciliaverit, vel quòd Epitome faciliùs, quàm Autographum percipiatur, vel demùm quòd illa hujus loco ſubſtituatur, eò quòd vel iſtud ex toto evanuerit, vel ex parte truncatum, aut mutilatum. Hincque eſt, magni fieri Juſtinum Epitomatorem hiſtoriæ, quæ periit, Trogi Pompeii, & Epitomen Dionis Caſſii, à Xiphilino contextam. *Lecture des Peres pag. 99.*

VII. Inter relationum varietates cavendum eſt, ne ab uberiori dumtaxat Authorum copia alliciamur, ſed potiùs ab ipſorum merito, & gravitate; multoties enim fit, ut gravis, periti, atque ſinceri Scriptoris Authoritas, centum aliorum minoris fidei teſtimonio ſit præferenda, qui nimirum abſque matura diſcuſſione, ac diligenti rerum examine, ſibi ſuccedentes ſubſcripſere. Iſthæc tamen Authorum diſcretio ex matura ponderatione, ingeniique præſtantia pendet, ſeu etiam ex optimo Lectorum genio, ac diſpoſitione, qui diuturna fuerint exercitatione, atque experimento probati, vel ex prudentis, verſatique viri conſortio inſtructi.

VIII. Hac etiam de cauſa non multùm inſiſtendum eſt innumeris propemodùm narratiunculis, quas plerique recentiorum congerunt in deſcriptione Vitæ quorumdam Sanctorum; ut præ aliis cernere eſt in quodam Legendario Gallico idiomate nuper excuſo, cujus lectio interdicenda eſſet, ut Lectores, eorum, quæ veritatis aſſequendæ gratia rejicienda ſunt, ſubinde oblviſci cogantur. Cæterùm hæc innuens vehementer angor, dolenterque addere compellor, longè accuratiores fuiſſe profanos Authores, Ethnicorum Vitas deſcribendo, ac fuerint quàmplures Chriſtifidelium in deſcriptione Vitæ Sanctorum; quod etiam aſſeverare nullatenus metuit Melchior Canus de Diogene Laertio Philoſophorum Vitas recenſente, & de Svetonio ſuper duodecim Cæſarum geſtis. Et ſanè mirum eſt, quantùm credulitate, vulgique ſimplicitate nonnulli abutantur, aliquot Sanctorum Acta enarrare præſumentes, quorum corpora ex Cryptis fuere extracta, ut S. Ovidii, & S. Feliciſſimi; Quì enim fieri poteſt, ut horum Sanctorum geſta à prudenti Lectore approbentur, cùm vel propria ipſorum nomina uſque modò nos lateant? *Lib. 11. cap. 6.*

IX. Verùm, ut fuſiùs infrà notabo, cautiſſimè in his cenſuris procedendum eſt; & quidem ſatius eſt ſapienter dubitare, quàm nimis credulè falſò aliquando ſubſcribere, quare ambo hæc extrema æquè vitanda ſunt: Nil ſcilicet, niſi difficillimè, credere, vel ſingulis facillimè aſſentiri. Porrò Lectoris prudentia non modò in eo ſita eſſe debet, ut meliores commendet, ac ſequatur Authores, verùm etiam

ut in

ut in inferioribus utiliora diſcernat, & quidquid ad illuſtrandam veritatem confert, in ipſis rimetur.

X. Huc ſpectat ea triplex regula, quam Melchior Canus ibidem tradit, ad dijudicandum inter Hiſtoricos, ut meliores à cæteris ſecernantur. Prima eſt ingenua quædam probitas, ex qua illi impotentes fiunt ad homines aliquando ſpontè fallendum, aſſeverando nempe, geſtum aliquod ſe vidiſſe, vel intellexiſſe, quod tamen ipſoſmet penitùs lateat; Quæ virtus non modò in Sanctis, piiſque viris emicat, verùm, & in cunctis, qui cordis ſinceritatem, animique candorem jugiter profiteri gloriantur, ex quibus plerique etiam Ethnicorum fuere, tametſi ingentium vitiorum labe infecti. Inter hos ſpeciatim poſſunt recenſeri Julius Cæſar, Svetonius, Cornelius Tacitus &c.

Secunda regula, quam affert Melchior Canus, eſt: Authores potiori lumine, ingeniique maturitate præditos, iis omnibus præferendos eſſe, in quibus dotes iſtæ deſiderantur; enimverò ſatis non eſt nolle mentiri, ſed inſuper maturo judicio, & exacta prudentia opus eſt, ut adamuſſim res ponderentur, ne unquam decipi contingat; neve levi corde credatur, aut calamo exaretur quidquid ſemel exauditum in mentem venerit, quemadmodùm, ut ſentit Melchior Canus, ſe geſſerunt Vincentius Bellovacenſis, & S. Antoninus.

Tertia regula eſt: Iis Authoribus fidem omninò habendam eſſe, quos Eccleſia ſemel approbarit; E'contrario verò eos omnes proſcribendos, quos ipſa rejecerit, cujuſmodi ſunt, qui referuntur in Decreto Concilii Romani ſub Gelaſio Papa, quorum aliquot tamquàm hæretici abſolutè inhibentur; alii verò ut apocryphi declarantur, utpote quavis legitima authoritate deſtituti, tametſi eorumdem lectio non fuerit ibi expreſsè interdicta. Penès verò illos, qui Romano in Indice notantur cùm plerumque contingat, Authores talibus cenſuris affici ob quædam dumtaxat loca peculiaria, hinc tamen non licet ſemper arguere, quæ in ipſis ſuperſunt nullius ponderis, vel authoritatis eſſe. En tibi, Lector, quantum opus eſt ad Authores diſcernendos. Perlegi interim poterunt quartum, & quintum Caput Methodi Joannis Bodini prò notitia Hiſtorica, quantumvis à falſis, & commentitiis Annii Viterbienſis Hiſtoriis ſe fuiſſe deceptum non animadverterit.

XI. Ponderationes, quæ in Hiſtorico ſtudio fieri poſſunt, ad regulandos mòres potiſſimùm dirigi debent, non verò ad politiam aſſequendam; Politicæ namque reflexiones Aſcetas neutiquam decent, quibus omnem Mundi ſagacitatem declinare prorſus congruit, ſpiritumque compunctionis Chriſtiana ſimplicitate affectum habere, à quolibet artificio, occultáve ſimulatione remotum. Quinimmò in ſæculo ipſo vix ullum repereris, cui competat ex hiſtorica lectione politicas haſce reflexiones eruere; præterquamquod enim ad ipſas pauci ſunt apti, nihil ferè emolumenti afferunt Univerſo. Quocirca gravis, prudenſque quidam Author ad rem iſtam perquàm appoſitè ſcribit: „ Il n' eſt point de plus viſible effect de la mauvaiſe

„ gloi-

„ gloire, dont la plus part des hommes ſont entachez, que la vanité „ qu'ils tirent de la connoiſſance de la Politique. Cette diſpoſition d'e- „ ſprit eſt ſans doute la plus grande marque de l'admiration ſecrete qu'ils „ ont pour les grandeurs, & l'un des plus grands obſtacles à la veritable „ ſageſſe. Cette ſotte vanité de s'occuper de grandes affaires, perver- „ tit l'eſprit, & ruine de fond en comble le bon ſens. Et cela ne „ vient que de ce qu'on veut connoitre les Princes, avant que de connoi- „ tre les hommes: au lieu qu'il faut connoitre les hommes, pour pouvoir „ connoitre les Princes, puiſque, les Princes ſont des hommes. Mais „ cet ordre ſi naturel eſt renverſé par le plaiſir ridicule, que la plu part „ des gens ſe ſont, d'avoir l'imagination remplie l'objets magni- „ ques, & la memoire pleine de grands noms. Ils ſe conſolent ainſi de „ leur baſſeſſe effective par ces importantes chimeres, & charmez de „ l'armonie imaginaire qu'ils ſe repreſentent dans les Etats, ils ne- „ gligent de travailler à établir dans eux memes l'harmonie effective, „ qui y pourroit etre entre leur eſprit & la verité, entre leurs deſirs „ & leur pouvoir. Semblables à ce Tailleur celebre dans l'hiſtoire, „ qui ayant composé un livre de reglements, & le preſentant à „ Henry IV. donna ſujet à ce Roy de dire: Qu'on luy allat cher- „ cher le Chancelier pour prendre la meſure d'un habit. Mox ſen- „ timent eſt donc, ajoute cet Auteur, que les Grands ne doivent „ etre conſiderez par le commun du Monde dans l'hiſtoire, que com- „ me dans la tragedie, c'eſt à dire que par les choſes, qui leur ſont „ communes avec la Vulgaire, leurs paſſions, leurs foibleſſes, & „ leurs erreurs, & non pas par les choſes, qui leur ſont propres, & „ particulieres en qualité de Grands, qui ſont celles que la Poli- „ tique conſidere. „ Nullus effectus ex cenodoxia, qua ſinguli ferè hominum afficiuntur, liquidiùs demonſtratur emergere, ac ſit vanitas illa, quam ex Politicis ſpeculationibus hauriunt. Hæc animi affectio proculdubio ſignum potiſſimum eſt internæ illius admirationis, qua erga Dominantes continuè occupantur, & unum ex præcipuis veræ prudentiæ offendiculis. Stulta hæc cura, Magnatum nempe diſcutiendi negotia, ſpiritum diſſipat, veramque animi tranquillitatem funditùs evertit. Id autem aliunde non oritur, quàm ex eo, quòd Principes ſtudiosè ponderare cupimus, antequam hominum naturam percalleamus, cùm alioquin hanc priùs noſſe oporteat, ut Principes ipſi ritè dignoſcantur; hi namque verè ſunt homines. Verùm naturalis hic ordo prorſus invertitur ex inani gloria, ac voluptatis blandimento, quo plurimi alliciuntur ad jugiter imaginandum heroica geſta, ac magnifica objecta, necnon ſplendida potentum nomina memorandum. Propriam interim, & reverà miſeram conditionem parvipendentes, ſemetipſos tantummodò recreant ingentes haſce chimæras contemplando; & imaginaria quadam Regnorum, ac Dominantium harmonia, quam ſibi fingunt, prorſus allecti, alteram in ſemetipſis ſtabilire negligunt, quæ inter propium ſpiritum,

Uſage de l'Hiſtoire pag. 210.

& ve-

& veritatem, inter propria votà, & vires poſſet intercedere; Sartori illi in Hiſtoria celebri, per omnia ſimiles, qui cum librum quemdam politicarum Inſtructionum, à ſe elucubratum, Henrico IV. obtuliſſet, huic anſam ſic dicendi præbuit: Advocate Cancellarium, ut veſtem mihi concinnet. Meum igitur conſilium eſt, ſubdit is Author, modò planè conſimili Magnates, Mundique Dynaſtas à vulgo in Hiſtoriis conſiderandos eſſe, quemadmodum in Tragœdia evenit, hoc eſt, ea duntaxat in ipſis animadvertendo, quæ vulgaribus communia videntur, ut putà eorum affectiones, animi pathemata, imbecillitates, ac lapſus; neutiquam verò quæ ipſos ut Principes ſpeciatim ſpectant, ut Politici meditantur.

XII. Hìc idem Author notat, vitia, quæ in hiſtoriis referuntur, præcipuè ponderanda eſſe, ſecus enim cùm minimus honeſtarum actionum in ipſis numerus comperiatur, in longum nimis abiret lectio nihil utiliter meditando, niſi fortè ſe ipſum fallere ſpontè quis vellet perperàm inter acta dijudicando, & inter egregia enumerando quæcumque ut talia ſibi repentè objiciuntur. Verùm peſſima hæc foret Hiſtoriarum praxis, ſi nimirum laudibus ea jugiter extollantur, nullo prorſus digna encomio.

Verumenimverò, utcumque idonei ſimus ad illas ſecernendas actiones, quæ reverà laudabiles, honeſtæque videntur, ſatius adhuc eſt, ut innuit idem Author, iis præſertim inſiſtere, quæ pravæ dignoſcuntur. Hoc autem veluti paradoxum de repente putabitur; nihilominùs ſi ſeriò perpendatur, nulla erit admirandi ratio. Si ſinguli hominum ſincero amore veritatem ipſam proſequerentur, nec unquam rationi ſubeſſe renuerent; ſi ut par eſt veram perciperent animi celſitudinem, ſola utique Heroum exempla ſufficerent, ut cuncti honeſtatem amplecterentur; virtutis ſiquidem nativa ſpecioſitas univerſos ad bonum potis eſſet alicere; quia tamen paucorum eſt illa magnanimitas, cùm penè omnes philautiæ vitio quodammodò laborent; ideò non modico pudore afficiuntur propria reminiſcendo flagitia, veritates ipſas, undè manifeſtè redarguuntur, odio acerrimo habentes. Quare prædictorum exemplorum meditatio nihil ferè ipſis prodeſt, ea quippe reſpiciunt, Quintiliano teſte, veluti ſuorum criminum exprobrationem. Nihil itaque utilius ipſis eſſe poterit, quàm propriorum vitiorum ſpeciem in Hiſtoria, tamquam in ſpeculo contemplari: cùm etenim nequeant ea intimè deteſtari quin priùs cognoverint, nec adeò expediti ſint ut eadem liberè in ſe ipſis meditentur quantùm opus eſt, ut inde quodammodò proficere valeant, arduum ipſis non erit in aliis ſaltem ipſa paulatim detegere, animoque verſare, abſque ullo vanitatis offendiculo. *Lib. 3. c. 3.*

At verò de honeſtis, probiſque viris loquendo, cùm jam virtutis amore, in cordis penetralibus cælato, afficiantur, egregia pariter exempla eorum animis mirè imprimuntur. Mala autem eoſdem potiùs excitant ad majorem vitiorum deteſtationem

XIII. Præſens Caput abſolvo, id poſtremò monendo, quod primum

mum eſſe debet, nimirum ut Hiſtoriæ nomen dare cupientes exactam Epitomen ſeligant, ſeriòque lectitent, priuſquàm Autographorum lectioni ſe dedant. Quia tamen hujuſmodi compendia, ſi continue, & non interrupte legantur, aliquam memoriæ confuſionem poſſunt ingerere; abs re ideò non erit ſæculum integrum, vel dimidium ſaltem ſingillatim inviſere, moxque apud hiſtoricos in fonte fusè revolvere; poſtea multum juvabit eamdem Epitomen iteratò perlegere, vel potiùs aliam, quam Lector proprio ſibi ſtudio juxta ſæculorum ſeriem concinnarit, ut inde faciliùs, quæ lecta ſunt memoriæ inſideant. Quocirca ad rem valde erit Epitomen verſare Henrici Spondani, vel etiam Philippi Brietii, Rationarium Dionyſii Petavii, Chronologiam Philippi Labbè, ſex parvis contentam voluminibus, quæ oppidò conferet ad errata Chronologica corrigenda præfati Spondani, unà cum parva methodo Chronologica ejuſdem Authoris; quibus addi poſſunt Opera P. Antonii Pagi, nec non faſtus Conſulares ab Henrico Noris emendati. Cæterùm ſupervacaneum reor in præſentia repetere Chronologicas, ac Geographicas Tabulas ob oculos paſſim habendas eſſe.

Operæ etiam pretium eſt perfunctoriè ſaltem præcipuas Epochas inviſere, quales ſunt Julianæ Periodi, Creationis Mundi, Univerſalis Cataclyſmi, Olympiadum, Urbis conditæ, Belli Pharſalici, Incarnationis Chriſti, Eræ Hiſpanicæ, Converſionis Conſtantini, Primi Concilii Nicæni, Fundationis Monarchiæ Gallicæ, Egyræ Arabicæ, & Mahometanorum, Imperii Occidentis à Carolo Magno fundati. Hæ autem omnes Epochæ, unà cum Indictionibus, & id genus alia, ex præfatis Authoribus colligi poterunt.

C A P U T IX.

De Studio Philoſophiæ.

PHiloſophia, inſpecta rei veritate, plurimùm juvat, nedum ad ratiocinandum, ac judicandum, verùm & ad rerum univerſales ideas habendas, moralem facultatem addiſcendam, & ad fidem orthodoxam propugnandam adversùs paralogiſmos, & captioſas ſophiſtarum argumentationes.

Socrates, ut refert Tullius, univerſam Philoſophiam ad Ethicam redegerat. Plato verò eamdem in tres partes diſtribuit, quarum prima Ethicam, ſecunda Phyſicam, Tertia Dialecticam complectebatur; quibus Ariſtoteles Metaphyſicam adjecit. *Cic. Acad. Lib. 1.*

Ethicæ ſtudium à Doctoribus Catholicis multùm contractum eſt, ultimum hominis finem nobis explicitè determinando, & media ad ipſum conducentia; quæ tamen dubia Ethnicis Philoſophis multam diſceptandi materiam ſuppeditarunt, ut colligere eſt ex ſcriptis Ciceronis, aliorumque Philoſophorum.

Quoad reliquas Philoſophiæ partes, eædem fermè ut olim eſſe viden-

Digitized by Google

dentur; & poſt tot, ac tantas diſceptationes, quid reverà ſentiendum ſit adhuc ignoratur; ſed quod pejus eſt; meliorem ſciendi frugem ex humanis controverſiis fruſtra ſperamus; quandoquidem materiæ plerumque implicantur, potiùs quàm illuſtrentur. Æternùm diſputabitur, ſemperque iidem remanebunt homines, videlicet dubii, atque incerti in ſuis deciſionibus, quandocumque fides ipſos non dirigat, vel intenſus veritatis amor, unde ab omni ambage demùm liberentur. Enimverò qui fieri poſſit, ut veritatem ipſam intimè diligentes, totoque corde affectantes, tandem non aſſequantur? Quòd ſi ad penetrandam rerum quidditatem ſors aliquando non arriſerit, ſaltem, cùm oportuerit, de ipſis æquè poterit dubitari; quod alteri ſapientiæ gradui adſcribitur.

Ne autem quempiam inopinatò falli contingat, ubi primùm quis ſtuduerit quælibet a ſe arcere offendicula, natalium, educationis, ſenſuum, affectionum animi, & communis hominum exiſtimationis, ſatagendum erit, ne unquam quidquam aſſeveranter affirmare audeat, quin priùs claram ejus, diſtinctamque notitiam habuerit; *Cic. lib. 1. de Natur. Deor. n. 1.* enimverò, ut inquit Cicero; Quid tam temerarium, tamque indignum Sapientis gravitate, atque conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut quod NON SATIS EXPLORATE' PERCEPTUM SIT ET COGNITUM, ſine ulla dubitatione defendere? Inſuper nec multùm præſumptæ propriorum conceptuum evidentiæ fidendum erit, ne quod probabile tantùm eſt, pro certo, ac evidenti credatur. Quapropter ad Deum preces identidem erunt effundendæ, ut omnis vitetur error, præſertim in Moralibus, in quibus erratum quodlibet maximum poteſt detrimentum parere. Declinare quoque oportebit ſcopulum illum in Metaphyſicis, ubi nimiùm ſpeculando, ac ſubtilia meditando, ſæpè ſæpius inſiſtitur; facillimum quippe eſt à recto veritatis tramite deflectere, inferendo ex principio aliquo nonnullas illationes, quarum falſitas eò plus nocet, quò inconcuſſis principiis innixæ putantur; immò ad eum certitudinis gradum, qua gaudent fidei Divinæ Myſteria, interdum etiam evehuntur. Quare neceſſum omninò erit illationibus hujuſmodi minimè fidere; cavendumque, ne cujuſvis ſyſtematis inventum, quod nobis perfectum, egregieque in mente expreſſum videtur, novas quaſdam nobis ipſis opiniones ingerat, ex ſimplici potiùs imaginatione ortas, quam ex diſtincto, ac perſpicuo intelligendi lumine.

Inſuper præciſiones, aut abſtractiones mentales in metaphyſicis paſſim occurrentes, quæque ad enucleandam veritatem plurimùm juvant, aliquoties multis ſcatent erroribus, cùm nempè rebus, diverſorum reſpectuum, ſeu ut ajunt, connotatorum, multitudo gratis appingitur, ſub quibus una, eademque res conſideratur. Innumera pene de iis exempla in vulgari Philoſophìa habentur; cæterùm nihil majori detrimento eſſe convincitur immoderata ſubtilitate, *Seneca Epiſt. 88.* tantum enim abeſt, quod veritatem illuſtret, ut ipſam ſæpiſſime potiùs obumbret. *Infeſta veritati.*

Illa

Illa difficultas, quæ ex uno capite viget ad veritatem ipſam in rebus phyſicis detegendam, & ex altero nonnullorum contemptus, vel modica earum veritatum exiſtimatio, quas nullatenùs pertingunt, unum inquam ambo hæc efficiunt, ut ipſi arbitrentur, liberum unicuique eſſe quamlibet opinionem, ſive ſententiam in Philoſophicis ſequi, vel ſingulas problematicè propugnare, proindeque ſupervacaneum eſſe ſibi caput, ut ajunt, obtundere in indaganda ulteriùs veritate, ubi penitùs latet. At quis ignoret, hanc eorum eſſe meram excuſationem, ad ignaviam, propriamque deſidiam occultandam, exilemque affectum, quo veritatem ipſam proſequuntur? Non minùs Deus naturalium veritatum eſt Author, ac ſit ſupernaturalium; propterea in cunctis ipſius veritas inquirenda eſt, & ubique colenda. Quòd ſi eam aſſequi aliquoties non detur, ipſam ſaltem inveſtigaſſe, vel propè eamdem acceſſiſſe, laudi erit, & gloriæ; & inſuper de rebus ipſis aliqua ſaltem ratione quis poterit prudenter dubitare, nec unquam propriam temerè, ut ajunt, præcipitare ſententiam. Phyſicæ quoque veritates veſtigandæ ſunt, ut veluti gradus ſint nobis ad ſupernaturales, ad quas impoſſibile eſt, tam otio, quàm errore, aut falſitate pertingere. Mens noſtra naturæ ſpeculando arcana, cætera; quæ vilia, & infima ſunt, paulatim diſcit habere deſpectui; ſe namque ad eorum contemplationem, quæ ſunt materiæ expertia, ſæpiſſimè gaudet attollere, mirumque in modum oblectatur recondita, & excelſa ſcrutari; nec laborem iſtum infructuoſum autumat, tum præſertim, cùm licèt veritatem ipſam non aſſequatur, veroſimilia ſaltem ſibi videtur attingere.

„ C'eſt donc une grande entrepriſe, comme dit ſort judicieuſement „ Mr. l'Abbé Fleury, que de former un veritable Philoſophe, c'eſt „ à dire un homme qui raiſonne droit, qui ſoit toujours engarde con„ tre toutes les cauſes de l'erreur, qui ne ſuive dans toute la condui„ te de ſa vie que la raiſon, & la vertu; & qui cherche à connoi„ ſtre en chaque choſe la verité, & à remonter juſqu'aux premieres „ cauſes. Il eſt uray que la plupart des hommes en ſerojent capables, „ s'ils uſojent bien de lur raiſon, & ſi ne précipitojent point leur ju„ gement: mais il eſt bien rare d'en trouver qui ayent une volontè aſ„ ſez droite, & une aſſez grande ſorce pour reſiſter à leurs paſſions. Operoſum igitur negotium eſt (ut ingenioſiſſimè inquit Dominus Abbas Florius) verum, exactumque Philoſophum perficere, hominem nempè rectè ratiocinantem, qui adversùm quaslibet errorum cauſas jugiter ſit circumſpectus, qui toto vitæ ſuæ tempore rationi, ac virtuti tantùm indulgeat, qui veritatem in cunctis inquirere ſatagat, & prima principia indemonſtrabilia attingere. Non inficior, quamplures hominum hæc omnia conſequi poſſe, ſi rectus in ipſis vigeat rationis uſus, nec propriam velint ſententiam præcipitare: Verumenimverò arduum eſt aliquot invenire, qui recto ſenſu, ac voluntate polleant, propriaſque paſſiones, quantum ſat eſt, reprimere valeant. Et hoc potiſſimum eſt, quod intenſa animi applicatione in Philoſophico ſtudio

Etud. 147.

dio diſcendum videtur, Chriſtiana pietate ſuffulto; unde poſtmodùm dignoſcimus, quouſque humanum queat ingenium pertingere, rimando veritatem, ſive per terminorum notionem, quam nobis præbet, ſive per rectas rerum ideas, quas nobis ingerit, vel definiendo, vel ex magis noto, ac certo, aliud minùs notum, aut incertum inferendo.

Studium hoc, quod in cultu rationis impenditur, eſt in ordine naturali inter cætera præcipuum, & primum Dialecticæ, ac Metaphyſicæ munus; illa enim veras noſtrarum cognitionum ideas impertit; iſta verò potiora luminis naturalis principia ſcrutatur, quibus humana omnia ratiocinia, ac cognitiones quæcumque innituntur.

I.

Eò igitur Dialectica collimat, ut veri, falſi, affirmationis, negationis, erroris, ac dubii ideas intrà nos gignat, in primis autem ideam illationis, & conſequentiæ, unde ſcilicet percipimus determinatam aliquam enunciationem ex alia ſequi, item ſyllogiſmum aliquem aptè concludere, ſecùs verò alium. Hæ inquam ſunt ideæ, quibus humana ratio, & intellectus potiſſimè perficiuntur; cæterùm quælibet alia Logicalis Controverſia hùc non ſpectans ſupprimenda eſt, veluti futilis, & ſupervacua; enimverò quid prodeſt exempl. gr. tam acriter, ac fusè de Logicæ objecto diſputare? Quid inquirere utrum illud ſint entia rationis, an termini, qui ſunt eorum notæ, ac ſigna, eò quod de utriſque Dialectica pertractet? Rursùs quid ſcire juvat, num univerſale fiat dependenter ab intellectu? an Univerſale genericum, vel ſaltem ſpecificum reverà exiſtat ex natura rei? An dentur entia rationis? An Deus ſit ſub prædicamento ſubſtantiæ? Pluraque id genus alia, in æquivocis plerumque tantùm conſiſtentia, quæve paucis verbis poſſent expendi, æquivoca explanando, vel rationes hinc inde merè innuendo, ſi fortè id etiam fieri expediat. Satius quidem foret aliquod aliud argumentum reſolvendo proponere, ſi diſcipulorum ingenia Lectores, ac Magiſtri exercere velint, ut putà num aliquid verè ſciri queat; ſuper quo quatuor Academicorum libros Tullius compoſuit; Quamquàm, ut verum fatear, multæ quoque in tota iſta controverſia æquivocationes, ac tergiverſationes interſunt.

Hinc propterea ſummoperè cavendum eſt, ne Dialectica, per ſe alioquin utilis, in rixandi, aut cavillandi artem vertatur, de quavis nimirùm re gratis diſceptando, neve ad juge diſſidium redigatur inanium tantummodò Quæſtionum: *Ibi cavenda eſt libido rixandi* (inquit Auguſtinus) *& puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium, id quippe neminem decet, multò minùs verò Clauſtrales, quorum ſpiritus cujuslibet, ſit oportet altercationis expers.* Divus etiam Gregorius Nazianzenus, prout ad rem iſtam, perquàm appoſitè ſcribit, vel in minimis iſtiuſmodi abuſus vitandos eſſe, ne hinc ad ulteriores majoris momenti extendantur.

Lib. 2. Doct. Chriſt. Cap. 32.

Orat. 26.

Egre-

Digitized by Google

Egregiam hujuſce moderationis methodum legimus apud S. Maximum Abbatem, illum inquam accerrimum Monothelitarum hoſtem; qui cùm Philoſophiæ operam daret, ut ex ejus vita colligimus, quidquid, vel minimùm, ſophiſma, paralogiſmum, aut cavillationem ſaperet penitùs abdicabat, ſolida dumtaxat approbando ratiocinia, aut deciſiones, quæ ſibi perpetuum ſtabiles videbantur, certò namque autumabat, tantum abeſſe, quod ex rixandi libidine fructus aliquis ſcientiis obveniat, ut potiùs inde vileſcant, & depraventur.

Solertiſſimè ergo id abſurdi cavendum eſt, quinimmò ſatius eſſet Monachorum ſpiritui ſuadere, ut potiùs vinci ſe permittant, veritati cedendo, quàm diſſidia, contentioneſve conſulere; ut ex Concilio quodam monemur: *Neque ad contentioſas altercationes declinetis; ſed ſciatis bene potiùs vinci, quàm culpabiliter vincere.* Et ſanè hæc eſt vera victoria: pro veritate vinci. *Concil. VIII. c. En. act. 3.*

Logica igitur utendum eſt, ut ad rectè concipiendum, ac ratiocinandum exerceamur, & ut inde dirigatur noſter intellectus, non verò ut vitietur, quemadmodùm iis evenire ſolet, qui ſolùm ipſi dant operam, ut in forma ſyllogiſtica in publicis diſputationibus arguere diſcant, hoc eſt: Ad contendendum. In Opere de Arte cogitandi legi poteſt modus, quo ad praxim Dialectica redigenda eſt; & in primis operæ pretium eſt duos ſermones, inibi ſub initium occurrentes, ponderare, in quibus ideæ, ac normæ exprimuntur, ad rectè judicandum omninò ſervandæ.

II.

Metaphyſica Logicæ multùm eſt affinis, & prima rerum principia pro ſuo objecto reſpicit, quæ omnium ferè noſtrarum cognitionum ſunt baſes, & fundamenta; Sunt autem hæc ſimplices rerum ideæ in abſtracto ſumptarum, ut entis, ſubſtantiæ, accidentis, cognitionis, voluntatis, extenſionis, numeri, motus, corporis, ſubſiſtentiæ, ſuppoſiti, perſonæ, modi, figuræ, coloris, ſaporis, aliarumque qualitatum, & univerſim eorum omnium, de quibus in ſua Metaphyſica agit Petrus Cailly, quam univerſalis ſcientiæ nomine indigitat, in qua proponit, & ad unguem explanat prima noſtrarum cognitionum principia, juxta veterum, & Neotericorum Philoſophandi rationem.

III.

In Ethica pariter quamplura alicujus momenti pertractari poſſunt, ut idea boni, ultimi noſtri finis, & beatitudinis; non tamen multum hìc immorando ut plerumque fit in illa Diſputatione: An eſſentia beatitudinis formalis in aliquo actu intellectus, an voluntatis præcisè conſiſtat. Agitur in Ethica potiſſimùm de Actibus humanis, eorumque principiis, ſive internis, ſive externis, de conſcientia, de variis

animi affectionibus, earumque cauſis, & affectibus; de pravis, rectiſque habitibus; de virtutibus, & vitiis; de legibus in genere; de univerſalibus principiis, ex quibus potiſſimùm prudentia dependet, moreſque componuntur, ut putà: Num ſemper honeſtum utili, ac delectabili præponendum ſit; num bonum aliquod adſit, cujuſvis honeſtatis expers: Super quibus Tullius de Officiis elegantiſſimè ſcripſit; Num in dubio, quòd actio aliqua prava ſit, nihiloſeciùs operari poſſimus; de quo pariter ex eodem Authore, quantumvis Ethnico, deciſionem adeò egregiam ſupra retulimus; Item quòd nefas ſit propriam conſcientiam regere ex opinione tantùm communi; Quòd vita privata ſit publica, & civili longè præſtantior; pluraque id genus alia, quæ eò tendunt, ut falſas quaſdam ſuppoſitiones noſtras prorſus eliminent, contra regulas, & dictamen veræ ſcientiæ moralis militantes.

Ad rem quoque valde erit regulas quaſdam explanare, ad ſocialem vitam conducentes, quæ in ſodalitatibus præcipuè viget, ut putà: Quòd urbanitas, alternaque honeſtas ſunt apprimè neceſſariæ; quòd hæc ex quodam velut interioris modeſtiæ promptuario maneat oportet. Item quænam ſint media ad pacis conſervationem in ſodalitiis opportuniora; Qua ratione ſuſpiciones corrigendæ ſint, & amandanda temeraria judicia, illi prorſus adverſa. Fortè dixeris hæc omnia minutatim, & exactè ex ſpiritualibus libris colligi poſſe, proindeque non expedire, tot Philoſophicos Tractatus; verùm iſthæc quantum ſat eſt pertractari aliquando vix poſſunt, utpotè magni momenti, innumeriſque propemodùm tranſgreſſionibus obnoxia. Cæterùm hìc propriè de ipſis agitur, nec ampli de eiſdem Tractatus exiguntur. Perlegi poſſunt ſuper hoc peculiares aliquot Tractatus à pleriſque recentioribus editi, præcipuè verò ab Authore ſpeciminum Moralium. Proculdubio locuples ex moralium doctrinarum lectione fructus obveniet, ſi primùm noſmetipſos noſſe didicerimus, non utique pro ea tantum conditione, ad quam miſerè ex peccato devenimus, verùm & pro altera naturæ, cui nempè ex propria conſtitutione noſtra ſuccumbimus, juxta naturalem ſcilicet legem, qua corporis, ſpirituſque noſtri operationes poſcunt exerceri.

IV.

Phyſica huic etiam ſcientiæ oppidò confert; quandoquidem præcipuum ejus munus in particularium corporum contemplatione conſiſtit, principiorum naturam perſcrutando, ex quibus coaleſcunt. Legi poteſt ſuper hoc methodus Domini Cailly. Abs re non eſſet, meo videri exiguum etiam de Sphœra Tractatum ſuperaddere. Quantum verò ad Phyſica experimenta, nonnulla ex principalibus ſupponi poterunt, quæ jam ad praxim redacta leguntur. Verumtamen non expedit, ut Monachi hiſce curioſitatum generibus operam navent, tametſi nonnihil utilitatis inde obvenire queat.

Hanc

Hanc etiam ob cauſam incongruum ipſis credimus Matheſeos ſtudium; inde namque nimium diſtrahuntur, & libera ſpiritui facultas ſurripitur ad iis vacandum, quæ ſunt Monaſticæ converſationi magis conſentanea. Rurſus tempus, quod ſupereſt poſt exercitia communia, ſatis non eſſet ad explendam cupiditatem majora ſemper indagandi in iſtis ſcientiarum generibus. Præterea multa ad hoc inſtrumenta, non ſine magnis ſumptibus requiruntur; pluraque fieri debent experimenta, queis valdè diſtorquentur animi, ac proinde Aſcetas minimè decent. Proderit nihilominùs Geometriæ ſaltèm principia haud ignorare, & quatuor præcipuas Arithmeticæ Regulas; reliqua verò Monachis non videntur adeò neceſſaria.

Tantumdem de arte Medicinæ aſſerendum eſt, Clericis, Monachiſve jamdudum per Sacros Canones interdicta; exempla verò, quæ in oppoſitum afferri queunt, praxim in contrarium evincere nequeunt, utpotè Religioſæ honeſtati derogantem. Quòd ſi nonnulla anatomicè ſciantur circa humani corporis ſtructuram, id neutiquam improbo, dummodò tamen honeſti fines non tranſcendantur; poterit enim talis notitia proprii individui intelligentiæ, corporiſve ſaluti inſervire, quæ nobis curæ quodammodo eſſe debet. At verò diſtinctam morborum ſeriem, necnon varia pharmacorum genera peculiari indagine velle diſcutere, hoc, inquam, Monachis nullatenus dicimus permittendum. Quòd ſi contingat, aliquos jam pridem in ſæculo id genus ſcientias didiciſſe, poterunt, Superiore annuente, iis tantùm uti in *67. 68.* ſodalium ægrotantium commodo, ſecùs verò aliorum. Legantur ſuper hoc duæ Epiſtolæ Divi Bernardi ad Monachos S. Germeri.

Cum dixi; ſalutem corporis quadantenus nobis curæ eſſe debere, id non eſt intelligendum de ſolicitis, ac importunis quibuſdam præcautionibus, fœminis potius, aut delicatis viris familiaribus, qui ex jugi ægrotandi metu ferè ſemper ægrotant; nec minimum, ac leviſſimum capitis, ſtomachique dolorem ſuſtinere queunt, quin continuò pharmaca ſumant. Sermo igitur tantùm eſt de prudenti quadam animadverſione, quæ ſingulis ineſſe debet, ut proprium corpus in eo ſyſtemate naturali conſervent, quod ſibi ad aliquid rectè operandum expedit. Hujuſmodi autem vivendi ratio potiùs in ſobrietate quadam & moderata corporis exercitatione ſiſtere debet, quàm in frequenti medicinalium uſu, aut nimis ſcrupuloſo ciborum delectu. Munditties inſuper ad hoc plurimum confert; quæ prætereà humano conſortio, ac ſodalitati eſt neceſſaria, ne aliis tædio ſimus.

Plura hìc ſingillatim non recenſebo circa Philoſophiæ partes; & fortè prout ad Monachos attinet, fuſiùs quàm par eſt de iis hucuſque diſſerui; ſimplex namque terminorum explanatio, ac notio, unà cum rectè ratiocinandi regulis, Monachis videtur abunde ſufficere, ut ad Scripturarum intelligentiam, Patrum lectionem, verbo demùm, ad Theologicum ſtudium, dirigantur, ac diſponantur; Sunt enim iſta præcipuus ſcopus, ad quem ſcientia Philoſophica

collimare debet; hincque videtur dubitandi locus, an propterea Divus Joannes Damaſcenus per brevem dumtaxat Categoriarum tractatum, ad Philoſophicas materias ſpectantem, nobis reliquerit; quemadmodùm etiam ex Divo Anſelmo ſuper iiſdem per pauca habemus, ut eſt de Veritate Tractatus merè Philoſophicus; item Tractatus de libero arbitrio; & alius ab ipſo inſcriptus: De Grammatico. Ejus tamen liber Guenilon i nuncupatus, in quo de Dei eſſentia agit, potiùs ad metaphyſicam ſpectat; hicque eſt liber ille, in quo ideam propugnat, quàm de Dei eſſentia in Proſologio jam tradiderat, nimirum: Deum verè nihil aliud eſſe, niſi id, quo majus cogitari non poteſt. Plerique tamen Antiquorum, ac recentiorum Philoſophorum ideam hanc non omninò receperunt; Verùm alteri ſimilis eſt, à Divo Auguſtino traditæ, dicente: *Cùm ille unus cogitatur Deorum Deus, ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius, atque ſublimius ulla cogitatio conetur attingere:* Sed non eſt hic locus de iſtis materiis pertractandi. Ex hactenus tamen dictis liquet, priſcos Monachos Philoſophiæ nomen dediſſe. Quocirca prædicta duo exempla, & illud Bedæ Venerabilis ad hoc evincendum ſint ſatis, ne tempus fruſtra conteratur alia recenſendo.

Auguſt. Lib. de Doctr. Chriſt. Cap. 7.

V.

Difficultas tamen major in præſentia urget circa modum, ac peculiares perſonas, hoc eſt: num ſinguli indiſcriminatim Monachi præfato ſtudio operam navare debeant, quo ſuppoſito; num publicis concertationibus id ſit neceſſariò agendum, an privatim.

Nulla videtur neceſſitas cogere, ut ſinguli indiſcriminatim Monachi ſtudio Philoſophiæ occupentur; in primis enim qui ipſi in ſæculo, ante Monaſtici ſuſceptionem habitus, operam ſedulò dediſſent, utique poſſent ab illo fieri immunes; Enimverò ſi vel modica ejuſdem cognitio adhuc in ipſis vigeat, ſat ſuperque generatim loquendo eſſe poterit ad terminorum Philoſophicorum, ac Theologicorum captum, necnon ad ſcientificè, & juxta regulas ratiocinandum, quin denuò id ſtudii cogantur repetere, quod tardiùs, aut citiùs à memoria delebitur; & hæc eſt etiam ratio, propter quam Grammaticæ Regulæ illis iteratò diſcendæ neutiquam proponuntur, qui ubi ſemel eas didicerint, ipſarum ideam retinent quantum exigitur ad librorum intelligentiam, item ad loquendum, aut aliqua componendum, quantumvis Joannis Deſpauterii carmina minimè reminiſcantur. Tempus itaque fruſtra conteritur, ſi adoleſcentes ad contentiones Philoſophicas iteratò compellantur, quandocumque mediocrem, ſufficientemque earum ideam retinent; cùm in aliis majoris momenti dies, utiliùſque conſumere valeant. Ipſis ergo ſat eſſet unius ſaltem, vel alterius menſis ſpatium concedere, ut potiores Quæſtiones, ad Theologiam dirigentes, mente revolverent. Si enim ad ſcientias adipiſcendas fuerint naturaliter apti, modicum id tempus ad hoc

præſtan-

præſtandum ipſis ſufficiet; Si verò ingenio hebetes, ac prorſus inepti iniquum profectò erit improbo eos labori occupare, adeò ut tempus incaſſum terant, quod in alia, ſive ſpiritus, ſive corporis, exercitatione, utiliùs poſſet inſumi, juxta propriam ſingulorum habitudinem, ac diſpoſitionem.

Secundò: Qui numquam Philoſophiæ ſtuduére, eidem occupari poſſent, ut inde eorum ad reliquas ſcientias aptitudo, ac diſpoſitio arguatur; Quandoquidem ſi aliqui ante id experimenti ab illa removeantur, triſtari, & conqueri jure poterunt quandocumque ad eamdem ſibi viam penitùs intercludi cognoſcerent. Si qui verò diſpenſari ſuaptè ſpontè efflagitent, ne diſtractioni, aut aliis ſuccumbant incommodis, quæ id genus ſtudia parere plerumque conſpicimus, prudentis Superioris erit excuſationes haſce matura ponderatione diſcutere; ſiquidem ex volatili, ac juvenili fervore poſſent fortaſſis erumpere, & temporis progreſſu dolorem, ac tædium ipſis ingerere. Ubi tamen reverà compertum fuerit, Monachos quoſdam, vel eſſe ad hæc ſcientiarum genera prorſus ineptos, vel diſpenſatione, aut privilegiis abuti, quæ ad earum aſſecutionem Religio permittit, æquum tum omninò erit, ut hi penitus excludantur; illi verò ad faciliora applicentur, ut putà ad ſtudium Catechiſmi Romani, aut Tridentini Concilii, quod propterea ipſis erit explanandum, vel etiam brevis cujuſdam Theologiæ, ſeu potiùs ſummæ Theologicæ, quarumvis altercationum, aut ſcholaſticarum methodorum expertis, ex qua brevi queant intelligere quidquid neceſſariò attinet ad Catholicæ Religionis ſubſtantiam, ac myſteriorum fidei, & præſertim in materia Sacramentorum. Id autem unius, vel alterius anni ſpatio planè abſolvi poterit, plures ejuſdem Claſſis aggregando ſub Didaſcali cujuſdam diſciplina, qui Authores aliquot typis editos ipſis identidem explicet, vel etiam ſcripta oppidò brevia tradat, juxta illam ferè Theologiæ methodum, quam nuper excudit Pater Amelot Congregat. Orat. vel Dominus Abely in ſua Medulla Theologica.

CAPUT X.

Continuatio ejuſdem Argumenti; ubi etiam de Scriptis, ac Diſputationibus Philoſophicis diſſeritur.

EX hactenus dictis ſupponitur, publicas Philoſophiæ concertationes Monachis ſub Didaſcali diſciplina permitti; Et reverà qui fieri poſſit, ut ſine Magiſtro eam adamuſſim comparent, cum rarò contingat, ſatis ingenii, & acuminis tyronibus ineſſe ad eam privatim addiſcendam? Quòd ſi ex iis fuerint, qui Philoſophicum curſum in ſæculo jam abſolverint, iſtis, ut ſupra innui, ſatis fiet, ſi paululum temporis concedatur, ævo Philoſophiæ principia per-

perfunctoriè ſaltem valeant mente revolvere, priuſquàm ad Theologicum ſtudium occupentur. At verò de aliis loquendo, operæ pretium erit, eos continuato quodam curſu Philoſophiam edoceri, ſub ſapientis, virtuteque præditi viri diſciplina, qui nimirum non minùs virtutes, morumque honeſtatem ſtudeat ipſorum animis ingerere, quàm menti præſatam ſcientiam infigere.

Publicarum autem concertationum nomine eas intelligo, quæ in Cœnobiis habentur ſub diſciplina Præceptorum Monaſticam vitam degentium; neutiquam verò, quæ in Univerſitatibus celebrantur, aut in publicis Collegiis, quò nullatenus decet Monachos mitti; Tentationibus quippe fermè invincibilibus exponerentur contra propriam ipſorum vocationem; Et vix fieri poſſet, quin, juvenes, debileſve cùm ſint (quemadmodùm ſæpenumerò eliguntur) in virtutum exercitatione, in eas quamprimùm animi relaxationes relaberentur, quas mundo obrenunciantes vitare optarunt. Hinc meritò Concilia, Summique Pontifices id genus ſtudia olim cautiſſimè Regularibus conceſſere, ut parte 1. cap. 12. diximus. Et licèt aliàs publica Gymnaſia intrà Cœnobiorum noſtrorum Clauſtra florerent; attamen in ea, quæ interiora dicebantur, Monachiſve erant peculiariter addicta, nullatenus ſæculares intromittebantur, ſed tantùm in exteriora.

His ita ſuppoſitis, inquirendum reſtat, quinam aptior modus foret Philoſophiam, ac Theologiam Ordinis noſtri Alumnos edocendi; num ſcilicet expediat ſcripta ipſis dictare, & quænam iſthæc eſſe debeant; num oporteat eos publicis concertationibus exerceri juxta ordinariam Univerſitatum methodum; denique num opus ſit peculiarem alicujus Authoris Doctrinam, ac opiniones ipſis univerſim tradere, an potiùs Magiſtris liberum eſſe debeat quamcumque pro libito ſeligere; Meum interim ſuper his conſilium exponam, prudentiorum, ſapientiorumque judicio deciſionem relinquens.

I.

Primò igitur ad rem omninò eſſe videtur, quòd Magiſtri Tyronibus ſub ſui diſciplina exiſtentibus, ſcripta dictent; Enimverò ex uno capite cuilibet Magiſtro negotium plerumque faceſſit Authoris Scholaſtici, prælo editi, opiniones merè explanare; difficillimum quippe eſt, quòd in cunctis ſibi planè arrideat. Præterea parum exiſtimationis, authoritatiſve apud Diſcipulos ſuos ſibi conciliat, niſi ſcripta proprio marte compoſita iiſdem tradiderit. Inſuper Magiſter, qui ſapiens, prudenſque habetur, multò meliùs propria ſcripta diſcipulorum ſuorum ingenio poterit conformare, quàm ſi librum impreſſum iiſdem explicet. Rurſus ſcientiæ vividiùs diſcipulorum mentibus imprimuntur ſi calamo exarentur, quàm ſi purè legantur; poſſunt ſiquidem animo diſtrahi dum à Magiſtro explicatur Author; at verò dum ſcribunt, ſe cohibunt, ſe cohibere nequeunt, quin aliqua ratione

atten-

attentos eidem ſe præbeant Auditores, præſertim verò cùm Scriptorum explanatio continuò ſubſequitur. Tandem univerſalis omnium ferè temporum praxis jugiter extitit, ſcripta adoleſcentibus tradere; unde etiam palàm vincitur modus hic longè utilior. Fortè tamen ſatius foret, ſi Magiſter primum Philoſophiæ curſum edocendo, Authorem aliquem typis excuſum explanaret, ſeu etiam alterius profeſſoris ſcripta dictaret; in ſequenti dein ſcripta à ſe concinnata exponeret; Vix enim fieri poteſt, ut curſum Philoſophicum ex ſe ſtatim elucubrare queat.

Quantum ad ſcripta pertinet, non abnuo eorum brevitati valdè conſulendum, ne improbo labore juvenes inutiliter defatigentur in exarandis prolixis Tractatibus. Proficuum item fore mihi videtur, ſi curſu durante, ſelecti cujuſdam, ſive Gallici, ſive Latini Authoris lectio intermiſceatur, ad materias illuſtrandas, quæ actu agitantur. Sic exemp. grat. in Philoſophis nonnulla legi poſſent de arte cogitandi, ut ſunt duo illi ſermones, in quibus ideæ, ac normæ traduntur judicium rectè formandi; Item breves Tractatus Domini de Cordemoy, & nonnulla Domini Rohault in Philoſophiam Carteſianam, ut hujus ſaltem principia innoteſcant, tametſi Lectores iſta ſequi noluerint; Brevis item Tractatus, ſeu potius Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ, à Petro Daniele Huetio, latino ſermone edita, unà cum Reſponſione, Gallico idiomate, nuper prælo tradita à Domino Regis; Aliquot Tractatus Philoſophici Domini Joannis Baptiſtæ Du-Hamel, ac præfati Regis; pleraque loca ſelecta ex Tractatu de inquirenda veritate Patris Malbranche; Exiguus Tractatus Patris Pardies de anima Brutorum, unà cum reſponſione dudum edita; Demùm alii plures, qui noſtro hoc ævo in lucem prodiere. Abs re item fortè non erit alia quædam ſelectiora, atque utiliora veterum Philoſophorum inviſere; ut Ciceronis Quæſtiones Tuſculanas ad Dialecticam, & Academicorum libros, eoſque de Finibus ad Ethicam ſpectantes; Philoſophicos Senecæ Tractatus; item de Providentia, de Vita Beata, de Tranquillitate Animi; Divum Ambroſium de Officiis; Divi Auguſtini Ethicam, & Dialecticam, pluraque id genus alia. Varia hujuſcemodi lectio, Sacræ Paginæ intermixta, multam diſcipulis attentionem conciliaret, non modico iiſdem foret oblectamento, nec ullum denique ipſorum animis negotium philoſophica lectio faceſſeret; ſecùs verò ſi moleſto, improboque labore ſcriptis ſolis obſtringantur, quæ aliquoties ſunt parvi momenti.

Prout verò ad Theologiam ſpectat, aliquot pariter Tractatus Sanctorum Patrum perlegi poſſent, & quidem breviores, præſtantioreſque prò ſingulis materiis occurrentibus, quorum plures jam ſupra cap. 5. part. 2. retulimus, ut liber Tertulliani de præſcriptione, alter Sancti Cypriani de Unitate Eccleſiæ; Liber Sancti Auguſtini de vera Religione; Opuſculum Vincentii Lerinenſis, Tractatus Theologici S. Anſelmi, Magiſter Sententiarum; nonnulla loca Eſtii in Sententias, Utiliora Conciliorum Dogmata, vel etiam Decretalium

Summorum Pontificum, aliquot inſuper Patris Petavii, & Patris Thomaſſini, Melchior Canus de locis Theologicis; nonnullæ demùm Quæſtiones Theologicæ Joannis Baptiſtæ Du-Hamel.

Ut autem hujuſmodi lectio ſtudentibus prodeſſe valeat, fas erit utiliora loca ſeriò à Magiſtro prævideri, eaque diſcipulis notanda præcipi, ne eadem lectio ſterilis omninò ſit, atque importuna; ſecùs enim parum inde emolumenti haberetur, cùm ipſimet poſſent eamdem privatim abſolvere. Me non latet, hanc fuiſſe peculiarem inſignis cujuſdam viri methodum, dum Theologiam edoceret, hacque ratione metam à ſe intentam feliciter attigiſſe. Neque ſuſpicandum erit, varietatem dictam diſcipulis aliquando futuram oneri; quinimmò eorum animos adeò cum fructu recreabit, ut numquam ab incœptis ne minimum quidem recedere meditentur; cum vice verſa ſimplicem, nudamque Theologiam graviter admodùm ac moleſtè ferant.

II.

Secundò perpendendum ſupereſt, num expediat, vel ſit omninò neceſſe publicis concertationibus, & argumentis Dialectica methodo diſcipulos exerceri, quemadmodum in ſcholis conſuetudo invaluit, an verò potius juvet, quòd ab ipſis ſimplices difficultates extra formam proponantur, hoc eſt citra logicum ſyllogizandi rigorem.

Priuſquàm dubium hoc reſolvatur, rationes inveſtigare juvat, quæ ad iſtam praxim ſtabiliendam impulere. Videtur autem id potiſſimum fuiſſe, ut Geometrarum methodum tyrones imitarentur, qui de propoſitione in propoſitionem pergunt, unam ex altera inferendo. Id etiam proculdubio fuit, ut inde juvenes, tum arguentes, tum reſpondentes magis, ac magis exercerentur, ad praxim redigendo præcepta, quæ ex Dialectica didicére circa ratiocinandi modum. Prætereà ex eo etiam id ortum ducere potuit, ut nimirum reſpondentibus tantillum temporis ſupereſſet, quatenus argumentorum ſibi propoſitorum ſolutionem nanciſcerentur; hæcque profectò eſt ratio, cur bis argumentum cogantur repetere, ut ſcilicet de reſponſione cogitare interim queant. Inſuper arbitror, hac ideò argumentandi lege ſcholaſticos obſtringi, ut dubium ſemel propoſitum invicem proſequantur, ne ex uno ad aliud digredientes, nullius exactam ſolutionem inveniant, vel potiùs ingerant confuſionem, quemadmodùm non ſervata, aut neglecta ſeverà argumentandi methodo, ſæpè contingit. Quamobrem directè probare quod negatur, compelluntur, ut inde ejuſdem difficultatis filum recta jugiter proſequantur. Poſtremò ad faciliùs retundendam Sectariorum pervicaciam id utiliter inventum fuiſſe videtur, contra quos hac diſputandi lege Scholaſticis in palæſtris tyrones identidem præliantur.

Improbare igitur hìc non auſim iſtud exercitationis genus, quod ex tot

ex tot præclaris, peritiſque viris, de re ſcholaſtica optimè meritis, multam ſibi vendicat auctoritatem; Verùm aliqua in hoc moderatione opus eſſe crediderim. I. Diſcipulis præſcribendo, ne frivolas unquam futileſve difficultates proponant, unde ad invicem rixandum, aut cavillandum ſenſim excitentur; ſed ſerias, ſolidaſque, necnon reſolutione dignas. II. Ipſis cavendo, ne, ut argumentum protrahant, ipſum remotiſſimè exordiantur; ſed quamprimùm potiſſimum difficultatis nervum exponere ſatagant. III. Quod rectà inter arguendum ſemper procedant, nec unquam medium terminum in unius extenſione difficultatis mutare audeant. IV. Cùm quidquam meræ exercitationis gratia, contra fidei orthodoxæ principia objicere parant, id cautiſſimè, multoque cum moderamine præſtent; adeò ut inde dignoſcatur, vel ſolius exercitii, vel majoris dumtaxat claritatis ergò, dubium illud in tali materia proponi; neutiquam verò tamquam rationem, & multò minùs ut opinionem, quam ſeriò efficaciterque velint evincere. Cicero, quantumvis Ethnicus, modum iſtum contra Deum diſputandi, velut impium abſolutè reprobavit; ſive dáta opera, ſive ſimulate fiat; ait enim: *Mala, & impia conſuetudo eſt contra Deos diſputandi, ſivè animo id fit, ſivè ſimulatè.* *Cicero in fine Libri 2. de Nat. Deor.*

Poſtremum ex his monitis mihi videtur, nedum Regularibus omnibus, verùm & Chriſticolis univerſim neceſſarium. Quantum autem ad tria antecedentia me utique non fugit, aliquid tyronibus indulgendum eſſe, præſertim exili præditis intelligendi acie. Quocirca Magiſtri tum munus erit eos prudenter, patienterque inſtruere, nec unquam ipſorum quempiam habere deſpectui; eaque demùm ſenſa eorum cordibus indere, quæ proprium ſingulorum inſtitutum maximè decent.

Singulis tamen ritè perpenſis, ſatius forſitan eſſet, quod Monachi proprias difficultates, citra diſceptationis fervorem, atque ſeveram argumentandi methodum, proponerent; quemadmodum nunc temporis quibuſdam in Academiis, & privatis circulis uſitatur. Ut verò Dialecticæ legibus quodammodo exerceantur, ſufficeret ſi ſcholaſtica methodo probationes, vel objectiones tantùm proponerent, ſibi a Magiſtris in ſcriptis traditas; Quæ norma ſolidior fortaſſis eſſet, alteraque utilior, minoribuſve abſurdis obnoxia; Quinimmò honeſtior, ac tyronum ingenio accomodatior; indubium namque eſt, mitiorem ſaltem, tranquilliorem que fore, nec tot diſſidiis, & cavillationibus obſtrictam, quæ ut plurimùm inter diſceptandum vigent. At pleniorem rei hujus diſcuſſionem me in ſcholaſtica facultate peritioribus relinquo.

Silentio tamen hìc preterire nolo quæ ad rem iſtam appoſitè ſcribit Dominus Abbas Florius in ſuo Tractatu de ſtudiis, pag. 324. & 325. ſic: „ La Logique de Socrate, que nous voyons dans Platon, „ & dans Xenophon, eſtoit l' art de chercher ſerieuſement la ve- „ rité, & il la nommoit Dialectique: parceque cette recherche

ne

„ ne ſe peut bien faire qu'en converſation particuliere entre deux hom-
„ mes attentifs à bien raiſonner. Cet art conſiſtoit donc à répondre ju-
„ ſte ſur chaque queſtion, à faire des diviſions exactes, à bien définir les
„ mots, & les choſes, & à peſer attentivement chaque conſequence,
„ avant que de l'accorder, ſans ſe preſſer, ſans craindre de revenir
„ ſur ſes pas, & d'avouer ſes erreurs; ſans vouloir qu' une propoſition
„ ſut uraye plutot qu' une autre. Ainſi dans cette logique il y entroit
„ de la morale. Il y entroit auſſi de l'éloquenze. Car comme les
„ hommes ſont d'ordinaire paſſionnez ou prévenus de quelque erreur,
„ il faut commencer par calmer leurs paſſions, & lever leur préjugez,
„ avant que de leur propoſer la verité, qui ſans cette préparation ne
„ feroit que les choquer. Telle eſtoit la Dialectique chez les Grecs,
„ l'art de trovuer la verité, autant qu'il eſt poſſible naturellement.
„ Nos Philoſophes ſemblent n'avoir conſideré que les veritez en
„ elles mémes, & l'ordre qu' elles ont entr'elles indépendemment
„ de nous ....; Il ne paroiſt pars qu'ils ayent eu aſſez d'égard aux
„ diſpoſitions de leurs diſciples. Ils ont applique à toute ſorte de
„ ſujets la méthode ſeche des Geometres; & comme les primiers
„ avojent à faire à des diſciples fort groſſiers, (car on ſcait quel-
„ le eſtoit la politeſſe en France il y à cinq cens ans) ils prirent
„ grand ſoint de ſeparer toutes leurs propoſitions, de mettre tous
„ leurs argumens enforme, & de diſtinguer toujours la concluſion,
„ les prevues, & les objections: en ſorte qu' il fut impoſſible mé-
„ me aux plus ſtupides, de s'y méprendre: Ils croyojent abreger
„ beaucoup en retranchant tous les ornemens du diſcours, & tou-
„ tes les figures de Retorique: Mais peut étre ne conſiderojent il
„ pas, que ces figures qui rendent le diſcours vif & animé, ne ſont
„ que des ſuites naturelles de l'effort que nous faiſons pour perſua-
„ der les autres. D'ailleurs ces figures abregent fort le diſcours.
„ Souvent on ecarte une objection d'un ſeul mot: ſouvent on prou-
„ ve mieux par un tour delicat, que par un argument en forme.
„ & toujours en evite les repetitions ennuyeuſes des termes de l'art.
„ Que l'on en faſſe l'experience: Une page de diſcours ſcolaſtique
„ ſe reduira au quart, ſi on le change en un diſcours ordinaire, &
„ naturel. Et toutefois ceux qui y ſont accoutumez, croyent que les
„ diſcours figurez ne contiennent que des paroles, & ne reconnoiſ-
„ ſent plus les raiſonnemens, s'ils ne ſont diſtinguez par articles,
„ & intitulez: Je ſcay bien qu'il eſt quelque fois neceſſaire d'argu-
„ menter en forme, ou d'uſer des termes de l'art, & nommer la Ma-
„ jeure, ou la Mineure, pour mettre en evidence une raiſon im-
„ portante: Mais il ne s'enſuit pas qu' il faille en uſer toujours ain-
„ ſi.... Il faut laiſſer à faire quelque choſe au diſciple, & ne luy
„ pas faire l'injure de croire qu'il ne puiſſe reconnoitre une raiſon;
„ ſi on ne la luy montre au doigt. Socratis Logica, quam apud Pla-
tonem, & Xenophontem legimus, ars erat ſeriò inquirendi verita-
tem;

tem; & Dialecticæ nomine illam indigitabat; enimverò hujuſmodi indago ritè nequit expleri, niſi privatim inter duos, recto ratiocinio enixè intentos. Hæc igitur ars in eo potiſſimùm ſita erat, ut categorica ſingulis quæſitis daretur reſponſio, exactæ diviſiones, ac diſtinctiones fierent, res & nomina propriè definirentur, ad trutinam redigerentur ſingulæ concluſiones, priuſquàm prorſus ut veræ haberentur, abſque ſolicitudine, citraque metum canendi palinodiam, aut proprios errores confitendi; & tandem ut ſingulæ enunciationes æqua veritatis lance firmarentur. Quare huic Logicæ, ut cernis, Ethicæ portio inſerebatur, necnon artis bene dicendi; cum ſiquidem homines ut plurimum peculiaribus ſint affectibus impliciti, vel aliquo errore præventi; perverſos ideò, ac inordinatos eorum animi motus principiò ſedare oportet, ac quævis arcere offendicula, antequam veritas, qualiſcumque ſit, ipſis proponatur, quæ meherclè ſine hac prævia diſpoſitione eorumdem potius exaſperaret animos. Hæc inquam erat Dialectica Græcorum, ſeu ars indagandi veritatem, quantùm humanitùs permittebatur.

Hujus verò noſtræ tempeſtatis Philoſophi veritates ipſas penes ſe purè putè ponderaſſe videntur, earumque ordinem, quem viciſſim tenent, independenter à nobis....; neque ullatenus conſtat, ad diſcipulorum indolem, & aptitudinem eos aliquando reſpexiſſe. Satis aſperam Geometrarum methodum ſingulis materiis aptare voluerunt; & cum oppido rudes Diſcipulos primi eſſent educturi (nos quippe non fugit qualis à quingentis annis extiterit in Galliis ſcientiarum nitor) impensè ſtuduerunt ſingulas ab invicem propoſitiones ſecernere, & argumenta ad ſyllogiſticam formam redigere, concluſionem quoque jugiter diſtinguere, ſicut & probationes, atque objectiones; adeò ut difficillimum foret, ipſos vel ingenio hebetiores errare. Arbitrabantur ſe brevitati valdè conſulere, ſubſtrahendo cunctos eloquentiæ ornatus; omneſque Rethoricæ tropos; ſed fortè non animadvertebant, haſce diſcendi figuras, unde noſter ſermo animatur, nil aliud eſſe, niſi innatos quoſdam animi noſtri conatus, queis veritatem cæteris magis perſuadere nitimur. Prætereà figuris iſtis ſermo perſæpè contrahitur; integra namque objectio unico verbo multoties expenditur; plerumque etiam orationis venuſtate, ac lepore dicendi aliqua fortiùs evincuntur, quàm ſimplici argumento, ut ajunt, in forma. Denique tot importunæ vitantur terminorum artis repetitiones; quod utinam experimento comprobetur, liquidò enim conſtabit integram paginam ſcholaſtici ſermonis triplò majorem fore naturali, ac ordinario, ſi nempe is ad hunc redigatur; & tamen ſcholaſtici autumant, Rhetoricos diſcurſus nonniſi verba concludere; neque aliud omnino ratiocinium norunt, præter ea, quæ articulis, aut ſectionibus diſtinguuntur. Utique non inficior, neceſſe plerumque eſſe ſcholaſticam argumentando ſervare methodum, necnon artificialibus Dialecticæ terminis uti, majorem ſcilicet, ac minorem explicitè enunciando, ut alicu-

jus

jus momenti ratio palam demonſtretur. Hinc tamen gratis infertur, id ſemper uſurpandum eſſe.... Expedit nonnumquam tyronum ingenia probare, nec eò ſemper ipſis diffidere, ut credamus rationis ullius vim neutiquam poſſe percipere, quin digito iis indicetur. Hanc ſapientis, egregiique viri doctrinam ſatis fusè afferre volui, ut à noſtræ hujus tempeſtatis Profeſſoribus ſedulò ponderetur.

Nonnullorum tamen Magiſtrorum praxis præfatæ veterum Philoſophorum methodo valdè affinis eſſe videtur; diſcupulos nimirum ſuper ſcriptis interrogando, horumque ab ipſis exigendo rationem. Hoc autem pacto exercentur, adeò ut res æque concipiant; proprioſque conceptus exprimere facilè diſcant. Cæteri propterea auditores ad hæc animo incumbunt, propoſitæque ſolutionem difficultatis invenire interim ſatagunt, verentes, ne Magiſter, jam interrogati reſponſum velut ineptum improbans, hoc idem ab ipſis ſubinde exquirat. Quare tum reſpondentes, tum audientes ex hac docendi methodo valde proficiunt. Hujuſcemodi autem praxim frequentiorem reddi velim, atque univerſaliorem. Interdum etiam Magiſter imperabit, ut prædictæ reſponſiones Dialectico artificio à tyronibus exponantur, quatenus inde logicum non dediſcant ratiocinandi modum. Cavendum tamen erit abſurdum quoddam huic methodo perquàm familiare, Reſpondentis nimirum ſolutioni nolle acquieſcere, quandocumque ab iis terminis tantillùm receſſerit, ſibi à Magiſtro in ſcriptis traditis; Id inquam penitùs vitandum eſt; quid ni enim diſcipulum categoricè reſpondiſſe dixeris, cùm ex ejus reſponſione compereris rem fuiſſe medullitùs penetratam? Re intellecta, in verborum uſu faciles eſſe debemus. Hinc tamen non relinquitur, quominus tyrones ad exactè reſpondendum teneantur, propriis nempè, diſtinctiſque terminis, quibus rerum idea mente concepta ad unguem exprimatur. Peculiares itaque voces ipſis neutiquam præſcribendæ erunt, cum aliis planè æquipollentibus, verum, ac proprium doctrinæ ſenſum valeant enunciare.

III.

Poſtremò inquirendum reſtat, num peculiarem ſectam expediat in Philoſophico curſu deligere. Quocirca plerique Regularium multifariam ſe gerunt, & variæ hinc inde rationes afferuntur.

Fundamenta, quibus aliquid innititur, ut in Philoſophicis peculiari Authori adhæreant, ſunt, I. Quia Magiſtris inde via penitùs intercluditur falſam in ſcholis, & arbitrariam tradendi doctrinam. II. Quia non omnibus datum eſt integrum Philoſophiæ curſum proprio ſibi marte componere, & prudenti animadverſione, ac maturo judicio illum in cunctis abſolvere, tum præſertim, cùm ſufficienti ad hoc carent experimento. III Quia longè major fides doctrinæ univerſim ferè receptæ habetur, quàm alteri privati cujuſdam Doctoris, cujus arbitrario nutui multò cum diſcrimine tyronum ſubduntur

inge-

ingenia, quotieſcumque ipſi permittitur liberè quocumque vagari.

Verumenimverò nec argumenta in oppoſitum deſunt, præcipuè quantum ad Philoſophiam. Ecce quænam plus minuſve. I. Quod non ideò rerum ſcientia acquiritur, ſtatim ac Authoris innoteſcit opinio, quacumque aliter ſentiendi, aut ſcribendi præcluſa facultate. II. Quòd ſæpè ſæpius temporis multum fruſtra tranſigitur, germanum veſtigando proprii Authoris ſenſum, ſpeciatim in aliquibus controverſiis, quas ipſe ſubobſcurè reſolvit. III. Hinc ea penitus non declinari, quæ timentur abſurda, hoc eſt circa opinandi libertatem; Magiſter enim nonnihil acutus, Authorem quempiam ad proprium ſenſum jugiter poteſt exponendo trahere, itaut in cunctis ſibi patrocinari videatur. IV. Quòd in Philoſophicis liberum unicuique eſſe debeat ſuopte nutu de rerum natura ſentire, & quod ſcrutandæ veritati plurimùm obeſt ita jurare in verba Doctorum, ut horum authoritati haud quaquam liceat refragari. V. Quod iſto potiſſimùm loco Divi Auguſtini normam ſequi oportet, aſſerentis, quantavis authoritate, ac ſanctitate fulgeat aliquis Author, ipſi tamen indubitatum, firmumque aſſenſum eò ſolùm eſſe præbendum, quo rationes illum à nobis extorquent. VI. Tandem Deum unicè eſſe, cujus authoritati, utpotè omninò infallibili, ſit cæcè fidendum.

Et ſanè quemnam ex his in Philoſophia tamquam Ducem potius deligeres? Platonem an Ariſtotelem? Sanctus Auguſtinus, & ferè omnes Patres antiquiores præferunt primum? At verò Divus Thomas ſecundum; huncque à quingentis tantùm circiter annis nonnulli ſequi cœperunt. Legatur ſuper hoc liber à Domino Launojo editus; De varia Ariſtotelis fortuna; Item comparatio Platonis cum Ariſtotele Patris Rapini, unà cum Tractatu Philoſophico Patris Thomaſſini lib. 1. cap. 17. & Tractatus Studiorum Abbatis Florii; cui curioſum, egregiumque ſermonem inſerit de Platone, ejuſque doctrina, pag. 22. & ſeq. omninò legendum. Cætetùm, ut graviſſimè ſcribit Melchior Canus: Æquum non eſt, ut apud Chriſtifideles tantùm Ethnici unius authoritas poſſit, ut etiam ſine ratione vincat. Qui Philoſophi nomine verè gloriantur, nullius unquam authoritati, doctrinæque deſpondet, ſed tamdiù ſuoptè ingenio meditatur, donec luminis naturalis, & inconcuſſæ veritatis principium nanciſcatur, de quo non amplius queat ambigere. Quæ tamen uſque modò dixi, ſupponunt amplam, ac liberam poteſtatem alterutrum ex iſtis eligendi, videlicet ſe mancipandi, vel non, alicui Authori; Secùs enim iis legibus ſtandum, quæ jam legitimè fuerint alicui ſoliditati præſcriptæ.

Loquendo verò de Theologica facultate, major utique ratio apparet adhærendi authoritati etiam privati Authoris, poſtquam materiam, de qua agitur, is accuratè perpenderit. Et quia hujuſmodi ſcientia authoritati præſertim innititur, æquum eſt non modò Sacræ Paginæ, verò & Patrum teſtimonio abſolutè fidere, qui traditionem

nem nobis explanarunt, quique ab Eccleſia, ſive ex toto, ſive ex parte, peculiari approbatione præ cæteris commendantur. Hinc propterea nullum erit errandi diſcrimen, ſi Divo Auguſtino ſubſcribas in materia de Gratia; quandoquidem ipſum Eccleſia velut excellentiſſimum Divinæ Gratiæ Doctorem jugiter habuit, præcipuè in eorum deciſione, ſuper quibus acriter Pelagiani contendebant, ut liquet ex Reſponſis Cœleſtini I. ad Epiſcopos Galliæ.

Fieri ergo nullatenus poteſt, quin Patrum Authoritas peculiari debeat eſſe venerationi, cùm potiſſimùm aliquid ab ipſis unanimi conſenſu docetur; tunc quippe veluti Κανὼν eorum doctrina à nobis eſt habenda. Quinimò ſi forte contigerit, ab alicujus ſententia recedendum eſſe, circumſpectè multùm, ac modeſtè id ſemper fiat oportet. Quocirca hìc in primis Quintiliani ſententiæ meminiſſe fas erit: *Modeſtè, & circumſpecto judicio de tantis viris pronunciandum eſt, ne (quod pleriſque accidit) damnent quæ non intelligunt.* (*Quintil. lib. 10. c. 1.*) Prout verò ad Philoſophos ſpectat, præſertim Ethnicos, horum inquam authoritati non omninò fidendum erit, maximè ubi de Religione agitur; quoniam reverà fateri cogimur, ipſorum Philoſophiam luſum puerilem eſſe, ſi Chriſtianiſmo comparetur; ut inter alios egregiè oſtendit Divus Joannes Chryſoſtomus in Proœmio Commentariorum, quos in Matth. edidit. Quocirca pulcherrimum Sancti Auguſtini effatum hìc reminiſcor, aſſerentis veritatem in Chriſtifidelium fide contentam longè venuſtiorem eſſe Helena Ethnicorum: (*Epiſt. 10.*) *Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum.* Hinc tamen non obſtat, quin vel utiliter Ethnicorum Philoſophorum opera perlegi queant, ut lib. 1. ſuorum Strom. Clem. Alexand. oſtendit.

FINIS TOMI PRIMI.

TRA-

TRACTATUS
DE STUDIIS
MONASTICIS

TOMUS SECUNDUS.

Latinè verſus

A D. JOSEPHO PORTA

ASTENSI

In Collegio Anſelmo-Benedictino Romæ Sac. Theolog. Lectore.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

Tractatus de Studiis Monaſticis.

TOMUS SECUNDUS.

Cap.XI. DE *Studio Humaniorum Literarum.*

XII. *Continuatio ejuſdem materiæ, ubi agitur de Studio Manuſcriptorum, Inſcriptionum, atque Numiſmatum.*

XIII. *De Critica, & Regulis in ipſa ſervandis.*

XIV. *De Collectionibus, ſive Compilationibus.*

XV. *De Compoſitione, & Traductione.*

XVI. *De Collationibus Monaſticis.*

XVII. *De Concionibus, & Catechiſmis.*

XVIII. *Methodus, ſeu ſtudiorum norma, exacto tyrocinio, uſque ad Theologicum curſum incluſivè tenenda.*

XIX. *Continuatio ejuſdem materiæ, ubi ſtudia ſingillatim recenſentur, poſt Theologicum curſum abſolvenda.*

XX. *Idea exactior earum lectionum, quibus poſſunt incumbere quicumque à Deo ad ſtudium Eccleſiaſticæ Doctrinæ per Autographa excitantur.*

XXI. *De lectionibus, quæ Superiores potiſſimum decent.*

Digitized by Google

PARS TERTIA.

Cap. I. DE Duplici ſcopo principali, ad quem ſtudia, præſertim Monaſtica, collimare debent, cognitione nimirum veritatis, & charitate, ſeu amore Juſtitiæ.

II. Quinam ſint obices præcipui, duplici huic ſcopo adverſantes.

III. Qua ratione abſurda, de quibus hactenus diſſeruimus, impediri queant.

IV. De nonnullis aliis, ad quæ poſſunt intendere ſtudia Monachorum; & de quibuſdam monitis ad hæc rite explenda conducentibus.

V. Num ſcilicet Monachi prò ſuorum meta ſtudiorum publicas Conciones, vel potius privatas elucubrationes, ſibi ſtatuere debeant.

Concluſio præſentis Operis.

Monitio ad ſequentem Elenchum pertinens.

Elenchus potiorum difficultatum, occurrentium in lectione Conciliorum, Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, juxta ſingulorum ſæculorum ſeriem.

Cathalogus ſelectiorum Operum, meliorumque editionum, ad Bibliothecam ex materiis Eccleſiaſticis comparandam.

Finis Indicis ſecundi Tomi.

Conti-

Continuatio Secundæ Partis.

CAPUT XI.

De Studio Humaniorum Literarum.

HUmaniorum Literarum nomine communiter comprehenduntur Grammatica, Rhetorica, linguarum genera; item Authores profani, tam Oratores, quàm Poetæ, Hiſtorici, atque Philoſophi. Sub initium Orthodoxæ Fidei vertebatur in dubium, num iſtiuſmodi lectionibus Chriſtifideles licitè vacare poſſent; autumabatur enim, unicam ipſorum occupationem in Sanctarum Scripturarum lectione ſiſtere debere; Ethnicorumque volumina veneno eſſe undequaque referta, cùm nonniſi Idololatriam, & ad placitum vivendi libertatem, ſapere viderentur; adeò ut ea ipſa, quæ minùs infecta cenſebantur, quidquam tamen adhuc redolerent, Chriſtianæ ſimplicitati prorſus infenſum. Hincque arguebatur, fieri neutiquam poſſe, ut diu Scripturarum, Divinorumque oblectatio in Chriſtifidelium cordibus perſeveret, quandocumque à Gentilium operum lectione vel minimùm alliciuntur; conſimili ferè ratione, qua lumen, ac tenebræ ſibi invicem adverſantur, vel Cœleſtium, ac Terrenorum oblectamenta ſimul eſſe detrectant.

Origines poſt S. Clementem Alexandrinum Magiſtrum ſuum, ex primis inter Chriſtifideles extitit, qui profanos Authores evolverit, ut eoſdem propriis ipſorum armis confoderet. Oportuit tamen, ut id jure à ſe factum oſtenderet, cùm æquè inauditum, fideique orthodoxæ candori contrarium tunc videretur. *Euſeb. lib. 6. c.* Id tamen ſtudii genus rariſſimè deinde excultum fuit; quinimmò ii ipſi, qui ex Oratorum, aut Philoſophorum numero Catholicæ Religioni adhærebant, quemlibet ethnicæ eloquentiæ fructum penitùs negligebant, certò arbitrantes, longè debiliorem illam eſſe ſimplici, nudoque Scripturarum textu. *V. Sozom. lib. 1. c. 18.* Tales fuiſſe perhibentur Sancti Cyprianus, & Juſtinus, tametſi aliquoties Gentilium libros, ut eos confutarent, ambo perlegerint.

Id tamen non obſtitit, quominùs primis iis ſæculis præfatorum Authorum lectio identidem permitteretur, ad tyrones in ſcholis erudiendos. Quocirca Julianus Apoſtata emolumentum planè comperiens, quod contra Paganiſmum, ex humaniorum literarum cultu, Catholici hauriebant, hunc ipſis prorſus inhibuit, ne inde eorum ſermo adversùm Ethnicos argutus nimis, atque diſertus evaderet. *Socrat. lib. 3. c. 12.* Satagerunt inde nonnulli ex doctioribus Fidelibus, in præfatorum librorum ſupplementum, alios quoſdam de morum honeſtate tractantes edere. *Ibid. c. 16.* Verùm poſt Juliani obitum conſueta methodus iteratò invaluit; & S. Gregorius Nazianzenus tantum abeſt, quòd Ethnicorum operum lectionem reprobarit, ut potiùs aſſerere non ſit veritus ſtultum quid ſapere illam velle omninò in- *Orat. 10.*

Digitized by Google

terdicere, cùm vix ulla vel mediocris rerum intelligentia haberi queat, abſque exacta ejuſdem notione. Et reverà id ſtudii genus animum affabrè exornat, argumentorum rationes animat, venuſtatem Orationi conciliat, & intelligendi acumen auget. Præterea quodammodò eſt neceſſarium ad percipiendos Patres, methodumque ſuppeditat fidei orthodoxæ veritates adversùs Infideles propugnandi, quod ex ſimplici ſcripturæ textu non attingimus, cùm inde materiam dumtaxat habeamus. Et cum hinc etiam nonnulli hæreticorum earum deliramenta ſectarum egregiè refutarint, quæ ſibi adverſari agnoſcebant, utiliter quoque ad rem noſtram hæc ipſorum ratiocinia adhibemus; quemadmodum etiam Divus Paulus Poetarum Gentilium authoritate interdum uſus fuit, ad earum oſtenſionem veritatum, quæ inhæſitanter à nobis creduntur. Conſimili quoque ratione Stoicorum ſcripta cum fructu perlegi poterunt, ut inde Supremi Numinis Providentia contra Epicureos evincatur. Propterea antiqui Patres Platonem Ariſtoteli præferebant, quandoquidem manifeſtè dignoſcebant, illum de Providentia Divina, & Animæ immortalitate ſolidiùs, & efficaciùs Ariſtotele ſcripſiſſe, cujus Logica ipſis valdè confuſa videbatur, quemadmodùm Ethica nimis naturalis, ac humana, ut teſtatur S. Gregorius Nazianzenus. Legi poterunt ſuper hoc Euſebius libro, quem edidit de Præparatione, & Pater Thomaſſinus in ſuo Tractatu Philoſophico. Nihil tamen opportunius, utiliuſve legendum occurrit iis, quæ S. Baſilius in quodam Sermone ſcribit ſuper hoc expreſsè compoſito, ubi hæc ſtabilit principia, videlicet: Quòd quævis rerum cognitio, nihil profutura ſaluti, reſpuenda eſt: Quòd ad hanc ſacra volumina per recondita myſteria ſat ſuperque nos inſtruunt, quorum ſenſus altitudinem, quia ob ætatem, in qua verſamur, attingere non admodùm facile eſt, Authores ideò profani perlegi identidem poterunt, ut inde exornetur Animus, & ad Sacræ Paginæ lectionem quodammodò diſponatur. Cavendum tamen eſt, ſubdit S. Doctor, ab iis locis, in quibus extolluntur vitia, virtuteſque deprimuntur, apprimè autem ubi de Diis ab ipſis diſſeritur; hæc quippe vitare omninò fas erit, eiſdemque aures, nihilo ſeciùs ac Ulyſſes ad Syrenum cantus, obſtruere; pravis ſiquidem aſſueſcere ſermonibus via quædam eſt ad rem ipſam: ἡ γὰρ πρὸς τοὺς φαύλους τῶν λόγων συνήθεια ὁδός τις ἐστὶν ἐπὶ τὰ πράγματα. Denique quòd ſicut apes ex floribus mel noverunt excerpere, ſic & qui diligentes in legendo ſunt, oportet ut non ſolùm quod dulce, jucundumque fuerit, in eorum libris perſequantur, ſed quamdam ex eis utilitatem animo referre contendant. Præ aliis autem Homerum ibi commendat; ut enim ex viro gravi, qui maximè Poetarum ſenſus tenebat, ſe accepiſſe teſtatur, conſtat, inquit, quòd omnis Homeri Poeſis virtutis eſt laus, ejuſque omnia ad hunc finem referuntur. Plura ſubinde congerit exempla inſignium Ethnicorum, qui ſi non integrè, ex parte ſaltem virtutem ſectando, Chriſtianiſmum ſunt imitati, ut illud Cliniæ Pythagorici; huic namque, cùm per juramen-

Orat. 33. Euſeb. de Præparat. lib. 15. c. 3. & 4. Thomaſs. lib. 1. c. 27. Baſil. tom. 1. Homil. 24.

ramentum, trium talentorum mulctam vitare liceret, injuriam pati maluit, quam jurare, idque cùm non eſſet falſo juraturus. En igitur quid ſentiat Vir iſte egregius circa profanorum Authorum lectionem, & quomodò ex iis proficiendum conſulat.

Hujuſmodi tamen ſtudium, quod à Chriſtifidelibus in profanorum operum lectione tunc impendebatur, in ſola ferè tyronum eruditione ſiſtebat, præſertim autem inter Eccleſiaſticos, qui aliter non ſine ſcandalo eidem poterant operam dare; ſuper quo jam aliàs ſatis oſtendimus quid Divo Gregorio Nyſſeno acciderit. Inſuper neminem latet quid ſuper hoc ſcripſerit S. Gregorius Magnus ad Deſiderium Epiſcopum Viennenſem, juxta Decretum Quarti Concilii Carthaginenſis, à quo Gentilium librorum lectio Epiſcopis inhibetur, quos Grammaticæ nomine Sanctus is Doctor indigitat. In primis autem Eccleſiaſticis Poetæ interdicebantur, propter obſcœnitates, queis paſſim abundant; & S. Hieronymus iſta ſub inhibitione Virgilium quoque comprehendit; doletque vehementer, quòd Sacerdotes aliqui Plauti, ac Terentii comœdias legere affectantes, necnon Virgilii Bucolica, culpæ rei fierent, à qua ſola neceſſitas pueros reddit immunes. Sanctus tamen is Doctor profanorum voluminum lectionem non omittebat, adeò ut ipſemet apologiam quamdam ſuper hoc edere compulſus fuerit in Epiſtola, quam Magno, Romano Oratori, exaravit.

Part. 1. Cap. 1.

Hieronym. ad Damaſum de Filio Prodigo.

Hinc porrò facilè arguitur, id ſtudii genus potiori jure Monachis tunc fuiſſe interdictum; quod etiam apertè colligitur ex Epiſtolis à S. Nilo, & Sancto Iſidoro Peluſiota hac de re conſcriptis; hic etenim ſcribens Thalelæo Monaco, Græcorum ſcripta verſanti, ſic ipſum redarguit. *Quis te comicis ſalibus non perſtringat? Quis te non commiſereatur, qui cùm in Philoſophiæ diſcipulorum Domini tranquillitate ſedeas, Gentilium hiſtoricorum, & Poetarum tumultum, atque æſtum tecum trahis? Quid enim, dic quæſo, apud illos eſt, quod Religioni noſtræ ſit præferendum? Quid non mendacio, ac riſu ſcatet, ex iis, quæ magno ſtudio conſectantur? Quamobrem ipſam quoque fœditatis, & obſcenitatis lectionem fuge; nam ea miram ad aperienda vulnera, jam cicatrice obducta, vim habet: ne alioquin vehementiori cum impetu ſpiritus improbus revertatur, & deteriorem, ac pernicioſiorem tibi priori ignorantia, aut negligentia cladem inferat.*

Iſidorus Peluſiota l. 1. epiſt. 53.

Conſimili ferè modo Alexandrum, factum ex Grammatico Monachum, increpat S. Nilus his verbis: *Abſurdiſſimum ſanè eſt, nos, qui ad montem excelſæ, & Chriſtianæ Philoſophiæ aſcendimus, poſt Gentilium ejuratas præſtigias, eorumque tumidum dicendi genus exſibilatum, rurſus ad inanis gloriæ, vanique ſtudii tenebricoſiſſimam convallem protrudi, & prudentia jam perfectos, denuò repueraſcere, & inſtar infantulorum, carmina, jamboſve maximi æſtimare, quibus nullus indiguit, neque Apollo Alexandræus diſertus, potum Chriſti diſcipulis exhibens, neque Clemens Romanus Philoſophus, neque innumeri alii Magiſtri virtutis, & Grammatiſtæ, Apoſtolorum ſucceſſores, ne metris, & carminibus crucem Domini evacuarent, &* con-

Lib. 2. epiſt. 43.

Digitized by Google

contra Divinam legem mel ſuper altare offerre deprehenderentur. Ne itaque numeris attendas, licèt in eos animo propenſiori ſis, nimiſque illis addictus, ne Divinum Apoſtolorum characterem abolens, quem antea nimis avidè exprimere elegeras, in extremam deformitatem incidas, atque innoteſcas parum tibi curæ eſſe ſalutem tuam propter ſtudium carminum; præjudicium verò, & typus, & laqueus aliis fias, qui immorigerati, viles, ſegneſque cum ſint, nullam virtutis rationem habent, ſed omnibus vitæ ſuæ diebus circa hæc inepiunt propter execrandam, vanam, & inanem gloriam.

Comaſium pariter, ex Rhetore Monachum, idem Sanctus ita redarguit:

Epiſt. 73. *Coluviem, & cinerem, immaneſque Gentilium librorum ſordes, qui tibi tam ſeduló, poſtquam illis abrenunciaſti, ſine ullo commodo, immò tam noxiè, in Monaſterio congeris? O vaniſſimæ, & miſerrimæ fatuitatis floride collector.*

Nunc igitur expendendum reſtat, num humaniorum literarum ſtudium Monachis ſit abſolutè interdicendum; an verò ipſum ita moderari poſſumus, ut Monaſticum neutiquam dedeceat inſtitutum. Suppono autem, quòd qui jam religioſum ſuſceperunt habitum, Grammaticæ ſaltem, ac Humanitatis rudimentis imbuti fuerint, proindeque ad ſummum non egeant, niſi breviter, ac perfunctoriè, ea denuò mente complecti, ut inde redintegrentur ſpecies, quatenus ad ſuperiorum ſcientiarum conſecutionem ſeſe diſponere valeant. Ad hæc autem præſens quæſtio redigi poteſt. I. Quomodò, & quandonam hujuſcemodi ſtudium ſit repetendum, & quinam ob id Authores legendi ſint. II. Num præter hunc caſum Monachis quodammodò permitti queat Ethnicorum librorum lectio. III. Denique an quoslibet indiſcriminatim legere valeant.

I. Qui Monaſticum induunt cucullum, nec latinam linguam ſatis callent, poſſunt eamdem aliquamdiu edoceri antè Philoſophicum ſtudium, ut proprios faciliùs, ac rectiùs poſſint conceptus enunciare. Ad hoc porrò ſat ipſis erit ex Ciceronis operibus faciliora perlegere, puta ejus Orationes, Epiſtolas Familiares, & Officia. Item Epiſtolas Divi Hieronymi, Eraſmi Colloquia, tertiæ editionis, à D. Mercierio noviſſimè caſtigata, & id genus alia. Inſuper aliquot Hiſtoricos verſare poterunt, ut brevem Hiſtoriam Sulpitii Severi, unà cum Traductione Domini Giry; ſicut etiam Julii Cæſaris Commentarios, Salluſtium, Titum Livium, Juſtinum, Q. Curtium. Neceſſum tamen minimè crediderim, ut Poetas perlegant, exceptis Phædro, & nonnullis Virgilii, ac Senecæ Tragici Carminibus. Cæterorum verò Poetarum loco legere ipſis liceat Juvenci, Prudentii, Boetii, S. Paulini, & Sedulu poemata; Item ea Patris Vavaſſoris in Job, P. Rapini, P. Commire, P. De la Rue, Domini de Santeuil, Patris Beverini, &c.

V. Petr. Bleſenſ. epiſt. 101.

II. De iis verò loquendo, qui vel ad ſcientias viderentur aptiores, vel ad aliorum eruditionem deligi poſſent, vel demum Reipublicæ literariæ prodeſſe, his inquam ſatius foret humaniorum literarum ſtudium poſt Theologicum curſum differre; Tuncque celebriores poſſent Authores inviſere, quales inter Eccleſiaſticos cenſentur Lactantius,

tius, S. Cyprianus, quem cæterorum Patrum diſertiſſimum Eraſmus autumat; Item Epiſtolas S. Hieronymi, & aliquot priſcorum temporum profanos Authores, locis iis omiſſis obſcœna continentibus, Monachis ceu lethale animæ virus apprimè cavenda. Et hinc eſt, quod pii aliquot viri Horatium, atque Terentii Comedias expurgare ſtuduerint, nonnullaſque Plauti reſecuerint, & antiquiora delegerint Epigrammata ſub titulo, *Epigrammatum Delectus*.

II. Non deſunt tamen Authores aliqui, quorum vel ipſo dumtaxat nomine rubore ſuffundimur. Horum itaque lectio, quocumque colore, aut prætextu excogitabili, neutiquam permittenda eſt, iis præſertim, qui vel minimum pudicitiam, animæ ſalutem, amore proſequuntur.

Præter recenſitos humaniorum literarum Authores, recentiores etiam aliqui legi poſſunt, qui eruditionum notas ſuper antiquioribus edidere, ut Turnebus, Lectiones variæ Petri Victorii, & Mureti, Annotationes Sciopii in linguam latinam, eæque Cardinalis Hadriani, & P. Vavaſſoris.

Si verò ad linguarum notitiam idoneus quis inveniatur, Græcam in primis, & Hebraicam diſcat oportet; nec interim omittenda erit celebriorum operum, Gallico idiomate nuper editorum, lectio, ut Hiſtoriæ Academiæ Gallicæ D. Pelliſſonii, unà cum ejuſdem collectionibus, in lucem identidem traditis; Item lectio Speciminum Moralium, & Verſionum Domini de Andeliaco, & Domini de Sacy; Traductionum Epiſtolarum, Confeſſionum, nonnullorumque Tractatuum Divi Auguſtini, & Officiorum Ciceronis, quas omnes typis mandavit Dominus Du-Bois; Quibus addi poterunt Theophraſti Charactéres, Dialogi Mortuorum, Traductio Epiſtolarum ad Atticum, & Vitæ Imperatoris Antonini, Annotationes Vaugelaſii, P. Bouhours, Domini Menagii, &c.

In hoc tamen ſtudiorum genere nonnulla adhuc offendicula ſedulò declinare oportet, neutiquam ſanè ſpernenda. Sunt autem:

1. Diligentiùs, & accuratiùs, quam par eſt præfatorum Authorum lectioni, ſtudioque vacare; ipſis ſiquidem tamdiu ſolùm incumbendum erit, quantum ſatis fuerit, ut inde totum id emolumenti hauriatur, quod ad Sacræ Paginæ, Sanctorum Patrum, veterumque monumentorum notitiam conferat, unde rerum exprimendarum methodus talis habeatur, quæ nec quidquam ſubtrahat veritati, ne ullatenus eamdem enervet. Enimverò Chriſtifidelium aliquot gravi vertitur vitio (quod Monachis utique foret intolerabile) potiorem nempe vitæ curſum tranſigere in ſtudiis Attici tantùm, Latinive ſermonis, Authores quoſlibet ob id evolvendo, ut unius, vel alterius dumtaxat linguæ minutiſſima ſcrutentur; vel etiam ut Ethnicos Oratores, aut Poetas intelligant, difficiliora ipſorum loca jugiter contemplari, iiſque adeò inſiſtere, ut non ulteriùs progrediantur, ad utiliorem ſcilicet ſcientiarum conſecutionem. Quocirca ſummoperè cavendum eſt, ne ob ſolam voluptatem, oſtentationem, cenodoxiam, aut quid aliud ſimile, Authores præfati legantur, ſed tunc tantùm

Digitized by Google

cùm vel ſe prodit occaſio, vel aliqua urget neceſſitas; Monachus quippè temporis parciſſimus omninò ſit oportet, ac proinde ipſi cavendum, ne illud profanis ſtudiis, futilibuſve ſcientiis inſumat.

2. Stato ſolùm vitæ tempore, hoc eſt adoleſcentiæ, huic ſtudio incumbendum erit, reliquo namque ſolidioribus ſcientiis indulgendum. Quare vana iſthæc occupatio, qua plurimi valdè hallucinantur, ſpernenda eſt, cùm ſatius ſit, Monachum aliquot prudenter ignorare, quàm utiliora, atque opportuniora negligere; hæc quippe ſi neſciverit, ſimpliciter, & abſolutè indoctus cenſebitur, tametſi ea

Cicero in fine lib. 1. de finibus. integrè noverit, quæ reverà non ſunt niſi puerorum rudimenta. *Ii indocti*, inquit Tullius, *qui quæ pueros non didiciſſe turpe eſt, ea putant uſque ad ſenectutem eſſe diſcenda*. Idipſum Seneca generatim aſſerit de iis artibus, quæ liberales dicuntur, obiter nimirum, ac veluti perfunctoriè eſſe addiſcendas, ut nempe ad ſuperiores ſcientias diſponatur

Seneca epiſt. 88. animus, indeque nonnihil elevetur, ac roboretur ingenium; *tamdiu enim*, inquit, *iſtis immorandum eſt, quamdiu nihil animus agere majus poteſt*. Denique verbo concludit: *Non diſcere debemus iſta, ſed didiciſſe*.

Verùm à profanorum Authorum lectione tunc in primis erit abſtinendum, cum Scripturarum Divinarum, & S. Spiritus in ipſis diffuſa dulcedo delibata fuerit, ne tantæ ſuavitatis recordatio quandoque depereat abſque ſpe illam denuò recuperandi. Quocirca Divus Auguſt. antequam Sacræ Paginæ lectioni operam daret, intimè gaudebat, eò

Auguſtin. lib. 7. Confeſs. n. 26. quòd Platonicorum libros jamdudum legiſſet: *Si enim*, inquit, *primò Sanctis tuis literis informatus eſſem, & in earum familiaritate obdulcuiſſes mihi, & poſtea in illa volumina incidiſſem, fortaſſe aut abripuiſſent me à ſolidamento pietatis, aut ſi in affectu, quem ſalubrem imbiberam, perſtitiſſem, putarem etiam ex illis libris eum poſſe concipi, ſi eos ſolos quiſquam didiciſſet*.

Abs re tamen omninò haud erit, quòd qui literariæ Reipublicæ multùm intereſſunt, tantillum temporis identidem ſuffurentur in veterum Authorum lectione, quatenus ex diuturno labore defatigatum ingenium recreent, vel etiam ut optimi in ſcribendo ſtyli reparent ideas, animumque quadantenus excitent, qui nonnunquam ex improbo labore languet, ac deficit. Sanctus Iſidorus Peluſiota, quem adversùm quoſdam Monachos ſupra retulimus, profanorum Authorum

Iſidorus Peluſ. lib. 4. epiſt. 198. lectioni nimis aſſiduè incumbentes, ipſemet, inquam, eoſdem paſſim Authores citat, exemplisque ex eorum libris ſelectis utitur, ut puta cùm puerorum Perſarum jusjurandum refert, dum in adultorum numerum recipiebantur; quod eſt ſanè notatu dignum.

3. Quantum ad exterarum genera linguarum pertinet, difficillimum planè eſt earum plures ad unguem aſſequi; ſatiuſque erit acriori præditis ingenio, proindeque ad plurium ex illis captum idoneo, præter vernaculam, utiliores tantummodò ſeligere, Græcam ſcilicet, Latinam, & Hebraicam, quarum hæc in primis ad exactam Sacrarum Scripturarum intelligentiam confert. Verumtamen in diuturnam Rabbinorum lectione tempus perperam non erit inſumendum, quandoquidem

Digitized by Google

quidem plus detrimenti, quàm fructus inde plerumque colligitur. Cavendum inſuper eſt, ne vana ſciendi ambitio, quæ cæteri ignorant, nos ipſos vitioſè diſtrahat; propterea in hoc ſtudiorum genere fructus tantùm, & optimus uſus attendendi erunt.

4. Animadvertendum præterea eſt, ne ex eorum numero ſimus, qui Ethnicorum Opera eò admirantur, ut ipſorum Ethicam, atque eloquentiam nimiùm quàm par eſt laudibus extollant; eorum ſiquidem qualiſcumque fuerit Moralis Doctrina, ſemper eſt longè inferior illa Chriſtianorum; ipſorumque virtutes, quæ vel excellentiores creduntur, non ſunt reverà niſi futiles larvæ, ſi nimirum iis veterum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, ſingulorumque Sanctorum comparentur. Legantur ſuper hoc Tractatus Domini Eſprit de humanarum virtutum falſitate; & egregium Proœmium Domini Du-Bois in Traductionem Officiorum Ciceronis nuper ab ipſo editam.

Prout verò ad eloquentiam ſpectat, ea Sacræ Paginæ, quamquam primo intuitu ſimplex videtur, illam tamen Gentilium longè traſcendit. Enimverò neminem latet, quàm rectè in Sacra Hiſtoria ſeligantur geſta, ritèque diſponantur, quàmque brevis ſit, ac compendiaria eorundem narratio, propria, vividaque ſimul, atque perſpicua. Porrò nec ſimplici huic ſcribendi methodo excelſum quid deeſt, ac ſublime, ut exemplo liquet, quod affert Longinus ex verbis illis, quibus utitur Moyſes, cùm de creatione lucis. Neutiquam tamen inficior, noſtræ vulgatæ vocabula nonnunquam à latini ſermonis proprietate deflectere; verùm defectus hujuſmodi, ſi quidem adſint, Traductori adſcribendi ſunt, qui exactam verborum fidelitatem ſtyli elegantiæ præferre maluit, quam ab illa recedere. Cæterùm quantum acuminis in Sacris Divinorum Vatum meditationibus adeſt! Quanta in elocutionibus gratia! Quanta troporum, ac figurarum varietas! Quis non miretur in Moralium libris brevitatem, & apophtegmatum energiam. In Prophetis virtutis, ac vitii expreſſas ad vivum imagines, & objurgationum, minarumque pondera? In Apoſtolis demum ſpiritus libertatem, conſtantiam, zelumque firmiſſimum ad Evangelium Univerſo Mundo prædicandum.

Auguſtin. lib. 4. de Doctrina Chriſtiana cap. 6. & Iſid. Peluſ. lib. 4. epiſt. 67. & 91.

Ultimò tandem vitioſus quorundam exceſſus prorſus eſt vitandus, qui adeò cæcè Antiquitatem venerantur, ut nonnullis latinis vocibus uti ſcrupoloſè vereantur, quæ vel in Tullii operibus, vel in profanis aurei ſæculi Authoribus minimè leguntur. Quare vocabulorum quorundam uſum temerè proſcribunt, quæ ut ſacroſancta jamdudum tenet Chriſtiana Religio; Et quod pejus eſt, alia eorum vice ſubſtituunt, impietatem potiùs, quàm proprietatem redolentia. Sic inquam inter Catholicos aliqui, ut notavit Muretus, ſcribere malunt, Perſuaſio, quàm fides; Quod in Abaillardi Operibus jam alias redarguit Divus Bernardus. Et noſtræ tempeſtatis ſectarii, qui caſtigatè loqui gloriantur, ut Euchariſticum indicent Sacramentum, ipſum vocant: *Sanctificum Cruſtulum*. Vocibus item, *Genii*, & *Abluere*, uti malunt, quàm *Angeli*, & Baptizare. Unde ob hanc rationem vox tantùm,

Muret. Var. lib. 15. cap. 1.

tùm, *Jupiter*, non verò, *Chriſtus*, ſcribenda eſſet, cùm hæc nullibi ut in Tullio profectò legatur. Sed quod intollerabilius adhuc videtur, eſt, quod plerique Catholicorum ſacro vocabulo, *Salvator*, uti renuunt, cujus loco, *Servator*, ſcribunt, eò quia illud inter Ethnicorum Opera nuſquam occurrat. Verùm nos minimè fugit, quantum olim contra illud abſurdum Magnus Auguſtinus invexerit, ut ex quodam ſermone liquet, nova hac editione vulgato: *Blaterent*, *inquit*, *quidquid velint*, *Grammatici*, *terminum videlicet*, *Salvator*, *haud latinum eſſe; Chriſtifidelibus namque ſit ſatis*, *ſi rectè veritatem ipſam articuli*, *quem credunt*, *exprimat*. *Fateor quidem*, ſubdit S. Doctor; *quòd ſalvare*, *& Salvator*, *non fuerunt Latina*, *antequam veniret Salvator; quandò tamen ad Latinos venit*, *hæc & Latina fecit*. Diſcamus ſaltem ex ipſis Ethnicis Religionem, voceſque huic Sacras impenſiùs retinere; illas namque mutari vetat Religio, & conſecratis utendum eſt. Diſcamus, inquam, ex ipſis, quòd conſuetudo eſt certiſſima loquendi Magiſtra, utendumque planè ſermone ut nummo, cui publica forma eſt.

Auguſt. ſerm. 299. num. 6.

Quintil. lib. 1. c. 6.

CAPUT XII.

Continuatio ejuſdem materiæ, ubi agitur de Studio Manuſcriptorum, Inſcriptionum, & Numiſmatum.

QUæ ex humaniorum literarum ſtudio potiora queunt hauriri emolumenta, ſunt: rectè loqui, diſtinctè proferre, & caſtigatè ſcribere. Ad rectè loquendum opus eſt aptiores voces ſeligere, & ſermonis, ſive orationis ſyntaxim diligenter attendere, hoc eſt ſtyli puritatem, cui nihil barbaræ fæcis immiſceatur, aptam verborum diſtributionem, phraſis proprietatem, & moderatam cum his omnibus brevitatem. Hujuſmodi autem puritas, ſeu ſtyli elegantia, haud affectata, nec nimis vitioſè quæſita ſit oportet; plerumque enim fit, ut orationis ſenſus nonnihil alteretur, aut etiam enervetur, ob nimium cultum, cui operoſè inſudatur; & ſatius eſt aliquando uti vocabulo minùs inter Latinos plauſibili, dummodò conceptum noſtrum probè enunciet, præ alio communiter quidem magis recepto, ſed vel obſcuriùs, vel minùs propriè rem exprimente.

Tutiore via, qua ad rectè loquendum ducimur, eſt: multùm legere, ſæpiuſque ſcribere; ſic quippe jugiter noſmet exercentes, ſelectiores, & præſertim antiquiores dicendi methodos paulatim imitando aſſequimur. Proprium genium, ac diſpoſitionem ſeriò debet unuſquiſque conſulere, illamque ſubinde ſcribendi normam ſibi præfigere, ad quam plus propendet animus, Authores nempe lectitando propriæ magis inclinationi conformes. Porrò inſiſtendum nullatenus erit Recentiorum quorumdam futilibus, nulliuſve penè momenti Rhetoricorum libris, unde vix aliquid diſcitur. Quocirca Ariſtotelis, & Quintiliani Rhetorica præcepta cæteris quibuſque antecellunt,

lunt, quæ ab aliis vel de re literaria benemeritis viris poſſint nobis impertiri. Iis autem poteſt adjici Ciceronis liber, in quo inſtituitur futurus Orator, licet plus acuminis, quàm artis præcepta, in ſe complecti videatur. Quamplurima tamen juxta gravis cujuſdam Authoris ſententiam, etiam ex iſtorum Authorum Rhetoricis poterunt reſecari; multa ſiquidem in primo Rhetoricorum Ariſtotelis capita ſuperfluere cernimus, & apud Quintilianum quidquid legitur ad priſcam Juriſconſultorum Rethoricen ſpectans, confuſum valdè dignoſcitur; quemadmodum etiam ſunt totus ferè ſeptimus liber, caput de Statibus, & penè univerſa, quæ ad figurarum diſtinctionem, & argumentorum loca, ab ipſo inſtituuntur, quorum omnium notio nihil propemodùm confert. Moderata in ſcribendo brevitas in primis ſervanda eſt, quæ, inquam, nec materias mutilet, neque ſenſum obſcuritate confundat. Proprium eſt limitati ingenii, & modici intellectus, quidquam nolle inter ſcribendum omittere; ejuſque potiùs inopiæ, atque imbecillitati tribuitur, verbum, alioquin elegans, inopportunum tamen, nolle interdum ſpernere. Veteres in narratione geſtorum breves admodùm erant, apprimè verò in Inſcriptionibus; Nos autem, congeſta ſæpè vocum, ac ſententiarum turba, iis vix tandem finem damus. Longè magis ſæpiſſimè præſtat laconica, ac lapidaria Inſcriptio, ut putà: *Hic jacet Sugerius Abbas*, altera prolixiori, quæ poſſet quidem in Codice perlegi, Viatori tamen eſſet importuna. Vitanda inſuper eſt commatum, punctorumque turpis affectatio; item ſtylus vitioſè periodicus, qui nempè ſtata, & certa quadam periodo identidem recurrit, & alius, in quo nonniſi per aphoriſmos, & apophtegmata proceditur, ſunt proſcribendi. *Educat. d'un Prince.*

Prout verò ad pronunciandi modum attinet, congruit omninò, ut quamcitiùs eumdem Monachi diuturna exercitatione diſcant; cum etenim plura in dies, tum Latino, tum Gallico ſermone, recitare teneantur, ſive ad horas Canonicas, ſive ad communis menſæ lectionem, opus eſt, inquam, ut hujuſmodi munia ad cæterorum Sodalium ædificationem, dignè, ac laudabiliter perſolvere ſatagant. Univerſim autem loquendo, diſtincta, graviſque ſit oportet pronunciatio, ſingulas ponderando ſyllabas, iiſque locis paululùm quieſcendo, ac reſpirando, prout Orationis ſenſus exquirit; quocirca Divus Hieronymus ait, quadam interpoſita morula duo illa verba Chriſti Domini pronuncianda eſſe, cùm ſcilicet leproſum ſanando dixit: *Volo, mundare*. Hac etiam de cauſa in reſponſo ab Apoſtolis Chriſto dato, dum ab ipſis poſceret quot panes haberent, neutiquam ſine interruptione legendum eſt: *Dicunt ei ſeptem;* verùm poſt, *ei*, nonnihil immorandum; quemadmodum etiam alibi ſcribitur: *Dicunt ei, nihil;* ut ſcilicet in omnis tollatur amphibologia. Innumera id genus alia in Scripturis, & Patribus habentur exempla. Legatur Sanctus Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 3.

Dum cantu ſacra celebratur Synaxis, nemo ſibi poteſtatem faciat inter-

Digitized by Google

interrogationis puncta mutandi, eò quòd paſſim occurrant; ſimiliter nec alia, quæ in impreſſis Codicibus inveniuntur. Fateor quidem pleraque in iſtis errata contingere; verumtamen longè minùs excuſandi ſunt, qui ea inter legendum corrigere negligunt. Si dum canitur, periodus adſit, quæ Hebraico claudatur vocabulo, ſive indeclinabili, ſive aliquo tantùm caſuum carente, tunc ſuper ultimam ſyllabam cantus ſolummodò cadent; ſi verò hujuſmodi voces integrè declinentur, ut *Ezechias*, *Zacharias*, hæ inquam latinorum more uſurpabuntur; Excipe tamen vocabulum, *Moyſes*, & nominativum Salomon, cæteraque ſimilia, quæ integra declinatione gaudent.

Sacerdotes Auguſtum Miſſæ Sacrificium celebrantes, ſtudium, curaſque omnes eò debent intendere, ut rectè diſtincteque pronuncient; & nedum clara, intelligibilique voce tunc loqui tenentur, verùm graviter, moroſè, ac devotè, ſonum vocis totaliter moderari, ut ab adſtantibus, vel ſaltem à propinquioribus audiantur. Eſt hoc Sacrificium publicum, oblatum unà cum Sacerdote à ſingulis fidelium; Quì ergo fieri poſſit, ut iſti mentis, ac devotionis affectu celebranti copulentur, niſi audierint? Laudatur in eo Deus, ſimulque exoratur; item in ipſo leguntur Epiſtola, & Evangelium, ut hinc excitentur adſtantes ad venerandi hujus contemplationem myſterii. Oportet igitur voce eouſque intelligibili prædicta enunciare, ut quæ à Sacerdote leguntur, ipſi ritè percipiant, ac ſpiritualiter inde proficiant. Verùm enimverò quot quæſo ſunt, qui ſi non debita gravitate, ac veneratione, decenter ſaltem id muneris quadantenus expleant? Præcipitantur, mutilantur, ac ſæpe numerò eò confunduntur verba, ut nec ſemetipſos, dum legunt, intelligant; & quod pejus eſt, vitium iſtud ita in aliquibus radicatur ex habitu, pravaque conſuetudine, ut fermè impoſſibile ſit eo unquam privari. Dicant quid velint aliqui, quantum enim ex me numquam profectò crediderim cordi Sacerdotis cultum Deo debitum ineſſe, quandocumque ipſum adeò irreverenter alloquitur, ut vel ſimplici Viro, conſimili modo confabulando, foret deſpectui. Hinc autem fit, ut Deus ipſe, ſacrumque ipſius miniſterium ſacrilego ludibrio exponantur; unde adſtantes nedum minimè ædificantur, verùm & ſpirituali ruinæ ſuccumbunt. Tantumdem in præſentia dici poſſet de horarum Cānonicarum recitatione, ſed non eſt hic locus fuſius ſuper hoc diſſerendi.

Quoad Gallicum idioma, expedit hujus pariter rectam pronunciationem addiſcere, & quidem quamprimùm fieri poſſit; quidni enim ſummoperè pudeat exacta vernaculæ linguæ carere notitia? Errores autem, qui plerumque à noſtris in ejus exercitatione fiunt, ſunt: Confundere ſonum vocalis, E, aperto ore proferendæ, cum altero ejuſdem literæ, mutè, preſſeque pronunciandæ. Item conſonantem in fine alicujus vocis nonnumquam inter loquendum ſupprimere, alia ſubſequente, quæ à vocali incipiat; undè perperam dixeris V. G. *incontinent après*, literam, T, ſubtrahendo, alterius dictionis loco: *in-*

continent après; pariter, *Sainct ames.* non *Sainctes ames.* Loquendo tamen de litera, E, apertè proferenda, nulla videtur impræſentiarum admittenda excuſatio; ſiquidem accentu ſignari ſolet, in libris præſertim qui prælo mandantur. Errant præterea ut plurimùm alii ultimam ex vocalibus ſubticentes, cùm duplici dictiones aliquæ terminantur; proindeque corrigendi ſunt dicentes *vi*, pro *vie*, *enui* pro *enuje*, *renommè*, pro *renommee*, *paſsè*, pro *paſsèe*, &c. Oportet enim primæ vocalis pronunciationem parumper ſuſtinere, & ad ſequentem nonnihil inflectere. Protrahenda inſuper eſt tertiæ perſonæ pronunciatio in plurali verborum, *ils allojent*, *ils venojent;* in ſingulari verò contrahenda, *il alloit*, *il venoit*. At in infinitum fortè abirem, ſi ſingula vellem ſuper iſtis nimis perpendere, aut recensére. Solùm ergo addiderim, aſpirationem in, h, haud eſſe faciendam, præterquàm in dictionibus Gallicis ex Latinis deſumptis, quæ abſque, h, ſcribuntur, ut ſunt *hauteur*, *hazard*, *honteux*; Si vero in Latinis vocibus, h, reperiatur, tunc in Gallicis aſpirandum non erit, ut in iſtis: *Homme*, *heritage*, &c. Hinc tamen excipias: *les heros*, & pleraque alia nomina, in quibus facienda erit aſpiratio, tametſi à Latinis, ut alienus vitetur ſenſus, cum, h, ſcribantur; Contrà verò in voce, *heureux*, reticetur, licèt latinè non aſpiretur.

Tertius denique, qui ex humaniorum literarum ſtudio fructus habetur, eſt: Caſtigatè ſcribere, hoc eſt ſine mendis, & barbariſmis; item charactére intelligibili, regulas orthographicas, quæ in melioribus leguntur Codicibus, ſedulò animadvertendo, nec non periodorum interfectiones per commata, & puncta, quæ à peritioribus traduntur Authoribus. Neglectui pariter eſſe non debent, quæ identidem ex humana ſocietate ſcriptitare contingit, ut ſunt Epiſtolæ, Schedulæ, Chirographa, &c. ſic quippe ingenium, & ſcribentis manus in his, quæ aſſiduo ſunt uſui, non modicum perficiuntur. Potiſſimùm verò communiorem Gallicè ſcribendi methodum ſervare fas erit, non autem ſingularem arbitrariò ſibi confingere, quæ nondum in eruditiorum Academiis fuerit comprobata.

Quantum verò ad Charactérum, ſeu literarum formationem attinet, ad rem maximè foret tyrones, recens profeſſos ſuper hoc peculiariter inſtrui, quatenus ſcilicet rectam ſcribendi rationem adipiſcantur. Quocirca præceptorem poterunt ſibi deligere, à quo orthographiam, punctorum, commatumve interpoſitionem, aptam literarum, ſyllabarumque diſtinctionem, diſtinctam demum earumdem prolationem quamprimùm doceantur. Porrò Charactéres, Cancellariis familiares, mihi videntur in praxi opportuniores. Cæterùm quæ hactenus ſcripſi, pro iſtorum nempe rudimentorum notitia, Lector benevolus contemptui non habeat, cùm in gratiam Cœnobiticæ tantùm noſtræ juventutis ea notaverim.

Ad humaniorum literarum ſtudium referri item poterit vetuſtorum manuſcriptorum notio, quæ ſanè non modicùm confert ad veteres Authores emendandum. De quo in præſentia fusè nobis differendum

eſſet,

Digitized by Google

eſſet, cùm ſit potiſſimùm ſtudium, cui nunc temporis Congregatio noſtra inſudet ad totius Reipublicæ literariæ emolumentum. Quia tamen negotium iſtud ex praxi potiùs, atque exercitatione pendet, quàm ex regularum præſcriptione, pauca ideò ſuper hoc ſolummodo innuam.

1. Manuſcripta antiquiora ſunt etiam ut plurimùm præſtantiora, præſertim verò ſi à ſolerti fuerint antiquario exarata. Cùm ſiquidem fonti, unde manarunt, ea ſint propiora, majorem pariter præ aliis puritatem ſervant, quæ per multas librariorum manus proceſſére.

2. Manuſcriptorum antiquitas ex characterum formatione, vel etiam ex ipſiſmet facilè comperitur. Non quælibet antiqua manuſcripta ſunt quadrata; tabellæ namque conſulares ſunt oblongæ. Potior tamen quadratorum par antiquitatem redolet. Prout verò ad charactèrum intellectionem pertinet, legi poterit Mabillon de re diplomatica, ubi multifaria plurium ſæculorum ſcripta, propriis inciſa laminis, in unum congeſſit.

3. Sola alicujus manuſcripti antiquitas ſat plerumque non eſt ad deciſionem dubii textus alicujus Authoris. Ex vetuſtioribus nonnulla occurrunt ſupra modum mendoſa, quibus proinde præferenda erunt plura etiam ex recentioribus, caſtigata manu exarata, hoc eſt à perito, ac diligenti Scriptore.

4. Quamvis unius dumtaxat manuſcripti authoritas ad alicujus Authoris textum corrigendum quandoque ſufficiat, ſatius tamen erit plura conſulere, nec ea ipſa deſpicere, quæ vel aliquibus mendis ſcatere dignoſcimus. Enimverò cùm vel ex melioribus manuſcriptis vix unum inveniri queat cujuſque prorſus expers erroris, ſimiliter ex pejoribus nullum aderit, quod ſerium quid, atque utile non comprehendat.

5. Authoris alicujus manuſcripta, in cœnobiis unius, ac ejuſdem Provinciæ conſervata, ſunt inter ſe ſæpenumerò conformia, ſi fortè vel omnia ſimul à pluribus antiquariis conſcripta fuerint ſub uno tantùm lectore dictante, vel unum ex altero fuerit ſucceſſivè tranſcriptum. Tunc autem ut unum ferè omnia computantur.

6. Conjecturæ, quæ alicui manuſcripto non innituntur, cautè omnino, ac circumſpectè ſunt adhibendæ; Quinimmò ipſis haud utendum arbitror, niſi cum res ita liquidò conſtiterint, ut meritò in dubium verti nullatenus queant. Quamquàm, ut verum fatear, ſatius adhuc foret illis ipſis non aſſentiri, quæ vel proprio Authori indubiæ videntur; nihil enim tam facilè, quàm alicujus novitate ſententiæ allici, unde multùm hallucinemur. Senſus itaque conjecturalis poterit ut talis ſeorſim notari; ſecus enim ex ſimplici conjectura aliquid audacter enunciando, inevitabili propemodum corruptelæ Authores exponerentur.

7. Primum, quod diſcendum occurrit iis, qui manuſcripta cum impreſſis voluminibus conferunt, eſt ritè diſcernere multifarias veterum orthographias, literarum mutationes, modoſque varios contra-

hendi

Digitized by Google

hendi voces, ac ſyllabas, ne ſecùs confundant, exempli gratia, per, cum pro, qui, cum quam, vel quoniam, & id genus alia, in quibus plerumque fallitur experientiæ defectu. Quantum ad orthographiam legi poſſunt Caſſiodorus, Dauſquius, Voſſius, Scioppius, & Pater Sirmondus in ſuis adnotationibus in columnam roſtratam.

8. Alterum, quod item plurimum intereſt, proindeque ſeriò animadvertendum, eſt: Quòd pluribus ſimul Authorem aliquem, ex variis manuſcriptis eventilantibus, neceſſum eſt, ut qui codicem impreſſum verſat, clarè, diſtinctèque voces enunciet, nec non aſpirationes, ac ſyllabas, præſertim ſi aliis fuerint quoad ſonum aliqua ratione conformes, penès verò ſenſum omninò diſſimiles; ſecus namque inter ſcribendum nonnumquam confundentur, V. G. indiga cum indigna, lumine cum limine, aure cum ore, homine cum omine, & plura his ſimilia. In hujuſmodi autem errores multoties lapſarunt ipſimet manuſcriptorum librarii, dictantibus aliis, quæ calamo exarabant.

9. Qui manuſcripta cum aliquo ex impreſſis codicibus conferunt, ad majus eorum, qui ipſis utentur, commodum, paginæ, lineæque impreſſi numerum notabunt, in quibus emendatio, vel diverſa lectio occurrit; & ne identidem lineas numerare cogantur, ſcalam papyraceam ſibi parabunt, in qua earumdem numerum pari diſtantia, qua impreſſæ viſuntur, diſtribuent, adeò ut ipſam ſingulis paginis admoventes, numerum lineæ momento videant, in qua erit facienda emendatio. Verùm totum id negotii prætermitti poterit, cùm voluminibus in folio uti contigerit, in quibus literæ **A**, **B**, **C**, **D**, inter columnas notari ſolent; quandoquidem ſat tunc erit literam innuere, lineæque numerum ad ipſam ſequentis.

10. Operæ inſuper pretium eſt ſingulas manuſcriptorum diverſitates, ut fuerint, aptæ nempe, vel ineptæ, calamo notare, quas etiam aliquando peculiari ſtudio ad calculum revocare fas erit, ut veriores à reliquis inferioris notæ ſecernantur.

11. Ut autem delectus iſte ſit utilis, diverſitates ſingulæ accuratè perpendentur, eaque ſubinde præferenda, quæ Authoris ſententiæ magis videbitur conſentanea. Quò ſi vel minimùm res in ambiguo verſetur, ejuſmodi diverſitas ſeorſim notabitur. Verbo demùm, multo in primis opus erit ingenio in hac ſelectione facienda; ipſi namque totum id emolumenti innititur, quod veterum Autographorum ſperatur examine.

Cæterùm laborem iſtum ſubeuntibus neutiquam ſuſpicandum erit, in ipſo tempus inaniter conteri, vel modicum inde fructum hauriri; ſiquidem nihil fortaſſe ad illuſtrandam Eccleſiam æquè conducit. Quinimmò hujuſcemodi ſtudio operam impensè navantes, eò majorem laudem, ac meritum apud Deum ſibi conciliant, quò minorem apud homines gloriam conſequuntur. Hincque præterea diutiùs ſolitudini incumbunt, qua nihil ipſorum cordibus eſſe debet antiquius. Fateor quidem, hunc oppidò moleſtum eſſe, atque injucundum laborem; verum-

Digitized by Google

verumtamen adhuc longè minus negotium faceſſit, quàm libros tranſcribere, quod priſci noſtri Ordinis Patres ingenti cum fructu præſtitere. Qui manuſcripta conferunt, bonum indè emergens univerſis palàm oſtendunt, quod ſecùs nos lateret, ceu theſaurus abſconditus. Eximii doctrina viri laborem iſtum, alioquin improbum, non ſunt dedignati; & Muretus præ aliis teſtatur, numquam ſe pœnituiſſe, quòd manuſcripta, utcumque mendoſa, contulerit, cùm inde non modicùm jugiter ſe profeciſſe compererit.

Manuſcriptorum ſtudio alterum quoque veterum inſcriptionum adjici poterit, quarum egregia quædam Collectio, à Grutero edita, apud nos extat, unà cum tabulis Scaligeri, quæ primas facilè tenent in hoc eruditionum genere. Juxta iſtarum exemplar collectiones alias vulgarunt Reineſius, doctuſque Dominus Du-Cange in Gloſſario ad Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis. Conſimiles pariter alii plures viri celebres concinnarunt, novamque ab erudititiſſimo Raphaele Fabretto quamprimùm in lucem editum iri ſperamus. Ex iſtis autem Collectionibus priſcorum acumen in ſuis inſcriptionibus comperimus, unde etiam noſtras emendare poſſumus, quarum potior pars ab earum artificio quàm longiſſimè diſtat, & quam earumdem ſtudium peculiariter amplecti noſtrum nemo cogantur, ipſas tamen, cum res poſtulaverit, licebit inviſere. Harum interim praxim hìc libet innuere exemplo egregiæ cujuſdam inſcriptionis, à præfato Fabretto nuper mihi tranſmiſſæ, quæ barbarum licèt ſtylum aliquatenus redoleat, eſt tamen notatu oppidò digna.

NATU SEVERI NOMINE PASCASIUS
DIES PASCALES PRID. NOV. APRIL. N
DIE JOBIS IL COSTANTINO
ET RUFO V̄V̄C̄C̄ CONSS. QUI VIXIT
ANNOR. VI. PERCEPIT
XI. KAL. MAIAS ET ALBAS SUAS
OCTABAS PASCAE AD SEPULCRUM
DEPOSUIT D. IIII. KAL. MAI. FL.
BASILIO V̄C̄ CONS.

Ex hac Paſchali inſcriptione, cui vix alteram ſimilem legeris, colligere eſt:

1. Conſulatum Conſtantini, & Rufi ad annum 457. reſpondere, quo Sanctum Paſcha in diem incidit 31. Martii, cum dies Jovis infra Octavam ejuſdem, qui fuit Natalitius Paſchaſii, fuerit quartus Aprilis. Porrò ſub iſto Conſtantini, & Rufi Conſulatu Victorium Aquitanum, Hilario Papa hortante, novum Cyclum Paſchalem condidiſſe legimus.

2. Quòd Baſilius Conſulatu ſolus fungebatur anno 463. in Paſchate, quod per id tempus 21. die ejuſdem menſis Aprilis contigerat, qua etiam ejuſdemmet Paſchaſii baptiſma celebratum fuit, cujus obitus

tus Octava ſubſequenti evenit, in qua propterea album depoſuit indumentum in baptiſmate receptum.

3. Quòd hujuſce pueruli baptiſmus ad ſextum ejuſdem ætatis annum dilatus fuerit. Notandum inſuper, literam N, quæ in calce ſecundæ lineæ viſitur, appoſitam fuiſſe in emendationem alterius perperam inciſæ in dictione NOV. Spero interim fore ut lectores parvam iſtam digreſſionem non dedignentur.

Veterum Numiſmatum ſcientia, quæ nunc temporis maximè viget, Inſcriptionum alteri eſt valdè affinis. Plurimùm autem juvat, tum ad exactam Cronologiæ intelligentiam, tum etiam ad evincenda priſcorum Cæſarum geſta, quæ inverſæ Numiſmatum parti inſculpta plerumque conſpicimus. Inſuper ex hujuſmodi ſtudio, Regum, & Urbium Epochas planè conjicimus, ut liquet tum ex collectione Patris Hardovini, tum ex aliis nuper editis à Patre Henrico Noris (nunc Purpuratorum in albo) & à D. Vaillant, quorum ille ſuper Epochis Urbium Syriæ eruditiſſimè ſcripſit; Alter verò ſuper Epochis ejuſdem Provinciæ Regum. Sed cùm univerſim loquendo, iſthæc tum rei numariæ, tum reliquiarum antiquitatis Muſæa, raròin Monachorum Cœnobiis reperiantur, immunes ideò ab hiſce ſtudiorum generibus erunt, quæ rurſum nimium curioſitatis ſæpiſſimè excitant, unde facilè poſſent ab utilioribus diſtrahi, proprio inſtituto apprimè conſentaneis. Hinc tamen non eſt, quòd hujuſmodi ſtudium parùm prodeſſe autumem, quamquàm ſæculares magis, quàm Cœnobitas, decere mihi videtur; Quocirca noviſſimas eruditorum Collectiones, hac de re typis editas, ſat ipſis erit inviſere.

CAPUT XIII.

De Critica, & Regulis in ipſa ſervandis.

NIhil noſtra hac tempeſtate celebrius, quàm aliorum cenſuræ vacare; idque univerſim adeò invaluit, ut vel ipſis Mulierculis hanc artem profiteri ſit nihil antiquius. Inficiari ſanè non auſim, plurimum inde hauriri emolumentum, ſecùs namque veritatem ſimul, atque mendacium perperàm confundi ſæpè contingeret, niſi ab invicem per Critices normam dijudicarentur. Verùm plerique adeò impudenter iſta abutuntur, ut haud minus, quàm ex errore, ac ignorantia, detrimentum mens inde patiatur. Temerario auſu materias ſuapte ſpontè definiunt ſine prævio earum examine; & ne dum in eorum diſcuſſione, de quibus in humanis, ac naturalibus ſcientiis communiter agitur, talem ſibi uſurpant poteſtatem, verùm etiam in iis, quæ ſpectant ad orthodoxæ fidei dogmata, ſuper his enim arbitrariò plura identidem aſſerunt, majori ſanè fiducia, quàm ſi eadem Œcumenicum enunciaret Concilium. Et hic fortè tot inter morbos unus eſſe deprehenditur, queis præſens ſæculum miſerè laborat; quandoquidem ſi præcedentibus ſæculis noxiæ ſimpli-

Digitized by Google

citatis, nimiæque credulitatis vitium adſcribitur, noſtro hoc ævo nil ferè ab iis, qui acriori ſe præditos ingenio jactitant, recipitur, quin prius ipſorummet cenſuræ planè ſubdatur.

Quare in duplicem Critica diſtinguenda erit, aptam ſcilicet, & ineptam, quarum prima lumen eſt perquàm utile, unde nedum Authoris mens valdè illuſtratur, verùm & illa opportunè utentium. Altera verò noxium virus, quod ubi primùm intellectum, ac rationem ipſam exercentis contaminavit, ad alios etiam veneficam qualitatem diffundit, & ad ipſorum opera. Abs re igitur non erit aliquid de ambabus ſpeciatim innuere, ut optimè inter utranque dijudicemus.

Sed in primis operæ prætium videtur exactam Critices notitiam tradere, quæ ſic definiri poteſt: Scientia conjecturalis, docens modum rectè judicandi de quibuſdam operibus, præſertim Authorum, eorumque ſcriptis.

Ut quis ſcientiam hanc planè aſſequatur, multo in primis opus eſt ingenio, mentiſque acumine, multa item animi maturitate, atque prudentia, qua nimirum talis ſervetur methodus, ut ſingula ſuo quæque ordine diſponantur, ac illuſtremur, ita ut lumen ſibi invicem mutuent. Porrò præter iſtas naturales diſpoſitiones, quæ ſanè in pluribus deſiderantur, peculiares aliæ ſuperadduntur.

Ut enim criſis aliqua legitima ſit, ac recta, eædem ferè in ipſa præcautiones ſunt habendæ, ac in ferendo judicio; oportet namque 1. rem, de qua judicium fieri debet, Judici competentem eſſe. 2. Quòd Judex curam omnem ſtudiumque impendat; ut punctum, quod controvertitur, examuſſim intelligat. 3. Quòd non ferat ſententiam, niſi convincentibus urgeatur rationibus. 4. Denique, quòd ſit indifferens, & non opinionum acceptor. Facile hinc eſt omnes iſtas conditiones Criticæ aptare, cùm reverà non ſit niſi judicium, quo veritas in re dubia, ac controverſa defenſatur.

1. Neceſſum itaque eſt primò, ut rectus alicujus operis cenſor eas materias optimè calleat, ſuper quibus criſin exercere parat. Quapropter Grammaticus, qui, ut perſæpè contingit, puncta quædam Theologica decidere tentat, in ſua Criſi floccipendendus erit, utpotè nullius ponderis, ac momenti, cum hujuſmodi controverſiæ penitùs ſint extra ſphæram earum materiarum, in quibus verſatur. Grammatici (ut ſapientiſſimè ait inclytus quidam Præſul) intra ſuum genus ſiſtere debent, neutiquam verò Sacrarum Scripturarum ingredi Sanctuarium, aut Eccleſiaſticorum Authorum, adeò ut ſuper eos veluti ſublimius quoddam dictaturæ faſtigium occupent, aut mutilando, aut addendo quidquid libuerit, aut etiam proprias deciſiones, ſeu potius deliramenta adjiciendo, quibus tanquam oraculis nullus audeat refragari. Hac peſte quamplures potiſſimùm Sectariorum elapſi ſæculi laborarunt; quod totum Gallicè ſic apud eumdem legitur: *La Gremmaire, dit il, doit s'arreſter dans ſes bornes, & n'entrer pas dans le Sanctuaire des Ecritures Saintes, & des Auteurs Eccleſiaſtiques, pour y* *exer-*

Mr. Goden dans ſon Hiſtoire.

exercer une dictature ſouveraine, pour y retrancher ou y ajouter ce qu'il luy plait, & pour donner ſes conjectures, & quelque fois ſes reveries comme des oracles que tous les autres doivent ſuivre. C'eſt ce qui eſt arrivé à pluſieurs heretiques du ſiecle paſſé.

Hujus etiam farinæ ſunt nonnulli ſcioli, vel ſemidocti, qui falſa eruditionis opinione intumeſcentes, Cenſoris munus arbitrariò ſibi vendicant, earum notionum penitùs expertes, quæ ad ipſum ritè obeundum requiruntur; proindeque tantùm abeſt, ut authorum opera, cæteroquin egregia, mendis expurgent, ut eadem potiùs vitient, ac deteriora reddant. Quamplures de re literaria optimè meriti ſuper iſtorum temerario auſu valdè conqueſti ſunt, horumque audaciam tandem aliquando infringi exoptarunt, utpotè literariæ Reipublicæ oppidò infeſtam. Quocirca Juſtus Lipſius conſulebat, ut ſingulis citra vigeſimum quintum ætatis annum Correctoris munus prorſus inhiberetur, & tranſgreſſores velut intruſi haberentur, eorumque emendationes nullatenus in acta publica redigerentur. Verùm hanc legem præſcribere quis valeat? Non enim ſemper in hoc ætas attendenda eſt, ſed hominum potiùs ingenia. Præterea quis in hoc Judex erit? Reſpublica literaria ſtatus amplæ libertatis perhibetur eſſe, in quo unuſquiſque patritium jus habere præſumit.

2. Satis non eſt generalem quandam illius materiæ notitiam gerere, unde dubium, quod controvertitur, reſolvendum erit, ſed inſuper puncto, quod agitatur, peculiariter ſtuduiſſe oportet. Ut egregius Theologus quis cenſeatur, ſingula, quæ facultas Theologica complectitur, ad unguem intellexiſſe neceſſum eſt; multa enim vel a doctioribus plerumque ignorari contingit. Quare priuſquàm circa difficultatem aliquam peremptoria feratur deciſio, operæ prætium eſt eam in fonte, hoc eſt apud Authores de ipſa ſpeciatim agentes, ſeriò, & exactè perpendere.

3. His gnaviter expenſis, rationes ad trutinam redigendæ erunt, ut quid ultimò ſentiendum ſit innoteſcat. Quòd ſi nulla earum efficax comperiatur, ſuſpendendum eſt judicium, & ſimplici conjectura utendum. Summa quippe moderatione, atque animadverſione eſt opus, tum præſertim, cùm propriam ſententiam in lucem edere cogimur, cui multi facilè mox poſſunt ſubſcribere. Cautiſſimè pariter procedendum eſt dubia proponendo in materiis, quæ ſunt alicujus momenti; quandòquidem dubium vel à vulgari Authore propoſitum, complures alios facilè trahere poteſt ad abſolutam ejuſdem deciſionem.

Verùm ſi aliquando ſumma moderatione utendum, in rebus potiſſimùm ad orthodoxam fidem ſpectantibus ea ſervanda erit. Meminiſſe jugiter oportet, Catholicam Religionem non artem aliquam, aut naturalem ſcientiam eſſe, in qua ſingulis arbitrariò liceat inveſtigare, fingere, mutilare, vel quidquam adjicere. Quamobrem colligere ſat erit, fideliterque conſervare Sacrum traditionis depoſitum, quæ in Eccleſiaſticis monumentis nobis paſſim occurrit. Cæterùm ad Eccleſiam attinet proponere, ac definire, noſtrumque eſt ejuſ-

N 2 dem

dem deciſiones humiliter, ac reverenter amplecti, neutiquam verò ipſa ſophiſticæ cenſuræ ſubjicere. Sacra fidei velamina maximæ nobis venerationi eſſe debent, nec licet ad ipſa, niſi tremebundè accedere; & ſi aliquando quis manum admoverit, ut ea tantillùm aperiat, id reverenter omninò præſtabit, ne velut audax Majeſtatis ſcrutator, opprimatur à gloria. Impudentes iſti irruptores (quemadmodùm ipſos S. Bernardus indigitat) tantum abeſt ut veritatem ſemel aſſequantur, ut potiùs ab ea longè arceantur, & in Cimmerias illas caligines miſerè relabantur, in quibus nihil ipſorum mentibus, præter falſitatem, atque mendacium occurrit. Poſtremò nil citiùs ad divinæ fidei amiſſionem conducit, quàm ipſam curioſè nimis, criticèque velle diſcutere. Hujuſcemodi farinæ viros ad unguem expreſſit S. Hilarius Pictavorum Antiſtes, cùm dixit: *Dum in verbis pugna eſt, dum in novitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de Authoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, propè jam nemo Chriſti eſt; incerto namque doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus perturbamus, aut dum docemur erramus.*

S. Bern. in Cant. ſerm. 62. n. 5.

Lib. 2. ad Conſtantium n. 5.

Secùs autem contingit prudenti, modeſto, verecundoque Cenſori, qui nimirum, præter ſui eruditionem, vix aliud affectat, qui haud minori ſollicitudine proprium cor Sanctis, honeſtiſque virtutibus ornare ſatagit, quàm ſcientiis animum imbuere, qui novitati non ſtudet, ſed cogitationes, aut locutiones ſuas Patrum doctrinæ conformat; hac inquam ratione criticen exercens, in cunctis proficit, ſpiritualem fructum ubique nanciſcitur, & ipſum novo ſemper lumine Deus illuſtrare gaudet.

Sed ut iſtam perfectionis metam aſſequamur, operæ pretium eſt, ut nullus mentis oculos livor obducat, iſque potiſſimùm, unde ad aliorum cenſuram facilè trahimus: Quo morbo juniores quoſdam plerumque laborare conſpicimus, qui cæteris ſapientiores in cunctis ſe eſſe arbitrantes, vel minimam mendam, ut imaginariam, ægrè ferunt, temerèque expungunt, ne dum in vulgaribus Authoribus, ſed & in Patribus ipſis, veneratione his debita planè neglecta. Aliorum opera cenſuræ ſubjicere critices dumtaxat affectu, quamdam animi imbecillitatem arguit, ſeu potiùs genii pravitatem. Illa ergo ſolùm eſt exercenda ob majorem in ſcientiis profectum, vel ut ad iſtas faciliores pateant aditus. Accedit inſuper, ſubtiliùs, aut ſcrupuloſiùs, quàm par eſt, nihil in Authoribus inveſtigandum, ne totum vitiari potiùs, quam emendari contingat.

Præter tres conditiones jam recenſitas, valdè refert, criticæ operam dantes negativo argumento tempeſtivè, & appoſitè uti; rectus namque iſtius uſus aliquoties plurimùm juvat, præſertim verò ad eludendum commenta, ab impoſtoribus, ut nos decipiant, ſæpenumerò conficta, quæ licèt negativo tantùm argumento confutari queant, cavendum tamen eſt, ne hac argumentandi ratione quis abutatur, ſi nimirum in ipſa modum non ſervet.

Quod

Quod ut planè intelligatur, animadvertendum eſt, duplex argumenti negativi genus poſſe diſtingui ; quædam enim ſunt purè negativa , alia verò poſitivum quid mixtum habentia . Argumentum merè negativum eſt, ſi exempli gratia dicatur : Vocabulum Extremæ Unctionis nullum apud Authorem legitur ante duodecimum ſæculum ; ergo Prudentii Epiſcopi Trecenſis Textus in Vita S. Mauri, ubi ejuſmodi dictio habetur, procul dubio adulterinus erit.

Argumentum verò negativum cum poſitivo mixtum erit, ſi dicatur: Nullus Author ante Martinum Polonum meminiſſe legitur Joannæ Papiſſæ, omneſque Authores Synchroni, & qui ad ipſam ſequuti ſunt, uſque ad dictum Martinum, immediatè poſt Leonem IV. ponunt Benedictum III. neutiquam verò Joannam ; ergo hæc præſumpta Papiſſa merum eſt commentum à præfato Martino confictum. Quod negativum in iſto argumento videtur, eſt: Nullum Authorem ante Martinum, præſumptæ illius Papiſſæ meminiſſe; quod verò poſitivum, eſt : A cæteris quibuſve Authoribus Benedictum III. proprio ſuo loco cenſeri immediatè poſt Leonem IV. facilius autem eſt ex primo, quàm ex ſecundo argumentandi genere, in paralogiſmum incidere. Quare ne in praxi argumenti merè negativi fallamur, neceſſum eſt nedum ſingulos evolviſſe Scriptores, ex quorum ſilentio tale argumentum eruitur , ſed inſuper nullatenùs ambigere , num aliqui nobis deſint, qui fuerint ipſis contemporanei ; contingere namque poteſt, quòd Author, cujus ſcripta ad nos uſque minimè devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen à cæteris fuerit prætermiſſa. Prætereà manifeſta quadam ratione certi ſimus oportet, quòd nihil de iis, quæ evenerunt, in materia de qua agitur, Scriptorum illius ævi, qui nobis ſuperſunt, ſolertia præterierit. At verò loquendo de altera negativè argumentandi ratione, minùs inde paralogiſmos ſuſpicabimur ; enimverò ex poſitivo, quod cum iſto argumentationis genere nectitur, quidquid negativum eſt, valdè roboratur.

Cæterùm ſæpiſſimè evenit , quoſdam primam negativè argumentandi rationem vehementi adeò, furioſoque impetu proſequi, ut firmiores etiam , atque inconcuſſas veritates ex hujuſmodi ratiocinii abuſu condemnet. Sic exempli gratia, Author diſſertationis de Hemina in ſecunda editione ſui Operis, ut oſtendat, Sanctum Benedictum de Communione Euchariſtica neutiquam loqui, cum nempè cap. 38. ſuæ Regulæ Mixtum lectori concedit propter Communionem Sanctam, unum ſuperaddit tamquam indubitatum, animadverſionem ſcilicet non expuendi aliquamdiu poſt Sacram Communionem, prorſus inauditam fuiſſe Divi Patris Benedicti ævo , ſæculiſque ante ipſum elapſis . En argumentum merè negativum ; Ad quod confutandum, ut revera factum eſt , ſat erat præcautionem dictam propriis expreſſam terminis in Regula Magiſtri indicare, qui ſeptimo vivebat ſæculo, immediatè poſt illud S. Benedicti; item in Commentariis Abbatis Smaragdi , qui vivebat nono ; & in aliis pluribus,

qui poſt ipſum fuere. Verùm cum hiſce Authoribus plena fides ab Adverſariis non habeatur, aliud ſuper hoc teſtimonium exigunt ante Sanctum Patriarcham dictum, vel ipſi ſaltem contemporaneum; quod tamen inveniri poſſe abſolutè negant. Sed opitulante Deo, unum opportunè occurrit in Vita S. Joannis Chryſoſtomi, à Palladio Græcè conſcripta, quod quidem fuit ſilentio prætermitum in novæ iſtius opinionis confutatione; in hac quippè vita, juxta verſionem Domini Bigotti, cui editionem iſtam omninò debemus, ſic legimus: Admonebat, ut omnes poſt Communionem, aquam, aut paſtillum deguſtarent, ne cùm ſaliva, aut pituita aliquid è Symbolo Sacramenti præter voluntatem expuerent: ἵνα μὴ ἀκουσίως τῷ σιέλῳ, ἢ τῷ φλέγματι συνεκπτύσῃ τί τι τοῦ συμβόλου.

Hinc autem facilè unicuique compertum eſſe poterit, S. Patrem Benedictum id ipſum præcavere potuiſſe pro Hebdomadario lectore, juxta Magiſtri, & Smaragdi expoſitionem, nec gratuitò germanum præfati textus Regulæ ſenſum à me in præſentia propugnari adverſum noviſſimam nonnullorum interpretationem, prædicto argumento mere negativo, cujus falſitas ex ipſis Palladii verbis palam evincitur innixam.

Multùm igitur intereſt prudenter, ac circumſpectè uti argumento merè negativo, præſertim verò in materiis, quæ ſunt alicujus ponderis, ac momenti; facillimum quippe eſt inde hallucinari, ex nimia videlicet fiducia, qua cuncta legiſſe, atque notaſſe aliquando præſumitur. Hinc tamen non obſtat, quin in ſimilibus caſibus liceat prudenter dubitare, uſque dum novum aliquod lumen menti obveniat vel ad conceptum dubium proponendum, vel ad ipſum affirmativè, aut negativè ultimò reſolvendum. Legi poteſt, prout ad rem hanc liber à doctiſſimo Thiertio editus, in quo agit de valore, & authoritate argumenti negativi.

Opus nunc eſſet ad ſingulares materiarum differentias deſcendere, & regulas innuere ad rectam de ipſis criſin habendam. Verùm quia de hoc jam alibi, cùm de Patribus, & Hiſtoriis actum eſt, idcircò plura hìc non recenſebo.

Hoc tantùm adjiciam, tribus videlicet, aut quatuor modis comperiri poſſe, num opus aliquod hujus ſit potius, quàm alterius Authoris; nimirum ex manuſcriptis, ex uniformitate, aut diverſitate ſtyli, præſertim verò doctrinæ, ac opinionum; ex cæterorum Authorum teſtimonio, à quibus dictum opus identidem citatur; tandem ex geſtis, quæ in ipſo enarrantur. Si enim quatuor iſtæ conditiones ſimul occurrant, vix fieri poteſt, quin ex ipſis dubium omninò reſolvatur. Sic exempl. grat. ſi aliqua manuſcripta exiſtimatione digna, eaque in primis, quæ magis Authori coæva videntur, in fronte, vel etiam in calce Operis, nomen ejuſdem gerant; ſi ſtylus fuerit ubique conformis alteri cæterorum Authoris Operum, ſicut & principia, ac opiniones; Si Scriptores, ſive Synchroni, ſive penè Synchroni, ejuſmodi opus eidem Authori certò adſcribant; ſi denique nihil

geſtum

geſtum in hoc opere legatur, quin cum hiſtoria ſui ævi concordet, tunc inquam extra omnem dubitandi rationem abſolutè dici poterit, opus iſtud ad Authorem talem pertinere; ſecùs verò ſi aliqua harum conditionum ipſi defuerit, tunc etenim quædam ſaltem foret ſuſpicandi ratio.

Non inficior tamen multùm ſæpenumerò contendi ſuper uniformitate, aut diverſitate ſtyli. Et ſanè mirum videtur, tot fermè ſuper hoc hominum eſſe ſententias, quot capita, tum potiſſimùm, cùm ex diſputationis fervore animus diſceptantium rapitur ad reclamandum proprio Authori opus, de quo agitur.

Multifarius iſte Doctorum ſenſus multiplici poſſet exemplo demonſtrari. Unum itaque, vel alterum referam. Primum liquet ex oppoſita duorum ſapientum ſententia circa Homilias, quæ apud nos extant, in Apoſtolorum Acta, Divi Joannis Chryſoſtomi nomine inſcriptas. Deſiderius Eraſmus, & Jacobus Billius, Græcè quidem, ac Latinè docti ambo erant, ſtylique elegantioris apprimè ſtudioſi; & tamen ſi fides Eraſmo habeatur, nullum ex S. Doctoris Operibus ignobilius legitur, quàm ejuſdem Homiliæ. At verò ſi Abbatem Billium conſulamus, nihil ejuſdem S. Patris ſtylo videtur conformius. Proprius iſtorum Authorum ſenſus ex ſingulorum in dicendo energia unicè liquet. Eraſmum itaque audiamus in Epiſtola ad Tonſtallum: *Ex Chryſoſtomo in Acta verteram Homilias tres: cujus operæ me pœnituit, cùm nihil hîc viderem Chryſoſtomi. Tuo tamen hortatu recepi codicem in manum; ſed nihil unquam legi indoctius. Ebrius, ac ſtertens ſcriberem meliora. Habet frigidos ſenſiculos, nec eos commodè poteſt explicare.* Quid unquam acrius ſcribi poterat? Verum quidem eſt, quòd alibi de ipſo circumſpectiùs effatur; hinc tamen non relinquitur, quin hæc Eraſmus ibi loquatur. At verò Abbas Billius, etſi minori verborum copia, haud diſſimili tamen efficacia ſic ſentit oppoſitum: *Græco codice*, inquit, *nihil fingi poteſt elegantius, nihil quod Chryſoſtomi phraſin melius referat.* En duo aſſerta ſibi invicem manifeſtè contraria. Et licèt Henricus Savilius autumet, Abbatem noſtrum ex peculiari quodam affectu, ac propenſione loqui; attamen credibile non eſt, tantum virum hinc adeò cæcutiſſe, ut ſemetipſum in hoc planè neglexerit. Præterea huic ſententiæ favet etiam Caſſiodorus, qui præfatas Homilias Sancto Joanni Chryſoſtomo indubitanter adjudicat. *Inſtitut. cap. 9.*

Præclarum inſuper de hac extravaganti hominum opinione circa Authorum ſtylum exemplum habemus ex eodem Eraſmo, & Domino Rigaltio, quorum primus citra omnem dubitandi rationem arbitrabatur, Tertulliani librum de pœnitentia huic gratis prorſus adſcribi, ob manifeſtam ſtyli diverſitatem. Quod etiam Beato Rhenano perſuaſit. Verùm ex oppoſito D. Rigaltius tuetur, quempiam in Africani hujus Doctoris lectione paululùm verſatum, neutiquam poſſe ſtyli uniformitatem ignorare, quam prædictum opus unà cum cæteris ejuſdem Authoris ſervat. En tibi duas diametro quidem oppoſitas ſententias de una, eademque re, à præfatis Doctoribus propugatas.

Quinimò vel ipſa venerabilior antiquitas ab iſto non fuit defectu prorſus immunis; ex illuſtrioribus quippè Authoribus, de quibus jure ipſa gloriatur, Origenem, Juliumque Africanum novit ſuper Suſannæ Hiſtoria planè oppoſitum inter ſe fuiſſe opinatos; Africanus ſiquidem inter apocryphas, ac ſuppoſititias illam recenſebat, eò quòd ejus ſtylus alteri Danielis Prophetiæ videretur omninò diſſimilis. Ex oppoſito verò Origenes nullum penitus diſcrimen ibi intercedere aſſeveranter ſentiebat. Quis porrò ſubinde mirabitur, ſi hac etiam tempeſtate plerique de re literaria longè meritiſſimi, ſuper ſtylo Bertramni de Sacramento Euchariſtico, & altero de vocatione gentium, adeò contenderint, ut nonnulli Sancto Leoni, alii verò Sancto Proſpero, utrumque adjudicarint?

Verum enimverò omni ſepoſito livore, & cujuſvis pathematis ſublato velamine, unius etiam, & ejuſdem Authoris ſtylus multifarius quandoque dignoſcitur; in aliquo namque interdum opere, qua elegantior, quave neglectior apparet; quemadmodùm in Patrum homiliis ſæpè notatur. Præterea unus, idemque Author jam ætate confectus, videtur ſibi ipſi, cùm adhuc junior eſſet, plerumque diſſimilis. Quinimò magna è contrario in Authorum ſtylo uniformitas ſæpenumerò cernitur, qui ſibi Syncroni extitére; quod tamen niſi maturo quis fuerit ingenio præditus, Scriptorumque peritiſſimus, ægrè comperiet. Denique Didaſcalorum ſtylum Diſcipulos ad unguem fuiſſe aliquandò imitatos minimè latet, ut liquet in Nicolao Clarevallenſi, qui illum Doctoris Melliflui planè eſt aſſecutus. Hinc itaque arguitur, non ſemper ſtyli uniformitatem, aut diverſitatem, argumento nobis eſſe ineluctabili ad judicandum de legitimo alicujus Operis Authore, niſi conditiones reliquæ, ac conjecturæ interſint jam recenſitæ.

Sed in primis nihil magis in Criticæ uſu cavendum erit, quàm pathematum, ſeu affectuum quorumcumque illuſio, unde multoties aliquid aut inficiari, ut in dubium vertere cogimur, quod alioquin in ſe eſt planè perſpicuum. Ut autem qua ratione id fiat intelligatur, Virum doctiſſimum id egregiè explanantem audiamus: „ La paſſion „ ne fait pas juger poſitivement que ce qui eſt évidemment uray ſoit „ faux ce n'eſt pas la maniere dont elle s'y prend: Mais elle favori- „ ſe tous les doutes pour peu raiſonnables qu'ils ſojent: Si elle n'a „ pas des Sujets particuliers de douter des veritez qu'elle n'aime „ pas, elle fait valoir certaines raiſons generales, qui portent à dou- „ ter de tout. Il y a bien des choſes, dit'on, qui paroiſſent miracu- „ leuſes, & qui ne le ſont pas. On ſe trompe treſſouvent en matiere „ de Miracles. Qui ſcait toutes les fins que Dieu peut avoir en les „ operant par les hommes? Sur ces raiſons generales elle met le „ point, dont il s'agit, au rang des choſes douteuſes: & ſur cela „ elle met à part ces veritez, comme n'etant pas ſuffiſamment prou- „ vées. Elle s'arréte à ſa prevention, en évitant d'enviſager les rai-

„ ſons

„ ſons qui luy en pourrojent faire voir la fauſſetè, & s'occupe unique-
„ ment de celles qui la favoriſent. Ainſi en augumentant d'une part tou-
„ tes les raiſons de doute, en ſe cachant toutes les preuves de la veri-
„ tè, en s'appliquant fortement aux lumieres trompeuſes favorables à
„ la fauſſetè, on vient à rejetter des veritez trés évidentes par elles
„ memes, & l'on demeure attachè à des fauſſetez, claires & certaines.
„ C'eſt ainſi que les Heretiques agiſſent, en préferant des ſectes de-
„ ſtitués de raiſons ſolides à l'Egliſe Catholique, quelque environnée
„ qu' elle ſoit de preuves & de lumieres. C'eſt enfin de cette manie-
„ re que ſe prennent tous les faux partis, où l'on ſe porte par le
„ poids de paſſion. Humanæ mentis livor non quidem ad aſſerendum inclinat, falſum abſolutè eſſe, quod verum ab omnibus palàm cognoſcitur. Hæc inquam ejus neutiquam eſt operandi praxis; ſed cuilibet vix apparenti dubio ſtatim patrocinari gaudet. Si aliquando de veritatibus, quæ ipſi ſunt odio, peculiaris non adeſt dubitandi ratio, alias quaſdam univerſales approbat, quæ ad ambigendum de omnibus paulatim conducunt. Quamplura, inquit, miraculoſa videntur, quæ tamen naturæ univerſalis limites non excedunt; Noſque ſæpiſſimè fallimur dijudicando miracula. Quis univerſas mente rationes comprehendere valeat, quæ Deo ineſſe poſſunt illa per homines patranti? Hujuſcemodi inquam generalibus fundamentis innitendo, punctum ipſum, quod controvertitur, in rerum incertarum atque imperceptibilium ſeriè reponit, ac proinde prædictas etiam veritates à reliquis ſegregat, velut inſufficienter demonſtratas. Opinioni propriæ adeò indulget, ut rationes in oppoſitum, unde illius falſitas evinci facilè poſſet, nullatenus exaudire velit, eaſque dumtaxat celebret, quæ ſibi ex genio magis arrident. Sic ergo quaſlibet ſuſpicandi rationes in unum congerendo, omneſque veritatis demonſtrationes occultando, denique paralogiſmis, unde falſitas magè roboratur, mordicùs adhærendo, veritates, cæteroquin in ſe manifeſtiſſimæ, temerè proſcribuntur, & aperta mendacia pervicaciter defenſantur. Iſtam potiſſimùm methodum ſervant etiamnum Hæretici, proprias ſectas, ſolidis carentes rationibus, Eccleſiæ orthodoxæ, omni quaquaverſùm demonſtrationum lumine circumfuſæ, præferendo. Poſtremò hinc eſt, cur falſis opinionibus plerique acerrimè patrocinentur, eò quod propriæ mentis oculos livor miſerè obducat.

Me utique non fugit, defectum dictum præcipuè in Moralium diſcuſſione dubiorum occurrere; hinc tamen non relinquitur, quin & in ſpeculabilium ſcientiarum materiis perſæpè contingat, tum præſertim, cùm ex diſputationis fervore opinionem aliquam, cui jam ſe obſtrinxit, quis ſuſtinere cogitur; vel etiam cùm ex alicujus novitate ſyſtematis, ingenioſè à nobis præconcepti, philautià aſſentante, hallucinamur. Innumera id genus alia ſubdola blandimenta ſuperſunt; quibus ad paralogizandum ſæpenumerò trahimur, ut videre eſt in libro de arte cogitandi, parte 3. cap. 19. ubi ſingillatim traduntur.

CA-

CAPUT XIV.

De Collectionibus, ſive Compilationibus.

CUm humana memoria anguſtiſſimis ſit concluſa limitibus, neceſſum omninò eſt, eos, qui nonnihil in ſtudiis proficere cupiunt, collectionum ope huic defectui occurrere. Quinimò vel ipſi, qui ea eximiè pollent, à collectionibus concinnandis neutiquam debent eſſe immunes; futurum enim eſt tandem, ut vel inviti illa priventur, & ingens earum idearum copia depereat, quas olim mente conceperant. Paucos profectò novimus, qui annorum circiter octoginta ætatem attingentes, poſſint de memoriæ indemnitate gloriari, quemadmodùm eruditiſſimo cuidam viro dudum feliciter eveniſſe legimus; ut plurimùm enim ſeneſcente vita, illa quoque nobiſcum intercidit.

Operæ igitur pretium eſt collectiones aliquot conficere, ut quæ digna notatu inter legendum occurrunt, in iis exarentur, ne aliquando eorumdem penitùs oblviſci cogamur, ſi nempe labili, fluctuantique memoriæ ſolùm commendentur. Ne dum verò quæ à nobis leguntur, paſſim delet oblivio; quorum tamen denuò meminiſſe poſſumus, ſi eorumdem Authorum lectio identidem repetatur, ſed etiam propriæ, ac ſpontaneæ meditationes memoria interdum excidunt; quas dein in caſſu ſæpè reminiſci nitimur, ubi ſemel eas calamo notare neglеximus. Imprælentiarum ergo inquiritur qua ratione collectiones iſtæ ſint elucubrandæ, & quænam materiæ debeant in ipſis comprehendi.

Multifariàm collectiones fieri poſſunt; ſed opportuniorem, utilioremve ipſarum methodum præſcribere valdè operoſum eſt; ſuus enim unicuique modus ineſt, ac diſpoſitio. Quamobrem ſat erit duas, aut tres earum rationes, modoſque innuere in præſenti, ita tamen ut ſingulis liberum ſit aptiorem ſibi viſam deligere.

Prima methodus, quæ apprimè utilis, atque expedita videtur, eſt: Quidquid notatu dignum in alicujus lectione Authoris occurrit, continuata ſerie in quaternionibus exarare, titulum aliquem innuendo, exemp. grat. Ex lib. Tertulliani de pudicitia; ſub quo deinde dogmata ſelectiora, in Codice inventa, ſcribentur, aliquid in margine breviter adjiciendo, indicans cujuſvis annotationis finem, ut mox in ictu oculi ſingularum paginarum materiæ innoteſcant, abſque eo quod ſingula per extenſum relegere oporteat.

Peracta dein alicujus Tractatus compilatione, analyſis quædam, vel epitomen fieri poterit, indicando Authoris ſcopum in tali Tractatu intentum, puncta item præcipua, de quibus agit, unà cum rationibus quibus innititur, ut ea ſuſtineat; quam methodum tenuit Photius in ſua Bibliotheca, nullo, vel tempori, vel materiarum, ordine ſervato, in 280 Authorum compilatione, quorum compendium refert.

Modus hic pluribus ſcatet emolumentis, quorum primum eſt: quia minùs inde occupatur animus, ac in aliis, in quibus annotationes pro-

proprias opus eſt ad varia loca referre. Secundum, quia ſi Tractatum jam lectum quis iteratò velit inviſere, id momento præſtare poterit, cùm materiæ non interrupta ſerie notentur. Tertium, quia non videtur indè neceſſe ad iſtarum collectionum lucubrationem ingentem papyri molem abſumere, eò quod folia, vel quaterniones quaquaverſùm non interruptè ſcribantur. Abs re tamen non erit plures in promptu quaterniones habere, cùm nimirùm varia eodem tempore leguntur volumina, ſive diverſorum Authorum Tractatus, ne ſingulorum Collectiones, quæ identidem fient, interceſentur, aut confundantur.

Ad rem inſuper erit quaternionem ſeorſim habere, in quo lectionum, quæ obiter, atque extemporaneè fient, compendia miſcellaneè ſcribantur, variæque ponderationes, ſeu meditationes, extra lectionem menti obvenientes.

Unum tamen eſt, quod in iſtius methodi praxi negotium faceſſit, nimirum, quod ſi aliqua ſuper materia componendum ſit, paginas ſingulas perluſtrare oporteat ad explorandum, num aliquid forsaſſe collectionibus inſit, menti elucubrantis opportunum. Verùm id incommodi vitari facilè poterit, ſi vel paulatim materiæ ad loca quædam topica redigantur, vel alphabeticus index iſtarum collectionum exaretur, vel denique ſi in calce ſingularum annotationum locus indicetur, quo alia ejuſdem materiæ deinceps notabuntur. Sic exempli gratia, ſi pagina prima effatum aliquod circa pœnitentiam contineat, & alibi pagina verbi gratia quarta, aliud ſuper eadem materia notatu item dignum occurrat, in calce primi alterum paginæ quartæ ſic indicabitur: Vide pag. 4. & ſic de cæteris.

Secunda methodus erit, ſi Codex ſeorſim præparetur, in quo ſingulæ ſyllabæ ordine alphabetico diſtribuantur in paginarum apicibus, ita ut in binis, aut ternis, juxta ipſarum numerum, eadem ſyllaba repetatur. In hoc inquam codice annotationes ſingulæ, ordine alphabetico ſervato, diſponi poterunt; ut putà: Si ſub hac voce, Abbas, aliquid notandum occurrat, ſub ſyllaba, Ab, ſcribatur, librum indicando, unde deſumptum fuerit, & vocem, Abbas, in margine.

Tertia demùm methodus eſt, ſi ordine alphabetico diſtribuantur in aliquo codice nonnulla vocabula generalia, ut putà: Abſtinentia, Baptiſmus, Continentia &c. ſub quibus cuncta juxta proprias materias ſingillatim ſcribantur.

Ne autem paſſim, annotationes ſcriptitando, lectio, quæ fiet, interrumpatur, exigua madidæ papyri fruſtula ſtatis locis impreſſi voluminis appingi poterunt, vel etiam plumbeo ſtylo, ſi libri ſint proprii, quæ fuerint exſcribenda, aſteriſco notari, ut completa dein lectione, ſingula propriis locis diſponantur. Quòd ſi libri, qui leguntur, communes fuerint, & cùm libuerit facilè obtineri queant, ſat erit ea loca tunc breviter notare, innuendo principium, medium, aut finem paginæ in qua ſunt, ut cùm ſe prodet occaſio, præſtò eſ-

ſe

ſe poſſint legenti: Secùs verò ſi rari, aut in noſtra non fuerint poteſtate: tunc ſiquidem ſatius erit ſingula omninò ſcriptis tradere. Hanc collectionum concinnandarum normam ad praxim egregiè redactam, cernere eſt apud Patrem Creſpetum Cœleſtinum Pariſienſem, ſub titulo: De Summa Fidei Catholicæ, impreſſam Lugduni apud Joannem Pillehotum, anno 1598. ſtudio, & cura Patris Caroli Champigny, pariter Cœleſtini Pariſienſis, qui poſtmodùm Congregationis S. Mauri inſtitutum amplexus, in eadem naturæ conceſſit.

Sunt nonnulli viri celebres, qui poſtquàm proprias annotationes haud interruptè ſcripſerunt, juxta primam methodum, de qua ſupra, Collectiones ſuas eo ordine diſponunt, quo compoſita eſt Summa Doctoris Angelici, vel Decretum Gratiani. Modum hunc adamuſſim ſervaſſe videtur Pater Hieronymus Torrenſis Jeſuita in ſua Confeſſione Auguſtiniana, quam ex operibus S. Auguſtini deprompſit, & in corpus Theologicum redegit. Eſt autem hujuſcemodi opus perquàm egregium, longeque utilius, quàm milleloquium S. Auguſtini; licèt hoc modico non ſit emolumento.

Cap. 3. par. 2. Ex Antiquis Eugipius Abbas, ut jam alibi vidimus, Collectiones ex Sancto Auguſtino congeſſit ad Chriſtianas virtutes attinentes. Beda Venerabilis idipſum præſtitit, referendo ad Divi Pauli Epiſtolas. Denique Paterius ſpeciem quamdam continuati Commentarii edidit in univerſam Sacram Paginam, verbis Sancti Gregorii Magni ubique contexti.

Quantum ad ea, quæ colligere magis congruit, unuſquiſque proprium inſtitutum, animique propenſionem debet apprimè conſulere. Verùm cùm hæc ad Monachorum profectum potiſſimè ſcribam, ad quatuor capita univerſæ collectiones redigi ab ipſis poterunt, hoc eſt: ad fidei dogmata, ad Ethicen Chriſtianam, ad diſciplinam, & ad Hiſtoriam, ſive Eccleſiaſticam, ſive Monaſticam. Hinc tamen non eſt, quòd ſinguli univerſas haſce materias ſimul complecti debeant; unuſquiſque enim juxta propriam indigentiam, atque diſpoſitionem, uni, vel pluribus earum operam navare poterit. Monachi tamen, quibus onus incumbit frequenter de rebus moralibus publicè loqui, ſtudium, & operam in dictis materiis maximè debent impendere; imò etiam ex aliis, ſi libuerit, fuerintque idonei, poterunt plura depromere. Idipſum de iis dicendum videtur, qui ad pietatem peculiariter inclinant; ea namque colligere ſatagent, ex quibus divina in propriis cordibus Charitas unicè nutriatur, neglecto cujuſcumque alterius materiæ alimento.

Fortè poſtulaveris, num junioribus expediat collectanea conſcribere antè ſtudiorum ſuorum conſummationem; cùm ſiquidem ſufficienti adhuc non ſint literatura præditi, nec ingenii maturitate polleant, collectiones, quas fecerint, ipſiſmet inutiles proculdubio videbuntur, cùm ætate provectiores, ingenioque maturiores evaſerint. Nonnullorum tamen oppoſitum ſuſtinentium pace, arbitror

vel

vel à tyronibus Collectiones aliquas eſſe elucubrandas; quandoquidem licèt ipſis diu prodeſſe nequeant, in id tamen conducent, ut præſtantiora dignoſcere, mentique vividiùs imprimere ſenſim aſſueſcant. Quinimò exercitatione continua dietim creſcet in ipſis delectatio, adeò ut ex ſuis laborum primitiis perfectè tandem colligendi modum nanciſcantur. Latinæ linguæ Didaſcali tyrones ſuos, tametſi artis bene dicendi, ac præceptorum eloquentiæ adhuc ignaros, aliqua paſſim componere docent, Themata namque, ſeu argumenta ſolent ipſis principiò tradere, quæ poſtmodùm licèt ætate provectioribus nulli ſint uſui, adoleſcentes tamen eò paulatim dirigunt, ut tandem elegantioris ſtyli methodum aſſequantur.

Ne autem adoleſcentes tempus in ſuis collectionibus incaſſum terant, præſtat, eos modum aliquem principio edoceri, quo velut apes argumentoſæ paulatim ſciant ex Authoribus utiliora ſeligere. Quocirca non quidquid primo intuitu ſingulare ipſis, egregiumque videbitur, propriis Collectaneis debebunt inſerere; cùm enim maturo intellectu careant, facilè etiam à pluribus, quæ in præclaris lectitabunt Authoribus, allici poterunt, præſertim verò à nonnullis ſalibus, facetiis, & argutiis meram venuſtatem redolentibus, quibus tamen, & id genus aliis, nihil ferè debebunt inſiſtere, ſed potiùs graviora præfatorum Authorum apophtegmata feriò ponderare.

Hinc tamen non eſt arguendum, loca quædam vividiùs, acutiùs, elegantiùſque expreſſa, prorſus negligenda eſſe. In Authorum, præſertim verò Patrum operibus, laconica quædam effata leguntur, quæ graves, altoſque ſenſus ſæpè concludunt; item reconditiores exprimendi modi, ac politioris eloquentiæ veneres, quarum delectus fieri poterit. Pleraque id genus occurrunt apud Tertullianum, S. Cyprianum, S. Auguſtinum, S. Hieronymum, S. Bernardum, alioſque plures, qui omittuntur. Et ſanè quantam redolet energiam, quod Sanctus Cyprianus in Epiſtola ad Donatum ſcribit: Exempli gratia cùm de ſpectaculis loquens ait: *In tam impiis ſpectaculis, tamque diris, & funeſtis, eſſe ſe non putant oculis parricidas*. Et illud: *Exempla fiunt, quæ jam eſſe facinora deſtiterunt;* ut nimirum indicet, flagitia, ubi primùm in publicum prodierint, cæteris ſubinde ad imitandum proponi. Item in libro Confeſſionum S. Auguſtini verbula illa: *Amicitiæ procelloſæ*, &, *flumen moris humani ;* unà cum aliis, quæ ſequuntur ad horum explanationem. Item illa, quibus ita Deum alloquitur. *Te nemo amittit, niſi qui dimittit*. Præterea lib. 4. de Doctrina Chriſtiana, ut oſtendat quàm modicùm ſæpiſſimè profit valdè elaboratus Concionatorum ſtylus, inquit: Grande genus plerumque pondere ſuo voces premit, ſed lacrymas non exprimit. Et alibi, ut innuat Concionatorem Divini Verbi, rhetoricæ artis ignarum, propriorum morum candore, vitæque innocentia huic poſſe ſupplere defectui, ait: *Sit ei quaſi copia dicendi, forma vivendi*. Quid elegantius Elogio, quod in Divæ Marcellæ laudem S. Hieronymus.

Digitized by Google

mus concinnavit? *In Urbe turbida*, inquit, *invenit Eremum Monachorum. Nihil illius ſeveritate jucundius, nihil jucunditate ſeveriùs, nihil ſuavitate triſtius, nihil triſtitia ſuavius. Ita pallor in facie eſt, ut cùm continentiam indicet, non redoleat oſtentationem. Sermo ſilens, & ſilentium loquens: neglecta mundities, & in culta veſte cultus ipſe ſine cultu*. Innumera id genus alia poſſent afferri exempla, in quibus elegantia ſtyli, ac ſententiarum ſoliditas mirè copulantur, qua ſublata, ſola ſuperſunt verborum lenocinia, quæ reverà nil aliud ſunt, quàm inanis aeris ſonus, attentione noſtra penitùs indignus.

Sed in primis ingenioſis quibuſdam loquendi artificiis utiliter inſiſtendum erit, quibus res, alioquin vulgares, ſublimi quadam ratione exprimuntur. Sic exempli cauſa dicendi artificium, quo Doctor Mellifluus, Incarnationem Verbi deſcribit ſermone 1. de Adventu Domini, & primo de Annunciatione. Item diſputatio auditu digna à S. Iſidoro Peluſiota habita cum Sophiſta quodam Græco, ac Ethnico, quem, licèt apud multos maximam eloquentiæ gloriam obtinuiſſet, ſecum tamen de rebus fidei differentem, & Catholicos irridentem, eò quòd Deum Crucifixum adorent, paucis ita confutavit, ut mutire non ampliùs auſus fuerit. Cùm etenim ille proferret Chriſti Paſſionem, & Crucem, & in riſum ſuper his ſolveretur, S. Iſidorus ipſi modeſtè, ac manſuetè in hæc verba reſpondit: *Unde autem demonſtrare potes, Chriſtum eſſe crucifixum?* Omnibus verò, qui hæc audiebant, admiratione perculſis, & cogitantibus, quidnam intendens Sanctus conficere, id dixiſſet, Reſpondit ille, quaſi victoriam abſque labore jam reportaturus eſſet: *In Evangeliis ſcriptum eſt;* Cui Iſidorus: *at in iiſdem*, inquit, *hoc quoque quòd reſurrexerit, & in cœlos redierit, ſcriptum habetur. Si ergò credis Evangeliis, tam hoc, quam illud affirmantibus fidem habeto; ſin minùs, rem facis abſurdiſſimam, dum alterum quidem amplecteris, alterum verò repudias; nunquid enim ad contumelias, ac probra patulas habebis aures, ad ſplendida autem illa, atque divina obturatas? maximè cum commentitii tui Dii, à Crucifixo ſuperati, manus jam dederint. Si ergo Chriſtus Crucifixus eſt, certum eſt etiam ad Cœlos eundem aſcendiſſe*. Reſponſum aliud ſimillimum a D. Antonio Abbate nonnullis Gentilibus datum, legitur in ejus Vita, S. Athanaſio teſtante.

Iſidor. lib. 4. epiſt. 31.

Lib. 3. epiſt. 64.

Idem Sanctus Iſidorus valdè appoſitè alibi docet, quòd ubicunque ſtyli elegantia à veritate non ſejungitur, plurimi facienda eſt; ſecus verò deſpectui habenda; ſola quippe veritas eloquentiæ, & humanioribus literis pretium addit; & ſi ſemel fuerint veritatis expertes, in minimis habentur.

Ex Authoribus, quibus minùs fidendum videtur, Senecam Philoſophum dixerim, cujus ſtylus leporem quendam, ac venuſtatem redolet, ut junioribus præſertim admirationem conciliet. Quocirca Quintilianus Authorem iſtum ceu ſcopulum infeſtum juvenibus indigitat; quoniam, ut ipſe ait, abundat dulcibus vitiis. Legatur Critica in aliquot Philoſophi iſtius loca, in Tractatu de Principis educatione,

Lib. 1. cap. 1.

ne, libro ſpeciminum moralium inſerto. Cum eodem tamen Quintiliano fateamur oportet, pleraque in dicto Authore gravia, & admiranda reperiri, undè lectorum mentes recreari, & langueſcentia excitari, facilè poſſunt ingenia. Quare maturiori præditi intellectu ipſum non ſine fructu legere identidem poterunt; verùm ipſum planè imitari nullatenus expedit, ſtylum nempè acuminibus, & apophtegmatis undique contextum ſectando; hæc ſiquidem ſcimus eò gratiora, ac jucundiora videri, quò rariùs, ac naturaliùs uſurpantur, ſeu ut idem Quintilianus inquit: *Non captata, ſed velut oblata, tunc præſertim, cùm ſententiarum ſoliditas acrimoniæ in dicendo reſpondet.* Pauca hujuſmodi apud Tullium legimus, & ſi qua ſunt, præfatas omnes conditiones habent; exempli gratia quod adversùs Piſonem ſcribit: Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorem.

Sed ut ad rem noſtram regrediamur, ne tyrones, quibus nova propemodùm univerſa videntur, inanibus compilationibus vacent, abs re non erit 1. Si non ubi primùm notandum aliquid occurrat, calamo exarent, ſed poſtridie, vel etiam perendie differant, ut poſtquàm diu id mente revolverint, ſibique magis, magiſque arridere compererint, tum certò exiſtiment illud reverà notatu dignum eſſe, vel ſaltem quandoque profuturum. 2. Quòd ſi ea, quæ legunt, in longum nimis abeant, non omnia integrè ſcribant, ſed potiora tantùm notent. 3. Quòd nonnulla identidem loca memoriter diſcere aſſueſcant, ut hinc tantumdem imminuatur ſcribendarum Collectionum codex. 4. Demùm, quòd propria interdum collectanea cum ſapientioribus conferant, ut iſtorum conſilio magis proficiant. Ceterùm ipſis ab initio ſatis erit Collectiones juxta primam methodum, utpotè faciliorem, expeditioremque, ſibi conficere: & cùm ut plurimùm adoleſcentes multa polleant memoria, illas lectitare non omittent, ſic quippe menti eaſdem imprimendo, nullo tunc indice opus erit, quem in illa, ceu prima Iſagoge, prætermittere poterunt.

Nedum autem junioribus proprias expedit ſæpè collectiones inviſere, verùm & ætate provectioribus id neceſſarium videtur, ne ſuorum laborum fructu aliquandò priventur. Eas igitur oportet ut ſinguli paſſim reminiſcantur, ſecumque conferant; & non modò ſelectiora vocabula, Authorumque apophtegmata, verùm etiam ſubſtantiam, doctrinæque ipſorum fundamenta operæ pretium eſt ſæpè ſæpius memorari, ut cùm opus fuerit, eas ſibi unuſquiſque aptare queat.

CA-

CAPUT XV.

De Compoſitione, & Traductione.

NAturalis ſciendi, atque ſtudendi ſcopus in eo ſiſtere debet, ut comparatis ſcientiis, cæterorum inde utilitati conſulamus. Scientia prototypon ſuum, ſapientiam videlicet, imitatur, quæ univerſis communicari maximè gaudet; unde Eccleſiaſtici 20. dicitur: *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Cùm itaque Monachi ſcientiis omni ævo nomen dederint, in lucem quoque innumera penè ediderunt opera, quorum plurima nobis ſuperſunt; tantumque abeſt, quòd unquam ſuper hoc objurgati fuerint, ut potiùs eoſdem Eccleſia valdè commendarit, multique ſanctitate celebres pleroſque aſcetarum ad varia lucubranda volumina ſuaſerint, quos nimirum ad id muneris magis idoneos autumabant. Neminem latet quantùm propriis ſcriptis Divus Hieronymus orthodoxæ Eccleſiæ profuerit, quorum pleraque Summorum Pontificum, & Sancti Auguſtini hortatu fuerunt ab ipſo concinnata.

Liquet inſuper, inſtante S. Leone S. R. E. Archidiacono, & ad Summum Pontificatum dein evecto, Caſſianum de Incarnatione contra Neſtorium ſcripſiſſe. Item S. Accæ Epiſcopi precibus Bedam Venerabilem quamplures in Sacram Paginam edidiſſe Commentarios; & tandem, ut paucis me expediam, Divum Bernardum nonniſi multiplici Sanctorum Præſulum, ac illuſtrium Virorum ſuaſione, atque conſilio, ad plura elucubranda fuiſſe compulſum.

Et ſanè, Gilleberto Abbate teſtante, tantùm intereſſe videtur lucubrationes proprias aliorum utilitati conſcribere, quantùm eas concionando juvat palàm enunciare: *Bonum eſt*, inquit, ipſe, *ſi dicantur verba, ſed nihilominùs bonum eſt, ſi ſcribantur; volat enim irrevocabile verbum, niſi ſcripto mandetur. Scriptura verbum & ſtabile facit, & viſibile; mandatum paginæ repoſcetur cùm voles. Bonus depoſitarius eſt liber, integrè quod acceperit reſignans.* Quicumque autem id exequi renuit, tum ſibi, tum poſteris officit, quos tanto privat emolumento. Subdit tamen idem Author, valde laudabilem fuiſſe veterum Patrum Ciſtercienſium cautelam, prohibentium, ne Monachi quidquam audeant in lucem edere, niſi cùm de Superiorum licentia alicui hoc opus permittitur, vel magis cùm ab eo exigitur.

Gilleb. in Cantica ſerm. 47. num. 2.

Aliud præterea ſeriò monet S. Hieronymus, Monachis videlicet ſummopere cavendum, ne ullo cenodoxiæ affectu, quo ut plurimùm urgentur adoleſcentes, citiùs quàm par eſt, ad ſcribendum ducantur: *Ne ad ſcribendum citò proſilias*, inquit Sanctus Doctor, *aut levi ducaris inſania: Multo tempore diſce quod doceas.* Legatur ejus Epiſtola ad Ruſticum Monachum, in qua ritè vivendi normam, juxta proprium ſingulorum inſtitutum, Monachis præſcribit. Idipſum pariter

ter novo cuidam eloquentiæ Candidato ſervandum præcipit Quintilianus: *Ante rectè diſcet dicere, quam cito.*

Tertiò poteſt adjici, nihil à Cœnobitis in lucem edendum eſſe; quin vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ, vel ſaltem cæteris Sodalibus ſit profuturum. Studia, & Opera inutilia univerſim quidem ab omnibus vitanda ſunt, ſpeciatim verò à Monachis; quare quidquid ad fidei augmentum, morum rectitudinem, Eccleſiæ, Reipublicæ, ac Monaſticæ vitæ bonum, ſcientiarum demùm incrementum, minimè contulerit, floccipendendum erit. Lib. 2. c. 4.

Artes præterea, ſcientiaſve exciperem, curioſitatem potiùs, ac voluptatem, quàm fructum gignentes, Poeticen nempe, Muſicen, Opticam, Aſtronomiam, Orientales quoquè linguas, Hebræa dempta, ut potè ad Sacrarum Scripturarum captum quodammodò conducente; à fortiori autem Chimicam, Lapidem Philoſophorum, artem Raymundi Lulli, quæ merum eſt commentum, Aſtrologiam judiciariam, Chiromantiam, & alia divinationum genera, quæ reverà nil aliud ſunt, niſi Paganiſmi reliquiæ. Tempus profectò inutiliter tranſigunt, quod nobis à Deo ad pœnitendum conceditur, nec non à proprio inſtituto longè recedunt, quicùmque ejuſmodi ſcientiis incumbunt.

Quoſdam præterea, ſive Philoſophicos, ſive Theologicos Tractatus componere, qui ut plurimùm non ſunt, niſi verborum congeries; linguas perpetuùm diſcere, nullo cum onere quemquam edocendi, nec ad alia intelligenda eas ordinare, Itineraria, & Hiſtorias jugiter legere, ſolùm percipiendæ voluptatis gratia, quid inquam ſunt niſi labores irriti, pretioſique temporis jactura?

Satius reor indulgendum otio, quam Poemata texere, quæ multùm non excellant; præſertim verò cùm diu in Poetarum lectione ad illorum compoſitionem immorandum eſt. Hinc tamen perperam argues, vanum omninò eſſe Poeſeos leges addiſcere, Poetaſque ſcire, aut etiam carmina interdum concinnare. Exploratum quippe habemus, vel à priſcis Monachis aliquot fuiſſe compacta, ut à Marco S. Patris Benedicti Alumno, qui ejuſdem Vitam metricè exaravit; item à Paulo Diacono, & aliis. Suo non caret fructu Poeſis, ea præcipuè utentibus, quatenus ſpecioſiores, vividioreſque veritates, quæ majoris ſunt momenti, adumbrentur, virtutes illuſtrentur, vitiorumque horror egregiis imaginibus, figuris, vocibus, & periodis exprimatur; inquit enim Tullius primo Tuſcul. *O præclaram emendatricem vitæ Poeticam!* Verùm hoc opus hic labor eſt; adeò enim pauci in hoc metam attingunt, ut ſatius ſit ad aliquid gravius, ſolidiuſque incumbere, quàm diù Poeſi vacare, ineptique Poetæ nomen tandem ſortiri, qualis reverà cenſetur quiſquis Poetices in arte non excellit.

Tempus demum inaniter conterit, qui cuncta ſcire, aut legere ſatagit; vano ſiquidem labore hinc potiùs vires deprimuntur animi, longèque majora negliguntur, quæ utique forent proprio inſtituto magis conſentanea. Quocirca Quintilianus ait: *Perſequi quidem quod quiſque*

unquam vel contemptiſſimorum hominum dixerit, aut nimiæ miſeriæ, aut inanis jactantiæ eſt, & detinet, atque obruit ingenia meliùs aliis vacatura.

Quintil. lib. 1. c. 8. Verùm ad aſſumptum noſtrum redeamus, dicamuſque quarto, Regulares ſuapte ſpontè operibus vacantes, in primis quæ parum opportuna videntur, id exequi debere, ut tamen cætera minimè negligant, ad quæ ex proprio inſtituto tenentur. Quamobrem veteres Patres Ciſtercienſes meritò ſuis inhibuerunt ut ſupra: *Ne ſcilicet quis, dum in onere ſibi non impoſito occupatur, otietur ab impoſito.*

Quinimò ipſimet, qui vel ex majorum ſuorum imperio ſeriis, diuturniſque operibus addicuntur, communibus cæterorum ſodalium oneribus minùs quoad poterunt immunes ſe reddere debent, Bedæ Venerabilis, priſcorumque Patrum noſtrorum exemplo. Propterea certò ab ipſis jugiter exiſtimandum eſt, utcumque propria ſtudia ſibi, vel aliis ſint profutura, nihil tamen ad ſpiritualem profectum magis conducere, quàm proprii inſtituti partes ritè perſolvere; modicùm enim ipſis proderit in tremendo judicio egregia lucubraſſe volumina, niſi religioſè vixerint, majoraque pietatis opera cumularint. Equidem fateor operoſum valde eſſe, ne impoſſibile dixerim, laborioſis, diuturniſque inſudare operibus; abſque ulla prorſus immunitate; attamen qui eximitur, veluti coactè, atque invitè immunis cæteris ſaltem videatur oportet, ita ut opera, quibus addicitur, libentiùs omitteret, quàm quidquam vel minimum de communioribus cæterorum ſodalium oneribus intermittere.

Hinc porrò Regularium Prælatis ſummoperè cavendum eſt, ne ad id genus munia unquam occupent, præterquam pios, & humiles corde viros, qui nimirum proprii ſpiritus ariditatem, elationem, vel denique imminentem animi diſſipationem declinare valeant, quæ in hoc ſtudiorum genere, præſertim verò inter componendum, ægerrimè vitantur. Quapropter qui ſuapte ſpontè provinciam hanc ſuſcipiunt, eo ipſo ad id muneris parum videntur idonei. Qui enim fieri poſſit, ut diſciplinæ regularis fervor, & humilitatis virtus in ipſis vigeant, cùm ideò à Monaſticis ſe ſubtrahant miniſteriis, ut non virtuti, ſed gloriæ laborent? Et hac de cauſa à Ciſtercienſibus Patribus vetitum fuit, nihil ſine expreſſa majorum facultate elucubrandum eſſe: *Ne aliquibus utiliter indulta licentia, aliis præſumptionis temerariæ ſcandalum fiat.*

Operæ nunc pretium foret materias inveſtigare, ſuper quibus utiliùs componendum eſt; atqui laborioſum eſt eas ſingillatim recenſere; id namque non modò ex ſingulorum aptitudine, ac diſpoſitione pendet, verùm ex occaſionum, ac opportunitatum eventu. Operum Sanctorum Patrum reviſio, ac emendatio, paucis ab hinc annis in Congregatione noſtra à majoribus ſtatuta, procul dubio eſt ex præcipuis atque utilioribus ſtudiis, quæ à Monachis ſuſcipi queant. Tantumdem de veterum manuſcriptorum compilationibus, à nonnullis Monachis congeſtis, dici poteſt, quæ in Bibliothecarum, ac Tabulariorum pluteis ſemiſepultæ jacebant.

Maxi-

Maximè item conferret ſyllogen ponderationum edere in textus, & obſcuriora loca Conciliorum, Patrum, cæterorumque Authorum Eccleſiaſticorum, quemadmodùm plures jam viri celebres præſtitere, inter quos Antonius Auguſtinus in Decretum Gratiani, Gronovius in Scriptores Eccleſiaſticos, Muretus in profanos Authores, &c.

Cæterùm quoad alia compoſitionum genera, nonnulla adjiciam monita feriò animadvertenda:

1. Nolim ab ullo quidquam elucubratum iri, quin priùs multùm didicerit, nedum quæ generatim ſcienda ſunt, aut quæ ſtylo debentur, ſed in primis quæ proprium intentum peculiariter ſpectant. Enimverò nonnulla obiter, ac perfunctoriè tantummodò diſcere, ut quamprimùm voluminum editioni des operam, quid amabo eſt aliud, quàm certo literatorum exponi ludibrio? *Multo tempore diſce quod doceas* inquit ſupra S. Hieronymus; ſed de hoc in calce præſentis Tractatus ſermo recurret.

2. Neceſſum eſt, ut quæ in animo habentur opera, vires ingenii non excedant, hoc eſt proprium captum, & aptitudinem. Velle hiſtorica geſta conſcribere, vel de humanioribus literis agere, abſque prævia, & ſufficienti horum notitia, quid aliud eſt, niſi literariæ Reipublicæ illudere, & incaſſum laborare? Legi poſſunt quoad hoc quæ ſcripſit Horatius de Arte Poetica, & Voſſii Tractatus: De cognitione ſui.

3. Ut rem tutiùs aggrediamur, optimum eſt nobis intimum, verſatumque virum conſulere, quem noſtræ modulos intelligentiæ non lateat; vel operi intento tamdiu ſuperſedere, donec majoris facta comparatione doctrinæ, ipſum ſecuriùs proſequamur.

4. Præfinita operis elucubrandi idea, diligenter iſthæc expendenda erit, & in ſingulas ſuas partes diſtribuenda. Item argumenta fas erit ita diſponere, ut cùm opus fuerit, ad praxim redigi facilè queant, & jam conſtructa Collectanea iteratò inviſere, ut cum ſe prodet occaſio, materiæ propoſitæ inſerviant.

5 Stylus ſeligendus erit materiæ pertractandæ apprimè conſentaneus; ſtylus namque alius eloquentiæ debetur, Hiſtoriæ verò alius planè diſſimilis; Item alius prout ad diſſertationes, & alius prout ad notas. Jamdudum tamen ſtylum exercuiſſe oportebit, quo quis ex deſtinato uti cogitat, & egregios verſaſſe Authores, qui de hujuſcemodi ſtyli proprietate tractarint. Legere non pigeat, prout ad Oratorium ſtylum, Procemium præclari cujuſdam Academici, qui paucis ab hinc annis Oratorem Ciceronis Gallicè vertit. At verò pro ſtylo hiſtorico legatur Procemium ejuſdem Authoris in verſionem Salluſtii, & Scioppius de ſtylo hiſtorico; & pro Diſſertationibus, ac notis, Notæ, Diſſertationeſque Patris Sirmondi, & Lectiones variæ Mureti.

6. Quoad ſtyli qualitatem, claritas, proprietas verborum, ordo, brevitas, ut Quintilianus docet, ſummoperè ſunt attendenda. De rebus tamen feriis, ut idem ait, magis quàm de concinnitate vocum, oportet eſſe ſolicitum: *Curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſolicitudinem.* *Lib. 8. c. 2.* *Idem in Procem. lib. 8.*

 7. Opor-

Cap. 108. 7. Oportet ut operis inſcriptio ipſi ſit propria, planèque conſentanea; dilucidis, diſtinctis, & non metaphoricis terminis, quoad fieri poteſt, expreſſa, unde paucis verbis Authoris mens innoteſcat, & non integrum librum titulus ſe ſolo efficiat, ut lepidè refert Photius, de illo cujuſdam Authoris, de quo meminit in ſuâ Bibliotheca. Inſuper inter componendum in primis expedit libri titulum identidem reviſere, ſeduloque animadvertere ne aliò digrediamur, quædam nempè pertractando illi prorsùs incongrua.

8. Expleta operis lucubratione, eorum cenſuræ, quos ad illud examinandum idoneos Majores delegerint, exponendum erit, ipſorumque monita non gravatè, ut inquit Tullius, ſed benignè, ac humiliter excipienda. Operi dein aliquandiu ſuperſedendum erit, ut maturiùs inde de ipſo judicetur, temperato nempè jam primæ imaginationis fervore, ſeu, ut Quintilianus, inter artis Oratoriæ Didaſcalos facilè princeps, In Prolog. docet: *Refrigerato inventionis ardore*. Ut autem præfatum judicium prudenter habeatur, ſeriò perpendas oportet totius ideam Operis, ejuſque exequutionem, hoc eſt, num ad aliquid tendat Eccleſiæ, Reipublicæ, Religioni, Patriæ, ac ſcientificis diſciplinis proficuum; item an ritè ea fuerit mente concepta, nec non ad praxin æquè redacta, debita nimirùm ſervata methodo, diſertè, ac eruditè, quantum ſcilicet exigitur ab opere; poſtremò num validis evincatur argumentis, rationibus fulciatur, & inconcuſſis nitatur principiis; tunc ſiquidem certò arbitrabere, opus illud gratum fore, ac literariæ Reipublicæ profuturum; ſecùs verò ſi prædictis conditionibus ipſum carere compereris; tunc enim aut emendandum, aut integrè ſupprimendum erit.

Præter Opera Spiritualia, Patrum reviſionem, & Collectanea, quæ ex veteribus Scriptoribus fieri poſſunt, potiſſimum ſtudium, cui vacare queant Monachi, verſio eſt Patrum, ſive de Græca in Latinam, ſive de Latina in Gallicam Linguam; vel etiam verſiones jam ab aliis editas emendare.

Ut autem verſio aliqua ritè abſolvatur, duo univerſim omninò requiruntur, videlicet perfecta utriuſque linguæ cognitio, ejus nempè, quam continet Author, & alterius, in quam vertitur; & inſuper exacta eorum intelligentia, quæ ab Authore ipſo pertractantur. Alias præterea ad rectè transferendum conditiones legere quis poterit in libro, quem doctiſſimus Huetius, nuper ad Abrincarum Epiſcopatum vocatus, paucis ab hinc annis edidit ſub titulo: De optimo genere interpretandi. Quicumque veterum Scriptorum opera cupit traducere, librum iſtum ſæpè ſæpiùs evolvet, ejus enim lectio amœna ſimul, & utilis comperſitur.

Theſaurus Linguæ Græcæ Henrici Stephani in quatuor volumina diſtributus, iis neceſſarius omninò videtur, qui Græcos Patres vertere optant. Legendi pariter ſunt, quoad hoc libri duo obſervationum Sacrarum in Patres Græcos, à Jacobo Billio editi, & Gregorio XIII. dicati, quibus S. Iſidori Peluſiotæ Epiſtolas doctiſſimus is Abbas nuper

per adjecit. Negligendus item non erit ejuſdem Authoris libellus, ſelectiora Patrum Græcorum loca complectens, ſub titulo: Locutionum Græcarum Volumen. Sed nihil ad Græcorum Patrum intelligentiam, ac verſiones eorum concinnandas præſtat, quàm Lexicon Coſtantini, Gloſſarium item Græcum eruditiſſimi Domini Du-Cange, & Theſaurus Eccleſiaſticus Joannis Gaſparis Sviceri, è Patribus Græcis ordine alphabetico inſtar Diſſertationum compactus, Amſtelodami duobus Voluminibus in folio impreſſus apud Henricum Weſtenium 1682. Vir quidam egregius dudum mihi teſtabatur, quòd ut Græci Patres exactè intelligantur, legiſſe accuratè oportet ſeptuaginta Interpretes, item Demoſthenem, & Homerum, quorum ſtylum Patres ipſi ſummoperè imitari ſtuduerunt. Quæ hactenùs de verſionibus iſtis innui, ſolùm ſunt attendenda, data hypotheſi, quòd de Græco in Latinum ſermonem fiant; quòd ſi de Græco in Gallicum lucubrentur, perlegi poterunt celebriores verſiones ad hoc genus attinentes, ut putà illa Joſephi, Authore Domino De Andilly, item eæ Hiſtoricorum Græcorum ab Illuſtriſſimo Præſide Couſin editæ, &c.

Si quis verò Gallicarum verſionum regulas examuſſim ſcire peroptet, librum hac de re, à Domino Leſtango compoſitum, opus erit inviſere, Pariſiis, anno 1660. excuſum; novem ſiquidem ab iſto Authore in Prooemio conditiones numerantur, ad rectè vertendum requiſitæ, quas hìc breviter innuere abs re non erit.

Ex præcipuis ea eſt, quod ambo idiomata perfectè ſciantur, & inſuper materiæ, quæ in illo, quod vertitur, opere continentur. Deinde operæ pretium eſt ab Authoris mente, vel methodo neutiquam declinare, curamque omnem impendere, ut quoad fieri poteſt, non modò ejus conceptus, ac ideæ, verùm & ipſamet verba fideliter referantur, in primis ſi alicujus fuerint momenti; (licèt alioquin neceſſe minimè ſit jugiter ad literam rigorosè alligari) quaslibet (ut linguam noſtram maximè decet) honeſtatis, & uniformitatis leges adamuſſim ubique ſervando, itaut ſales oratorii totidem ſalibus, & figuræ figuris compenſentur, tum potiſſimùm cùm ad literam illæ Authoris exprimi nequeunt; Inſuper nec nimis Aſiatica, nec prorſus Laconica utendum erit periodo, ſed prolixior quæ videbitur, contrahenda, breviorque nonnihil amplianda. Demum omni Orationis elegantiæ, ſtyli puritati, ſermoniſque nitori dabitur opera. Legatur iſtarum Regularum praxis in Opere præfati Leſtangi, ubi etiam ſelectiorum refert interpretum exempla.

CAPUT XVI.

De Collationibus Monaſticis.

Collationes, in quibus ſpirituales materiæ pertractantur, maximo ſunt nobis emolumento, earumque praxis in Monachorum ſodalitiis jugiter invaluit. Duplex eſt iſtarum genus, aliæ quippè in ſermonibus, quos ad ſubditos ſuos Superiores habent, conſiſtunt; aliæ verò in Collocutionibus Sanctis, quas identidem Regulares exercent mutuò. Mentio de primis fit in Regula S. Pachomii, Cap. 21. in qua ſic legitur: *Diſputatio autem à Domorum Præpoſitis per ſingulas Hebdomades habeatur, & tertiò fiat:* Quo nomine S. Hieronymus in verſione ejuſdem Regulæ à ſe peracta, ipſas Collationes indigitat, quod dein ab aliis in hoc pariter ſenſu fuit uſurpatum. Monachis inſuper liberè permittebatur propria dubia ſuper iis proponere, de quibus Præpoſitus antea diſſeruerat, ut alibi ex ejuſdem Part. 1. c. 2. & 5. Sancti Pachomii vita notavimus; quod item de S. Fulgentio legimus, qui eamdem ſubditis ſuis poteſtatem faciebat, dum ſuper ſacra pagina ipſos alloquebatur, ut aliàs etiam innui.

S. Iſidorus, Hiſpalenſis Antiſtes, S. Pachomii veſtigia in hoc eſt æmulatus, velut enim, dictas Collationes poſt Tertiam, ter in Hebdomada fieri, ſeu, quod in idem recidit, tertio quoque die. Hanc Iſidor. de Offic. Eccl. cap. 15. autem horam Sanctus Præſul ad conferendum ſelegerat, ut Monachi dum adhuc jejunii erant, ipſis intereſſent, ne ſecùs inutiles fortè confabulationes admiſcerentur, ſi nimirum pomeridianis horis fuiſſent habitæ. Theodorus item Studita, præfatæ Veterum Patrum conſuetudini adhærens, in ſuo teſtamento ſtatuit, ut Superior ter in hebdomada cum propriis ſubditis conferret, & in deficientis locum, alterum ſubſtitui curaret.

Conſimili prorſus ratione à Cœnobitis Ægypti Collationes ſingulis quibuſque diebus ante prandium, & poſt Nonam fiebant, ut refert Divus Hieronymus ad Euſtochium ſcribens: *Poſt horam nonam* Epiſt. 22. ad Euſtochium. *in commune concurritur, pſalmi reſonant, Scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctiſque reſidentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit diſputare, quo loquente tantum ſilentium fit, ut nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu eſt audientium, tacitæ volvuntur per ora lacrymæ, & ne in ſingultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de Regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura, videas cunctos moderato ſuſpirio, & oculis ad Cœlum levatis intrà ſe dicere: Quis dabit nobis pennas ſicut Columbæ, & volabimus, & quieſcemus?* S. Iſidorus in Regula Collationes præcipuè fieri mandat ad vitiorum emendationem, ac morum rectitudinem, eaſque univerſim ad cuncta extendit, quæ ad Cænobiorum poſſent emolumenta conferre.

Alterius item generis Collationum praxis, quæ in mutuis Monachorum colloquiis conſiſtebat, nil minùs ac prima jugiter invaluit

Exem-

Exemplum de hac nobis legendum datur apud S. Baſilium, ut ex prima Epiſtolarum liquet, quas S. Gregorio Nazianzeno miſit, & ex veterum Monachorum Hiſtoria. Viginti quatuor collationum ſyllogen Caſſianus nobis reliquit, quas unà cum ſocio ſuo Germano in Ægypti Erémis habuerat cum Sanctis iis Anachoretis, ex quibus facilè conjicitur qualis eſſet cæterarum ratio. Conſuetudo erat hos inter Anachoretas, hoſpite aliquo, ipſos inviſuro, adventante, de Deo tantùm habere ſermonem, & de mediis ad ipſum conducentibus. Jam certò arbitrabantur, & quidem meritò, non alia de cauſa ad accedendum, nec ullatenus de tranſitoriis, ac caducis ſecum confabulandum. Ut plurimùm eos inviſentes dubia proponebant, ſuper quibus diſſerendum erat; ipſi verò illa planè Cœleſti ſapientia exuberantes, quam ex mundanorum deſpectu, & perfecta in Deum charitate ſibi comparaverant, mira hoſpitibus dabant reſponſa, modò brevia, modò prolixa, prout nempè exigebat dubium propoſitum, & proponentis captus, ac diſpoſitio, quem alloquebantur. Id ipſum præſtabant alii Erémi incolæ ſe mutuò viſitantes, inter quos ſanctæ reverà collationes fiebant. Divus Auguſtinus in libro de Opere Monachorum num. 2. hujuſcemodi ſermones memorat, quos nimirum cum hoſpitibus adventantibus Anachoretæ habebant, teſtaturque ipſorum colloquia fuiſſe vel divinas lectiones exponere, vel de aliquibus Quæſtionibus ſalubriter diſputare. Sanctus quoque hic Doctor de primo conferendi genere aliàs meminit dicens: *Conveniunt autem diei tempore extremo de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc jejuni ſunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad ſingulos Patres terna ut minimùm hominum millia; nam etiam multò numeroſiores ſub uno interdum agunt. Audiunt autem incredibili ſtudio, ſummo ſilentio affectiones animorum ſuorum, prout eos pepulerit diſſerentis oratio, vel gemitu, vel fletu, ſed modeſto, & clamore vacuo gaudium ſignificantes.* *Auguſt. lib. 2. de moribus Eccleſiæ cap. 31.*

S. Baſilius de tertia quadam Collationum ſpecie mentionem facit, à cæteris diverſas ex ſolo potiùs conferentium cœtu, quàm ex conferendi modo. Sapiens hic Legiſlator ad rem eſſe autumavit, quòd Præpoſiti variorum Conventuum viciſſim de iis, quæ ipſos concernebant, conferre inter ſe deberent. Quare in Regula ſic inquit: *Operæ pretium eſt, ſi ſtatis interdum temporibus, certiſque locis, conſeſſus celebretur eorum, qui Fratrum Conventibus præſunt, in quibus videlicet, tum de rebus iis, quæ ſibi præter rationem acciderint, tum de difficilibus etiam ad tractandum naturis, aut moribus, & quomodò in ſingulis moderandis ſe geſſerint, viciſſim inter ſe communicent, & conferant, quo videlicet ſi aliquid aliquando minùs rectè ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum ſententia, majori cùm authoritate quod in medium adductum eſt quale ſit judicetur; contràque ſi quid rectè geſtum, multorum ſimiliter teſtimonio comprobetur.* *Regul. fuſ. cap. 54.*

Divus Benedictus in Regula, nec ſpeciem, nec tempus Collationum in Cœnobiis habendarum diſtinxit; Enimverò pro hoſpitibus Sacræ Scripturæ lectionem Collationum loco ſubſtituit, dicens: *Legatur*

Regula cap. 53. & *cap.* 42. *gatur coram hoſpite lex divina, ut ædificetur;* Quatenus verò ad cæteros Confratres pertinet, ſtatuit, *omni tempore ante Completorium ipſis legendas eſſe Collationes, vel Vitas Patrum, aut certè aliquid, quod ædificet audientes, & quòd nemo audeat abeſſe, ſed ſi quis fortè in aſſignato ſibi onere fuerit occupatus, ſtatim occurrat.* Ambigendum præterea non eſt, quin ipſemet viva voce ſermones aliquos Collationum loco identidem habuerit, tametſi conferendi onus explicitè non innuat. Quod etiam ex capite: *Qualis debeat eſſe Abbas* ſatis arguitur, ubi eum monet, ut in doctrina ſua viriliter arguat, & increpet, duriùs quidem indiſciplinatos, & inquietos; mites verò, & patientes obſecret, ut in melius proficiant. Cæterùm quantum ad Monachorum Colloquia præcipit, ut propter taciturnitatis gravitatem rara ipſis concedatur colloquendi licentia, etiam de bonis, & ſanctis ædificationum eloquiis. Dum verò legitur ad menſam, prohibet, ne quis præſumat de ipſa lectione ab alio quidquam requirere, ne, ut inquit ipſe, detur occaſio, niſi fortè Prior prò edificatione voluerit aliquid breviter dicere. Hoc inquam totum eſt, quod in Regula legimus ad Collationes ipſas quadantenus ſpectans.

Concilium Cloveshovienſe, celebratum in Anglia anno 747. ſtatuit, ut qualibet die Dominica paræneticum ſermonem Abbates ad Monachos habeant. Clemens item VIII. idem ferè ſancivit; quandoquidem inter alia, quæ pro Cœnobiorum reformatione ab ipſo emanarunt, inquit, congruum omninò eſſe, ut in quolibet Regularium Conventu ſingulis Hebdomadis ſermo habeatur ſuper Monaſtica Diſciplina, & regulari obſervantia. Legantur quoad hoc Ritus antiqui Monachorum Patris Edmundi Martene lib. 2. cap. 9. *Concil. Cloveſh. cap.* 14.

Ex hiſtoria Sangallenſis Abbatiæ in Helvetiis exploratum habemus, tres ex inſignioribus Monachis, qui ſæculo nono in ipſa effloruere, ſingulis diebus, Præpoſito ſic permittente, mutuò contuliſſe ſuper Scripturis Sacris inter matutinam Synaxin, & Laudes, cùm ex propriis, diuturniſque occupationibus nullum aliud ipſis tempus ſupereſſet. Horum autem primus fuit Sanctus Notkerus, doctrina non minùs, & pietate, quàm regularium legum cuſtodia celebris. Secundus fuit Tutilo, concionandi munere præſtans. Tertius Ratpertus, qui ab adoleſcentia præclaræ illius Univerſitatis curam geſſit, nec extra Monaſterii ſepta, niſi rariſſimè egrediebatur, ſolitus Monachorum mortem excurſus nominare; Et licèt exemplum iſtud planè non approbem, hìc tamen haud omittendum duxi.

Ekehard. cap. 3. S. Odo ſub idem ferè tempus Collationes quaſdam compoſuit, quas tamen in libros, non in ſermones diſtribuit, ſic iſtante quodam Epiſcopo. Monachi pariter Ciſtercienſes, qui regulam ad priſtinam puritatem redigere ſtuduere, primum Collationum genus in propriis Cœnobiis renovarunt. Nos præterea minimè latet, ex Divo Bernardo, ipſas ut plurimùm ante Miſſam Majorem fuiſſe factas, tametſi etiam ante Veſperas plerumque habitæ fuerint. Sanctus iſte Abbas ſingu-

Digitized by Google

ſingulis ferè diebus iis operam dabat vice manuarii laboris, à quo Superiores, ob naturalem corporis imbecillitatem, ipſum exemerant. In generalibus tamen Comitiis mox ſtatutum fuit, ut diebus tantùm ſolemnioribus fierent, qui propterea temporis progreſſu Feſta ſermonum ſunt appellati.

Collationes, quæ à Superioribus continuo ſermone fiunt, apud nos etiamnum vigent; Tyronibus enim, recenſque Profeſſis aliquot quotidie in Congregatione noſtra perſolvuntur; cæteris verò ſodalibus ſingulis diebus Dominicis, atque feſtivis. Item Superior completa Oratione, Monachum aliquem interrogare incipit ſuper meditatione facta, quod ipſi mox ſermocinandi anſam præbet. Forte tamen ſatius foret à prædicto Monacho petere, quid ſuper peculiari, ac determinato puncto ſoleat meditari, ne ſecus tentationis periculo exponatur, nimis utique tunc imminente; vel nimirum cogitandi, dum meditatur, quid dumtaxat Priori reſpondere debeat, ſi peractæ meditationis rationem palam exquirat, vel etiam aliud omninò diverſum effingendi ab eo, quod fuerit reverà meditatus.

Collationes verò, quæ fiunt per mutua Colloquia extra relaxationis horas, in quibus vel de ſeriis nonnunquam ſalubriter diſputatur, ferè penitùs in Conventibus obſoleverunt. In priſtinum tamen utiliter redigi poſſent, fortaſſis non minori fructu ac illæ, quæ à Superioribus fiunt, ſi nempe ad ipſarum inſtaurationem iſti vellent incumbere; certamque normam pro earum frequenti exercitatione tradere. Jam id aliquando tentatum eſt, ſed citra exitum, qui erat in votis, ſive ex majorum incuria, vel potius modico zelo, ſive ex inferiorum inertia, quibus id multum videtur negotii faceſſere, aut fermè nihil prodeſſe. Silentio tamen meam hìc ſententiam præterire nolo, ut in nobis tam ſancta reparetur converſatio; bifariam enim, vel trifariam taliter conferendi rationem proponam, ut quæ aptior viſa fuerit, ad praxin, ſi libeat, redigatur.

Primus itaque conferendi modus eſſet, unà cum cæteris ſodalibus præcipuæ cujuſdam materiæ, putà Conciliorum, vel Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lectionem exordiri, itaut ſinguli liberum foret dubia identidem proponere in ea ſibi occurrentia. Hanc methodum multis ab hinc annis ſervant nonnulli, mutuò conferentes in Domo præclari cujuſdam Prætoris Pariſienſis, quam hìc abs re non erit innuere: Quidam ex ſociis privatim Concilium legit, cujus lectio in futuro conſeſſu habenda eſt, & compendiariò ſcribit Concilii occaſionem, potioraque dubia, quæ offeruntur; hæc porrò ſcripta, convenientibus omnibus, clara voce leguntur, deinde Concilium, poſtmodum à ſingulis difficultates, ſi quæ ſunt, objiciuntur, & enodantur; denique illius ſcripta, qui lectionem prævidit, in ipſa congreſſus aula aſſervantur, ut cùm opus fuerit, ea unuſquiſque poſſit inviſere.

Eadem igitur, vel ſimilis lectio poſſet juxta præfatam methodum à noſtris ſuſcipi; ſinguli namque unam, eamdemque lectionem, exempli gratia, in Conciliorum tomo prævidere poſſent, qui propterea aſſer-

van-

vandus eſſet in communi cubiculo, moxque propriam in Academico congreſſu ſententiam aperire, exponente aliquo breviter, exordii loco, finem, & occaſionem Concilii. Propoſita dein dubia, & horum ſolutiones calamo exaranda eſſent, & inibi reponenda, ut ea denuò unuſquiſque poſſet inviſere. Quòd ſi eorum aliquot non fuiſſent in conſeſſu planè ſoluta, deligendus eſſet aliquis, cui onus incumberet intenſiori ſtudio, animique applicatione rei veritatem indagare, eamque in futuro pateſacere. Ne autem Collationes hujuſmodi negotium ulli faceſſerent, unicuique liberum eſſe deberet, præſertim invitè convenientibus, iis abrenunciare.

Operæ inſuper pretium foret, virum quemdam conſeſſui intereſſe, merito, doctrinaque conſpicuum, non modò ut illi præſideret, verùm ut difficiliora loca explanaret, dubiaque cuncta planè reſolveret. Poſtremò Bibliotheca ſatis locuples non deerit, ut codices neceſſarii inde ſuppeditentur. Cæterùm mihi ſupervacaneum videtur hìc animadvertere, opus eſſe quòd ſinguli, præſato conferentium cœtui adſcripti, propria ſtudia ritè perſolverint.

Secundus conferendi modus eſſet, puncta quædam diſcutienda proponere, vel cujuslibet anni initio pro toto ejus decurſu, vel in ſingulis quibuſque congreſſibus pro ſequentibus. Viget nunc temporis hæc praxis in Diœceſi Pariſienſi, in qua ſingularum Parœciarum Præpoſiti, quolibet menſe in unum convenientes, viciſſim conferunt ſuper iis, quæ ſub uniuſcujuſque anni initium in quodam ſolio impreſſa ad ſe mittuntur. Inter hæc autem nonnulla, exempli gratia de Decalogo, tractanda proponuntur, & ſingulis in congreſſibus unum dumtaxat præceptum expenditur. Porrò qui præfatum folium imprimi curat, univerſa in eo dubia recenſet, quæ ſuper dicto præcepto fieri poſſunt, ut eorumdem ſolutioni protinus ſinguli ſtudeant, abſque onere priùs ipſa indagandi, aut ſibi proponendi.

Quòd ſi impreſſa folia, quæ in Diœceſi Pariſienſi diſtribuuntur, difficilè haberi queant, operoſum non erit ſimilia texere, juxta methodum collationum Lucionenſium, Rupellenſium, Petrogoricenſium, & aliarum, quæ univerſorum manibus teruntur. Hæc autem proculdubio methodus extitit, quam Franciſcani Patres Provinciæ Gallicæ amplectentes, Collationes quaſdam edidere, ut ex foliis, anno 1673. impreſſis, liquet, in quibus binæ per ſingulas Hebdomadas collationes notantur.

Tertius conferendi modus, pariter utilis, foret, ſi Monachus aliquis multa eruditione præſtans, materiam quamdam pertractaret, & quolibet in congreſſu de ea ſermocinaretur, difficultates enodando, quæ ſibi identidem objicerentur. Methodum hanc jugiter ſervant Patres Congregationis Oratorii Pariſiis in Seminario S. Maglorii, ubi hujuſmodi Collationes fiunt, modò ſuper Sacra Pagina, modò ſuper diſciplina, vel Eccleſiaſtica hiſtoria.

Me hìc cohibere nequeo, quin quartum quemdam conferendi modum adjiciam, quàmquam Monachorum ſodalitiis parùm opportu-

num.

num. Hic autem ille eſt, qui in celebrioribus iis conferentiis jugiter ſervabatur, quas Pariſiorum Antiſtes in Archiepiſcopali ſuo Palatio, plurium annorum curriculo, multo cum plauſu, celebrari conſtituit. Unaquæque diſputatio ex tribus coaleſcebat ſermonibus circa eamdem materiam, jam in præcedenti conſeſſu præfinitam. Qui primò ſermocinabatur, materiam inibi diſcutiendam, amplè extendebat, ſuum diſtribuendo ſermonem in tot capita, & articulos, quantum illa exigebat, & ſingulas propoſitiones firmiſſimis roborabat rationibus, & argumentis. Alter verò dubia proponebat adverſum deciſiones in primo ſermone auditas, quibus dein reſpondebat, qui diſputationi præluſerat; quam demum Archiepiſcopus Pariſienſis tertio quodam ſermone concludebat, tanta eruditionum copia, ut univerſi admirarentur, ac ſi nondum de tali materia quidquam fuiſſet pronunciatum.

En igitur ſingulas conferendi methodos, quæ in Monachorum Cœnobiis ad praxin redigi queunt. Nullatenus autem ambigo, quin plurimis valdè acceptum foret, ſi eas majores noſtri inſtituerent; mirum ſiquidem eſſet, quòd homines extra Clauſtra degentes, & negotiis ſæcularibus ferè ſemper impliciti, conferendi tempus, & occaſionem nanciſcantur; ſecùs verò Regulares, breviſſimi temporis prætextu, quod poſt communia exercitia ipſis ſupereſſe videatur. Seriò volenti multum temporis ratio ſuppeditat.

An autem nobis luculenter ſuppetant prædictarum Collationum materiæ, ſupervacaneum hìc videtur innuere. Scriptura Sacra, Ethica Chriſtiana, Concilia, & Patres, & Hiſtoria Eccleſiaſtica, & Aſcetica, Tractatus de votis, & legibus Regularium, Dubia in Regulam, Jus Canonicum, pluraque id genus alia, latiſſimum conferendi campum præſtant; quinimmò iſtorum ſingula affatim ſufficere poterunt, præſertim ſi potiora dubia in ipſis latentia seriò ponderentur, quorum pleraque ſuper Veteris Teſtamenti hiſtoria, & Eccleſiaſtica, apud Patrem Alexandrum leguntur; alia verò de rebus Aſceticis, in Hiſtoria Monachorum Orientis, & Occidentis. Dominus Du-Pin rudimenta quædam, ad legendum SS. Patres neceſſaria, vulgavit. Theodoretus, & Eſtius præcipuas difficultates innuunt in Sacram Paginam. S. Bernardus, Haeftenus, variique in Divi Benedicti Regulam Commentarii ſat ſuperque eſſe poterunt quoad difficultates, ad vota, legeſque Monaſticas attinentes. Pater Cheſneau, Monachus Fontis Ebraldi, Tractatum quemdam, aliquot ab hinc annis, Gallicè compoſuit: De obligatione ad Regularium legum cuſtodiam: *Traité de l'obligation aux obſervances Regulieres, à Paris* 1672. Ob hanc etiam cauſam in hujus calce Tractatus potiorum difficultatum Catalogum adjiciam, quæ poſſunt occurrere ſuper doctrina, diſciplina, & Hiſtoria Eccleſiaſtica.

Novum adhuc, fortè facilius, utiliuſque conferendi genus, ſilentio hìc preterire nolo, ſi nimirum tres, vel quatuor Monachi, magna ſciendi cupiditate flagrantes, ſingillatim varia ejuſdem materiæ verſarent volumina, proprio captui, geniove magis conſentanea; Mox,

ſupe-

ſuperiore permittente, ſemel, aut bis in ſingulas hebdomades in unum convenirent, invicem conferendi gratia de iis, quæ ſinguli inter legendum notaſſent, vel circa dubia, quæ ſibi obveniſſent, ut ſic ſe mutuò conſulentes, ea maturè reſolverent. Hujuſcemodi methodo uti poſſent potiſſimùm in ſtudio Sacrarum Scripturarum, ſeligentes ſinguli peculiaria Commentaria ſuper uno, eodemque Scripturæ libro, ut de ſibi occurrentibus dubiis, ac de aliis à ſe notatis, poſſent faciliùs conferre. Idipſum pariter præſtare poterunt in lectione Sanctorum Patrum, quorum ſtudio juxta ſæculorum ſeriem incumbendum erit; unuſquiſque enim ejus Patris opera deligere poterit, quæ ſibi magis arridere compererit. Abs re inſuper non erit, ſi cæterorum ſodalium annotationes inter legendum ſcriptæ, à ſingulis compilentur, aliiſque à ſe jam peractis annectantur, ut hac ratione annotationum corpus in omnes Patres habeatur. Sed de hoc ſtudendi genere fuſiùs infrà cap. 20.

Poſſent etiam hujuſmodi annotationes utiliter fieri in hiſtoriis, nec non aliquæ ponderationes, dum leguntur, proprio inſtituto conformes; ſic quippe moralis doctrina ex propriis meditationibus coaleſcens haberetur, quæ nobis tamquàm plurium gerendorum norma in variis rerum eventis inſerviret; Quandoquidem vix unum geſtum hiſtoricum legitur, unde quadantenus profici nequeat. Quamobrem fas eſſet juvenes nonnunquam interrogare, quid de quibuſdam Patrum geſtis ſentiant, quæ tametſi primo intuitu ſimplicitates videantur, ſunt tamen plerumque Cœleſtis ſapientiæ, & admirabilis prudentiæ, ſcientiæ Sanctorum, partus. Libeat hìc eorum aliquot exempla referre.

Unum hìc notatu dignum appoſitè ſuppetit in Vita Sancti Marciani Anachoretæ, à Theodoreto deſcripta, ubi ſic legimus: Alius
Theodor. Philot. cap. 3.
„ item Monachus, Avitus nomine, cùm de Marciani virtute, quæ „ ubique celebrabatur, audiiſſet, ratus talem, ſpectaculum eſſe ſilentio, & quiete utilius, accurrit ſtudens videre eum, quem deſiderabat. Cùm autem ejus adventum Magnus ſciviſſet Marcianus, „ oſtio aperto, eum ad ſe admiſit. Admirabili autem præcepit Euſebio, ut & legùmen coqueret, & olus, ſi haberet. Poſtquam „ verò mutuum inter ſe colloquendi expleſſent deſiderium, & alter alterius virtutem didiciſſet, Nonæ ſimul peregerunt officium. „ Venit autem Euſebius menſam ferens, & panem afferens; Magnus „ autem Marcianus divino dixit Avito: Adeſdum omnium mihi amiciſſime, & hujus menſæ ſimul ſimus participes. Ille verò, neſcio, „ inquit, me unquam cibum ſumpſiſſe ante Veſperam: Sæpe autem „ duos, & tres dies ſimul maneo jejunus. Magnus autem Marcianus: „ Mea ergo, inquit, cauſa hodie mutetur conſuetudo: nam cùm „ ſim corpore imbecillo, non poſſum expectare veſperam. Poſtquam autem hæc dicens non perſuaſit admirabili Avito, ingemuiſſe dicitur, & dixiſſe: At ego, inquit, animo angor, & valdè

„ cru-

„ crucior, quod tanti itineris laborem ceperis, ut virum aliquem „ laborioſum videres, & Philoſophum, ſpe autem falſus, cauponem „ videris aliquem profusè, & delicatè viventem. Cùm ex his autem „ moleſtia eſſet affectus Avitus, & dixiſſet, ſe malle veſci carnibus, „ quàm hæc audire, dixit tunc Magnus Marcianus: Nos quoque, „ ò Amice, eamdem, quam tu, vitam perſequimur, & amplectimur „ eamdem vivendi rationem, & quieti labores præferimus, jejunium „ magis expetimus, quàm cibum, eumque nocte adveniente capi- „ mus; ſed etiam ſcimus, charitatem eſſe jejunio præſtantiorem; „ charitatis enim opus à lege divina præcipitur, jejunium autem „ eſt poteſtatis noſtræ, & arbitrii. Hac inquam ratione ſapiens is, prudenſque Anachoreta indicare voluit, tales nonnumquam occaſiones contingere, in quibus ad evitandum inanem gloriam, & ad ſolidiores virtutes exercendas, quæ minoris aliquando videntur exiſtimationis, neceſſum eſt quaſdam, cæteroquin pias, religioſaſque, conſuetudines nonnihil intermittere, aut immutare. Quocirca etiam S. Patriarcha Benedictus in Regula permittere videtur, quòd jejunium regulare à Priore frangatur, propter hoſpites.

Huic porrò exemplo aliud Beati Zenonis pariter Anachoretæ adjiciam, cui conſuetudo erat aquam ad potandum valdè procul à tugurio, in quo degebat, hauſtum ire, propriiſque manibus deferre; cùm quis autem ipſum aliquando vidiſſet onus aquæ portantem, rogabat ut eum levaret labore; ille autem primò quidem reſiſtebat, dicens ſe non poſſe in animum inducere, ut biberet aquam, quæ eſſet portata ab alio. Poſtquam tamen non perſuaſit, dedit urnas; ferebat enim duas ambabus manibus; ſed poſtquam fuit intrà portam atrii, cùm aquam effudiſſet, ac diſperſiſſet, rurſus cucurrit ad fontem, re ipſa confirmans quæ dixerat. Nonnunquam, licet invitè, aliorum placito indulgendum eſt, ne humanam ſocietatem quodammodo lædere videamur; nec id vertendum vitio ullatenus metues, niſi fortè plus æquo petenti permittas. Vereor autem, ne fuſiùs, quàm par eſt, iſthæc deſcripſerim; verùm jam aliàs innui, me juniores dumtaxat monendo hæc exarare. *Ibid. c. 11.*

Sed ut cœptum de Collationibus ſermonem proſequamur, nulli dubitatio ſuboriri debet, quin oppidò utiles eæ ſint futuræ, dummodò ipſis peractis, ſolitudinem, ac ſilentium apprimè cuſtodiamus, nec conferendi prætextu à communibus Monaſticæ conditionis oneribus haud quaquam declinemus, cùm potius inde ad exactam regularium legum cuſtodiam unumquemque fas ſit excitari; ſi autem contrarium inde ſequatur, tantum abeſt ut collationum uſus reſtaurandus ſit, ut potiùs eumdem ſupprimere oporteat, ne unquam potiori Religionis ſuſtentaculo derogari contingat. Me utique non fugit, honeſtam quidem, ſed laxiorem quamdam Monachis facultatem concedendam eſſe, qui conferentium cœtui fuerint adſcripti; verumtamen quælibet animi diſſipatio penitùs etiam arcenda erit.

Quocirca eadem prorſus methodus ſervanda eſſet, quæ à Divo Ba-

ſilio

ſilio Monachis ſuis ad conferendum præfinitur in prima Epiſtolarum ad S. Gregorium Nazianzenum ſcripta, ubi, ut aliàs etiam innui, modum, legeſque in conſeſſibus ſervandas ita recenſet: „ Atque in „ primis quidem magno ſtudio id comparandum erit, ſciiè ut ſermo- „ cinari poſſimus, ut ſcilicet nec contentioſiùs percontemur, nec af- „ fectantiùs reſpondeamus, ut differentibus non obloquamur, nec in- „ terſari, aut interpellare geſtiamus abſurda oſtentatione, factumque „ præſeferente; ut modum teneamus, & ſermocinandi, & auſcultan- „ di. Neque verò ad diſcendum verecundum eſſe oportebit, neque ad „ docendum malignum. Vocis porrò intenſio mediocritate tempe- „ randa eſt, ut nec exilior fallat audientis aures, nec contentioſior „ odioſa radat offenſione. Expendendum inſuper erit priùs quid dictu- „ rus ſis, atque ita demùm edendum, ac promulgandum. In congreſ- „ ſibus ipſis comiter appellare oportet, atque in conſuetudinem ſua- „ vem ſe præbere, nec voluptatem facetis ſermonibus aucupari.

Tom. 1. pag. 18.

Nil tamen ad rem præſentem magis appoſitum videtur, norma, quam tenuit S. Dionyſius, Alexandriæ Antiſtes, cum nonnullis Presbyteris conferendo, qui in Chiliaſtarum, ſeu Millenariorum hæreſim lapſi fuerant. Cùm ſiquidem Sanctus hic Præſul propriis ſcriptis ab ejuſmodi errore illos, ſed fruſtra, retrahere ſtuduiſſet, ex colloquio dein cum ipſis ſuper hac re habito, id aſſequi tentavit, votique compos tandem eſt factus. Quomodò autem id evenerit, ipſemet ſic enarrat: „ Cùm eſſem in loco quodam, qui Arſenoites dicitur, ubi, ut „ noſtri, jam pridem hoc dogma in lucem prodiit, ſic ut non modò „ ſchiſmata naſcerentur, ſed integræ Eccleſiæ à fide deficerent, Pre- „ sbyteros ejus ſectæ, qui fratribus in ſingulis pagis undique prædi- „ cabant verbum Dei, convocavi, eoſque magnoperè cohortatus „ ſum, ut palàm præſentibus Fratribus, audireque cupientibus, il- „ lorum doctrina exquiſitè diſcuteretur. Atque cùm librum, qui eis „ erat tamquam quoddam propugnaculum, & murus inexpugnabi- „ lis, ad me attuliſſent, conſidens in uno loco cum ipſis, toto tri- „ duo à primo manè uſque ad Veſperam, quæ in eo ſcripta erant „ ſtudioſè refutare conabar. Ibi tum quidem fratrum conſtantiam, „ ſtudium veritatis, facile obſequium, & prudentiam ideò ſupra mo- „ dum admirabar, quòd tam præclaro ordine, tantaque cum mode- „ ſtia rogabant, diſceptabant, nobiſque aſſentiebantur, atque etiam „ tam diligenter præcavebant, ne illis, quæ fuerant ante ab ipſis de- „ creta, ſi quidquam in eis veritati repugnare videretur, mordiciùs „ adhærerent; quin etiam contrarias rationes minimè omittebant „ nobis opponere, ſed quoad eorum fieri poterat, ea, quæ erant ab „ ipſis propoſita, munire, ac defendere tentabant; & contra ubi po- „ ſcebat ratio, ſententiam mutare, noſtroque aſſentiri judicio eos „ neutiquam omninò pudebat. Denique conſcientia integra, ſince- „ ra cognitione, & puris erga Deum, ac ſimplicibus animis, ea, „ quæ erant firmis rationibus, & teſtimoniis, à ſacris literis deprom-

„ ptis,

„ ptis, confirmata, admodùm approbabant. Ad extremum; hujus
„ Doctrinæ Princeps, & Dux Coracion, omnibus fratribus, qui ade-
„ rant, audientibus, palàm confeſſus eſt, nobiſque teſtatus, neque ſe
„ velle deinceps, (quandoquidem adverſariis rationibus ſe putabat ſa-
„ tis abundè convictum) illi dogmati animum adhibere, neque de eo
„ diſſerere, neque mentionem facere, nec aliquando illud uſquam do-
„ cere; unde alii fratres, qui aderant, pro iſta diſputatione in publico
„ Eccleſiæ Conventu habita, proque omnium conciliatione, & con-
„ cordia, maximam animis lætitiam perceperunt. Quis autem mirari non ſinat, ſi mediis iſtis diſpoſitionibus proſperè omninò, & ex ſententia id negotiis evenerit? Si conſimili modo ſinguli noſtrorum hominum inter conferendum ſe haberent, ipſis procul dubio ſummo id foret emolumento, Deique opitulantem gratiam haud ægrè impetrarent ad veritatem medullitus aſſequendam, cæteriſque perſuadendam.

CAPUT XVII.

De Concionibus, & Catechiſmis.

NUllum in Eccleſia Orthodoxa dignius, majoriſque ponderis munus arbitror, prædicatione Evangelica. Huic Chriſtum adeò nomen dediſſe legimus, ut ex quo cum hominibus palam converſari cœpit, totus in ipſa ferè ſemper fuerit; quam ſubinde Apoſtolis maximè commendavit. Iſtud deinde ſacrum miniſterium Epiſcopis, Apoſtolorum Vicariis, ac ſucceſſoribus fuit demandatum, à quibus reliquis etiam Eccleſiaſticis magis idoneis impertitum fuit.

Ejuſdem porrò in partem ſolicitudinis etiam Monachi ſunt vocati vel ab ipſo Monaſticæ inſtitutionis exordio, teſte Divo Joanne Chryſoſtomo, qui Monachos quoſdam, doctrina, & ſanctitate celebres, à ſe in Phœniciam miſſos, ut illius Provinciæ Ethnicorum converſioni inſudarent, laudibus in Cœlum tollit, eò quod egregiè negotium hoc expleverint propria prædicatione, & exemplo, quemadmodùm ex variis ejuſdem epiſtolis liquet, præſertim verò ex centeſima vigeſima tertia, Presbyteris, & Monachis Phœniciæ ſcripta, qui eas gentes in fide erudire ſatagebant. Meminerit impræſentiarum lector eorum, quæ de Sancto Pachomio, & aliis pluribus part. 2. cap. 1. innui.

Sanctus quoque Patriarcha Benedictus idem præſtitit erga Idololatras qui ſacrificiis ſacrilegis propè Caſinum Montem inſudabant; horum enim, teſte Gregorio Magno, commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat, &, ut ſubdit idem Sanctus Doctor, Diſcipulos identidem mittebat ad Neophytorum inſtructionem. Eximii hujus viri exemplo plures cœnobitæ, charitatis zelo ferventes, Miſſionum onus libentiſſimè ſubiere, adeò ut Anglia, Germania, Svecia, Dania, Pannonia, Bohemia, Polonia, Monachis noſtri Ordinis propriam debeant converſionem.

Qua-

Quare hinc liquet, concionandi munus neutiquam Monachis inhiberi, quandocumque ad ipſum ritè perſolvendum fuerint apti. Quocirca operæ pretium foret neminem ad iſtam Provinciam capeſſendam deligere, quin multum ædificationis, ac ſpiritualis proventus inde ſperetur; cùm ſiquidem Monaſtico ex inſtituto ad hæc oſtentoſa munia non deſtinemur, ſed potiùs ad ſolitudinem, ſilentium, fugam à Mundo, & jugem pœnitentiam, congruum pariter erit, nullum extra has leges ad ipſa deligere, quin prius innoteſcat, ad ea ſpeciatim, divinituſque vocari. Et ſanè quotieſcumque de ſolitudine, ſeu, ut ſic loquar, de Erémi limitibus, quempiam egredi conſpicimus, ut palàm Mundo ſermocinetur, prodigioſa dumtaxat audire univerſim ſperamus. Neceſſum itaque erit, ut Monachi tale onus ſubeuntes, multo zelo, pietate, humilitate, atque doctrina præſtent: item quòd jugiter ſint orationi dediti, adeò ut ex inveterata religioſè vivendi conſuetudine, certa honeſtatis, ſolidæque virtutis indicia in ipſis appareant. Quandoquidem nullatenus exiſtimandum, licitum eſſe ſacrum hocce miniſterium Monachis quibuſdam inflatis, ac turbulentis committere, tametſi naturali loquendi promptitudine, & audacia præditis, ob id tantùm ut eorum ingenia exerceantur, aut, ne otio torpeſcant, ad aliquid occupentur. Nefas profectò eſt divinum verbum, quo nihil in toto Terrarum Orbe præſtantius, ideò prædicandum aſſumi, ut quis in aliquo dumtaxat occupetur onere, abſque ullo ſpirituali animarum emolumento; quid enim eſt aliud niſi ipſum profanare, cùm ad uſum deſtinatur dignitati ejus, atque excellentiæ adeò incongruum?

Hinc porrò fit, vel indecens eſſe hocce miniſterium junioribus exercendum tradere, qui ſufficientis maturitatis, atque prudentiæ defectu facilè tum ſibi, tum cæteris detrimento eſſe queunt. Perquàm familiaris ſtimulus hic Religioſis quibuſdam adoleſcentibus videtur, qui novo veluti charitatis zelo intùs correpti, neutiquam huic ſatisfactum iri autumant, præterquàm concionandi munere, unde animarum converſionem, & ſalutem ſibi certò ſpondent. Jam olim Divus Bernardus id animadvertit ſermone 64. in Cantica, & ante ipſum S. Nilus lib. 2. epiſt. 103. ubi ait, hujuſcemodi Monachos Dæmonum potiùs, & fortaſſis etiam hominum, ludibrio exponi.

Expedit igitur ſcientiis, ac virtutibus ſemetipſum plenè imbuere, priuſquam prædicationis munere aliorum eruditionis quis vacet; quinimò ſpiritualium Chariſmatum, pietatiſque fontem inexhauſtum, cor noſtrum eſſe oportet, diuturniſque orationibus probè munitum, ne quantocyùs in ſe ipſo ariditatem pati contingat. His autem præviis deficientibus diſpoſitionibus, quid aliud quæſò à Concionatoribus exaudire quis poterit, niſi vanas ſpeculationes, cogitationes futiles ac inanes verborum apparatus, unde Auditorum animi præ ſpiritualis alimoniæ inopia languentes, miſerè ingemiſcunt, & à recta ſui conformatione recedunt?

Ex eo pariter pravum iſtum affectum oriri deprehendimus, quia ſcili-

ſcilicet concionatores, ſapientes ut plurimùm dici avent, eloquentesve auditoribus videri; unde proprium ingenium ſubinde oſtentant, adeòut ſibimet tantùm loqui reverà videantur, neutiquam verò auditorum cœtui. Verùm hoc modo concionantes, ſi rem vélint accuratè perpendere, nec ſibi, nec aliis utiliter inſudant; tunc ſiquidem ſapientum magis vileſcunt animis, quò plus in altum ſe conantur extollere. Id vitii genus ſeriò animadvertit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 27. ubi de nonnullis Eccleſiarum Miniſtris valdè conqueritur, eò quòd concionandi munere abuterentur, quia hominibus phalerata eloquentia placere maximè concupiſcerent, atque forenſem dicendi methodum in Eccleſiis oſtentarent, & theatrales cothurnos ad Evangelicæ veritatis ſuggeſtum transferrent.

Quòd ſi abſurdum, ac turpe id vulgari concionatori cenſetur, quantò magis Monacho, qui propriis ſermonibus, & exemplis, nihil aliud, præter humilitatem, ac modeſtiam, mundo tenetur indicere.

Primùm itaque velim, Monachum prædicationis munus obiturum, nullatenus ſuapte ſpontè ipſi ſe dedere, ſed tamdiu differendum, donec ad illud à Majoribus Congregationis deſtinetur. Item nonniſi cum tremore, & velut invitè, cùm delectus fuerit, tale onùs ipſi ſubeundum, ne vel ſine fructu illud exercere, vel ipſo aliquando contingat abuti. Cùm ſiquidem peculiares, ac extraordinariæ dotes requirantur, ut ſacro iſto miniſterio quis dignè, aut laudabiliter fungatur, Deum profectò tentaret, ſi eas ſibi non defuturas præſumeret, quandocumque tale onus ſubiret. Si Monachus de ſe ipſo humiliter ſenſerit, ejuſmodi munus ſanè non ambiet; ſin autem, jam eo cenſendus prorſus indignus.

Secundò nedum virtutibus, verùm & ſcientiis affatim præditum eſſe fas erit, & quidem comparatis, non modò ex ſcholaſticis ſtudiis, quæ modicùm ad concionandum conferunt, ſed ex Scripturarum Divinarum, Sanctorumque Patrum promptuariis; præſertim verò Sancti Joannis Chryſoſtomi, S. Auguſtini, S. Gregorii, & S. Bernardi, qui ceu quatuor concionatorum Doctores ſunt habendi. Rurſus Univerſa fidei, Catholicæque Religionis dogmata, nec non Ethica Chriſtiana examuſſim ſciri debent, quorum omnium notitia, tum ex Autographis ipſis, tum ex celebriorum Scriptorum voluminibus petenda eſt. In primis autem accuratè à Concionatoribus libri omnes perlegendi erunt, quos Sanctus Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana concinnavit.

Tertio multùm proderit, ſi ſermocinantes punctum aliquod morale explicitè, diſtinctèque proponant; neutiquam verò acutas ſpeculationes, antitheſes, & argutias, undè nullus penè fructus eruitur. Sermones morales, qui paucis ab hinc annis in lucem prodiére, exactam ſuper hoc methodum dabunt.

Quartò expedit, ut Concionatores, ſermones ſuos dum texunt, corde non minùs, quàm intellectu, quæ aliis enunciaturi ſunt complectantur, ſedulòque conſiderent, num ipſimet pari compunctionis

affectu ducantur, qualem auditoribus perſuadere cogitant; ſecùs enim quì fieri poterit, ut iſtorum animi efficaciter moveantur? *Si perſuadere volueris*, inquit Mellifluus, *id tecum priùs gemendo, quàm declamando, ſtudeas; tunc enim dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod ſuades, priùs tibi illud cognoveris perſuaſiſſe. Illius ſanè Doctoris libenter audio vocem, qui non ſibi plauſum, ſed auditoribus planctum movet.* Quamquam lacrymis, ut S. Auguſtinus monet, parum fidendum eſt, niſi vitiorum ſequatur emendatio. Nimiæ eloquentiæ ſtudium (ut recens ſcripſit Cordatus Author) pios, ac intimos cordis affectus valde moratur, & concionatoribus ipſis ſemper hinc aliquid demitur, niſi ex animarum lucro proprium reparent detrimentum.

Bernard. ſerm. 59. in Cant. n. 3.

Quintò fatagendum eſt, ut ſermo, qui componitur, auditorum captui, ac diſpoſitioni congruat, adeòut ſi ad plebem habeatur, vulgaris ſit, plenèque intelligibilis, nihil tamen Divini Verbi dignitati derogando, cui plerumque, plus tribuitur ex ſimplicis, ac naturalis eloquii ratione, dummodò methodum quamdam, ac energiam ſervet, quam ex tot Rhetoricis floribus, atque cincinnis, qui nihil ferè proſunt audientibus. Divinus itaque ſermo nonnihil interdum dimittendus erit, dummodò nullatenus vileſcat, aut ſordibus ſubjiciatur, ea ratione, qua Verbum increatum pro nobis peccatoribus humiliari in carne dignatus eſt, nihil tamen proprii decoris, ac majeſtatis amittendo. Hanc methodum perquàm egregiè tenuit Divus Joannes Chryſoſtomus, qui, referente Photio, obſcuriores, difficilioreſque quæſtiones identidem negligebat, ut alias ſolum expenderet auditorum animis magis opportunas. Verbo demùm, id jugiter præferendum erit, quod ad eruditionem potiùs, quàm ad delectationem confert; itaut rhetoricis dicendi artificiis divina ſemper præcedant oracula, ſpernendo quidquid vel minimùm affectatam redolet eloquentiam, ut veritas ipſa purior, quoad fieri poteſt, eluceſcat, cordibuſque audientium faciliùs inſeratur. Quamobrem Sanctus Auguſtinus inquit: *Qui docet, vitet omnia verba, quæ non docent; & dum omnes inſtruamur, Grammaticè non timeantur; quid enim prodeſt locutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis?* Et alibi: *Cur ergo pietatis Doctorem pigeat, imperitis loquentem, Oſſum potiùs, quàm Os, dicere, ne iſta ſyllaba non ab eo, quod ſunt oſſa, ſed ab eo quod ſunt ora, intelligatur?* Plura alia ad Concionatores attinentia legi poſſunt in libris ſpeciminum moralium; præcipuè verò in calce tertii Voluminis; & in eorumdem continuatione in Evangelium Feriæ 3. Hebdomadæ quartæ Quadrageſimæ.

Photius in Bibl. c. 174.

Auguſtinus epiſt. 187. num. 14.

Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſtian. c. 10.

Velim prætereà tantumdem Ruſticorum, Agricolarumve eruditioni inſudandum, quantum coràm nobilibus, & præcipuarum Urbium Magnatibus ut plurimùm concionari fatagitur. Plus namque ſæpiſſimè prodeſt diligens Cathechéſis, ſimplexve Evangelii expoſitio, quam elaboratus ſermo, elegantiſſime concinnatus. Multo profectò, imò majori, quàm credatur, ſtudio eſt opus, & proficua, &

exacta

exacta fiat catecheſis; hanc tamen ſi ut par eſt ſemel expenderis, incredibile eſt quantum ſpiritualis proventus inde ſequatur; cunctæ namque Chriſtifidelium, & potiſſimùm Villicorum ineptiæ, ex eruditionis defectu naſcuntur, nec niſi ægerimè tot ab ipſis abſurda, vel delicta patrarentur, ſi doctrinam Chriſtianam, & Evangelicam ritè aliquando perciperent. Proœmium ſuper hoc opus eſt inviſere in fronte Catechiſmi hiſtorici, nuper editi à Domino Abbate Florio, cujus methodum lectori multùm profuturam reor. Huic porrò ſuperaddi poterit Catechiſmus Diœceſeos Meldenſis; ſed in primis S. Auguſtini liber de catechizandis rudibus legendus erit.

Cæterùm catechizandi, non minùs quàm concionandi praxis in Monachorum Cœnobiis ſemper invaluit; conſuetudinem ſiquidem hanc in vita etiam S. Pachomii legimus, qui pagum quemdam cum cerneret, proprio Monaſterio finitimum, Eccleſiaſticorum Miniſtrorum penitus expertem, Epiſcopum ſuaſit, rogavitque, ut ſacram ædem inibi, ædificari mandaret. Dum autem Presbyter quæreretur idoneus, qui eam regeret, ipſemet S. Pachomius unà cum aliquot Monachis illò identidem proficiſcebantur, ut populum illum Sacrorum librorum lectione erudirent; tantumque opitulante Deo profecére, ut eorum Ethnicorum plurimi in Chriſtum crediderint.

Prætereà ex Theodori Epiſtola, ejuſdem Sancti Pachomii Diſcipuli, exploratum habemus, quòd in præfato Cœnobio erudiebantur quicumque Baptiſmum recipere cupiebant. Idipſum legimus de Monaſterio Bethleemico, teſte Hieronymo in Epiſtola ad Pammachium, ubi conqueritur, quòd Joannes Hieroſolymorum Antiſtes Sacramentum Baptiſmatis competentibus ſuis conferre noluerit, hoc eſt Catecumenis iis, qui jam inſtructi Chriſtianæ Religionis articulis ad Baptiſmum admitti poſtulabant, quique tali nomine indigitabantur, eò quòd una ſimul hocce Sacramentum peterent. Compertum præterea nobis eſt ex vita S. Euthimii Abbatis, quamplures Saracenorum Neophytorum ab ipſo in proprio Cœnobio catechizatos, & baptizatos fuiſſe. Legatur Philoteus Theodoreti cap. 52. & 54. ubi plura id genus alia memorantur exempla.

Verumenimverò ſi hujuſmodi charitas in exteros, & alienigenas à nobis eſt exercenda, quantò magis erga ſubditos, Monaſteriique incolas, ac ruricolas? Monet ideò Caſſiodorus, de his multùm nos debere eſſe ſollicitos, curando nimirum, ut Cœnobium frequentent, quatenus ſalutaribus monitis, & exemplis ibidem imbuantur: *Frequenter ad Monaſteria Sancta conveniant, & erubeſcant veſtros ſe dici, & non de veſtra inſtitutione cognoſci.* His accedit Monachorum pudori, & ignominiæ futurum, niſi proprios famulos, ac domeſticos ita erudire ſatagant, ut à cæterorum fidelium cœtu conſimili morum rectitudine, atque honeſtate reſpectivè diſtinguantur, qua Cœnobitæ ipſi cunctis prælucere ex proprio inſtituto tenentur.

Caſſiodor. Divin. Inſtit. cap. 31.

Cùm ex Fratribus, quos Laicos, ſive commiſſos appellamus, &

Pachom. Reg. cap. 139. & 140. inferioribus deſtinamus miniſteriis, nonnulli ſæpè ſint, literarum penitùs expertes, imò & legere ignorantes, illud quoad hos ſervandum foret, & quod S. Pachomius in Regula inſtituit, dicens: Qui rudis in Monaſterium fuerit ingreſſus, ſi literas ignoravit, vadat ad eum, qui docere poteſt, & qui ei fuerit delegatus, & ſtabit ante eum, & diſcet ſtudioſiſſimè cum omni gratiarum actione. Poſtea ſcribantur ei elementa, ſyllabæ, verba, nomina, & etiam nolens, legere compellàtur; & omninò nullus ſit in Monaſterio, qui non diſcat literas, & de ſcripturis aliquid non teneat, quod minimum eſt uſque ad novum Teſtamentum, & Pſalterium. Et reverà in plerìſque Cœnobiis miſera iſtorum lugenda eſt Fratrum conditio, qui neceſſariæ cùm ſint educationis expertes, ſibimetipſis planè dimittuntur, iiſque omnibus exponuntur errandi periculis, queis ut plurimùm ſubeſt vita merè ſervilis, atque mechanica, nulla lectione aut interiori ſpiritus compunctione, ſuffulta.

CAPUT XVIII.

Methodus, ſive ſtudiorum norma, exacto tyrocinio uſque ad Theologicum curſum incluſivè tenenda.

JAm jam ſecundæ Partis præſentis Tractatûs, quæ tum difficilior, tum opportunior videbatur, finem attingimus; nunc ſiquidem tantùm ſupereſt, ut unuſquiſque proprias metiendo vires, eam ſibi ſtudendi rationem ex hactenus recenſitis deligat, proprio genio, atque inclinationi magis conſentaneam. Ad quod præſtandum abs re non erit, vel Superiores privatim conſulere, vel virum aliquem ſapientia æquè, ac prudentia præditum, ut quid opportunè ſit eligendum agnoſcatur. Quamdam propterea ſuper hoc methodum ſaltèm adumbrare conabor, multifarias lectiones innuendo, ſingulorum diſpoſitioni, captui, & ætati reſpondentes, ut facilior ſtudiorum praxis oſtendatur, iis nempè, qui ſufficienti ad id lumine caruerint. Nolim tamen in hoc tanquam Dux, vel anteſignanus haberi, adeò ut ſi opus fuerit, norma iſta, vel emendari, vel mutari neutiquam poſſit.

I.

Primus itaque probationis, ſeu tyrocinii annus, & duo immediatè poſt profeſſionem, in exacta Chriſtianæ Religionis notitia, virtutum, & Monaſticarum legum diſquiſitione integrè inſumendi erunt; proindeque eorum librorum comparatio fiet, ad id muneris ſolummodò pertinentium. Porrò Codices iſti, quoad fieri poterit, ſine mendis excuſi omninò ſeligendi erunt, in primis autem pro Gallica Lingua; ex Latinis enim non deerunt quadantenus tolerabiles, tametſi vel horum pauci ſat emendati occurrant. Satagendum eſt primis virtutum ideis juniores taliter imbui, ut eorum animis jucundè,

dè, ſuaviterque imprimantur, & quòd ex librorum lectione æquè illuſtretur intellectus, ac eorum inflammetur voluntas. Etſi namque quidam arbitrentur, intellectualibus hiſce deliciis juvenes prorſus eſſe privandos, inconſultam tamen ejuſmodi privationem cenſeo, cùm inde ſpiritualium rerum eos ſæpius tædere contingat, quàm vel minimùm ab iiſdem allici. Non eo inficias, ob utilium in primis intelligentiam, neutiquam verò ob elegantiam, ſtylique venuſtatem, libros legendos eſſe; Verumtamen compertum quoque eſt, vel ipſa cupedia, gravia plerumque, & guſtui importuna evadere, ſi debita conditione careant.

Ut igitur à Conventuum Tyronibus exordiamur, ſequentes libri, utpotè opportuniores, ab ipſis deligi poterunt: Scala S. Joannis Climaci, Confeſſiones S. Auguſtini Latinè, & Gallicè, Rodriguez noviſſimæ verſionis, manuductio Peccatorum Ludovici Granatenſis; Homo Spiritualis, & Homo Religioſus Patris Saint-Jure, Principia Vitæ Chriſtianæ Joannis Bonæ Cardinalis, ejuſdem manuductio ad Cœlum; & Via compendii ad Deum, cum verſionibus Gallicis, Inſtitutiones Ludovici Bloſii, Pugna Spiritualis Caſtanizzæ, Theſaurus Spiritualis Patris Quarrè, Specimina Moralia Domini Nicolai, horumque continuatio in Epiſtolas, & totius anni Evangelia, præſertim verò quartus eorumdem tomus de quatuor noviſſimis memorandis, Annus Chriſtianus. Addi etiam poſſet Chriſtianus interior, quamquam propoſitiones aliquot, ſeu potius expreſſiones, non nihil temerariæ in eo continentur, adeò ut à Sancta Inquiſitione Italica ejuſdem verſio in prohibitorum Indice recenſita fuerit, ſive, quia fideliter, ac ſincerè in lucem non prodierit, ſive quia nonnulla Quietiſtarum dogmata in ipſa fuerint detecta. Hanc item ob cauſam neutiquam permittenda eſt lectio libri Authoris cujuſdam, nomine Royas, utpotè ex primis ejuſdem ſectæ fautoribus. Præter Regulæ Codicem, & illum de Imitatione Chriſti, qui ſingulis Monachorum diſtribui ſolent, adjici etiam poterit libellus quidam meditationum Chriſtianarum, piiſſima continens dogmata, planèque ſalutaria. Omittenda non erit Vita S. P. Benedicti, à S. Gregorio Magno deſcripta.

Quoad Sacræ Scripturæ libros, & de Religione tractantes, legi poſſunt ab iiſdem Tyronibus Teſtamentum novum, Paraphraſes D. Godeau in Epiſtolas Divi Pauli, Noviſſima quædam Pſalmorum verſio, duabus, vel tribus Columnis diſtincta, Paraphraſis Pſalmorum Patris Megii, item ea Domini de Sacy, Figuræ Biblicæ, Iſraelitarum, & Chriſtianorum mores Domini Abbatis Florii, ejuſdem Catechiſmus hiſtoricus, Catechiſmus Concilii Tridentini, & Bellarmini Doctrina ſuper eodem Concilio, Catechiſmi aliquot recentiores nuper editi, ut Pariſienſis, Meldenſis, Catechiſmus trium Epiſcoporum, hoc eſt Andegavenſis, Rupellenſis, & Lucionenſis, vel demùm ille Epiſcopi Lactoracienſis, qui eſt velut Epitome univerſæ Theologiæ; Homiliæ in præcepta Decalogi, duobus parvis Voluminibus contentæ.

II.

Iis verò, qui jam ſolemne Profeſſionis votum emiſerint, præter enumeratos Authores, ſequentes diſtribui poterunt. S. Dorotheus nuperrimæ verſionis, ſolitudo Chriſtiana, Tractatus aliquot Divi Bernardi Gallicè editi; ejuſdem S. Doctoris vita in ſex libris lingua item Gallica excuſa; primus Ciſtercienſium fervor, Moralium S. Baſilii verſio per Dominum Hermantium, Joannis Cardinalis Bonæ divina Pſalmodia, Caſſianus Gallicè, Homiliæ aliquot S. Joannis Chryſoſtomi Gallicè, Primus, Secundus, & Quartus Aſceticorum, ex Sanctorum Patrum Operibus eruti in gratiam Monachorum noſtræ Congregationis. Tractatus aliqui ſpirituales Cardinalis Roberti Bellarmini: De gemitu Columbæ, De Aſcenſione mentis in Deum, De arte bene moriendi, Paraphraſis in Pſalmum: *Beati immaculati*, Latinè, & Gallicè, Opera Spiritualia Avilæ.

Quoad Scripturam verò, & libros de Religione: Proverbia, & Eccleſiaſtes, tum Latinè, tum Gallicè, cum notis; Concilia Sapientiæ Patris Bouteau, S. Auguſtini liber de Religione, iſque de moribus Eccleſiæ nuper Gallicè verſus à Domino Du Bois, Cura Clericalis, Latinè, & Gallicè, Catechiſmus Poeticus Domini Abbatis D'Heauville.

Prout autem ad Monaſticam hiſtoriam primò adſcribendam ſpectat: Compendium Hiſtoriæ Monaſticæ Orientis, Epitome Hiſtoriæ Ordinis S. Benedicti, Vitæ Patrum Deſerti. Item nonnulla in Regulam clariora commentaria, ut illa Patris Edmundi Martene, nec non ejuſdem Ritus antiqui Monaſtici.

Aliquot etiam humaniorum literarum Authores ab iiſdem legi velim, ut juvenilis identidem fervor exerceatur; ſed ſtatis dumtaxat horis, in quibus ad ſeria nullatenus ſint occupandi. Quocirca à Superioribus poterunt iis permitti: Epiſtolæ familiares Ciceronis, eæ Divi Hieronymi, Parvus Phædrus, Paraphraſis Evangeliorum per Deſiderium Eraſmum, eaque Cornelii Janſenii, Juſtus Lipſius de Conſtantia in adverſis, utpotè moralis, ac emendatus, Introductio ad Sapientiam Ludovici Vives, Latinè, & Gallicè, Drexelius. Quòd ſi Græcam Linguam calleant: novum Teſtamentum Græcum, Pſalmi Patris Dionyſii Petavii, Attica Lingua, & metricè concinnati, qui univerſim commendantur, Orationes aliquæ S. Joannis Chryſoſtomi, Dialogi ſelectiores Luciani, & alii ſimiles, qui ſint eorum captui conformes. Quamvis autem Congregatio noſtra junioribus Profeſſis humaniorum literarum ſtudium minime permittat, ſuper quo nullam impræſentiarum cenſuræ notam conſtitutionibus ejuſdem inurere audeo; nihilominùs aliis multis, qui noſtris haud ſubduntur legibus, quæ hactenùs innui, prodeſſe queunt. Iſtius interim biennii tempore à Ludimagiſtro docebuntur expeditè legere aptèque pronunciare, tum Latinum, tum Gallicum idioma, atque intelligibili charactere caſtigatè ſcribere, leges ſcilicet orthographicas exactè ſervando.

Con-

Congruum pariter eſſet Tractatum quemdam ab ipſis perlegi de Urbanitate Chriſtiana, tomo ſecundo ſpeciminum moralium inſertum, ut religioſis, ac civilibus iis legibus ritè imbuantur, quas inter ſodales in primis ſervare tenentur, ob ſolam honeſtatis virtutem, non autem ut cæremonias quaſdam affectent, ſeu potiùs novam quamdam hypocriſis ſpeciem oſtentent. „ Quand on à la foy (dit un pieux auteur) & que c'eſt elle qui nous fait agir, c'eſt a dire quand on regarde Jeſus Chriſt dans ſon frere, au quel on rend honneur, une reverence devient une action de pietè & de Religion ; & óter ſon chapeau, en paſſant devant un étranger, eſt une priere : Cùm nobis ineſt vivida fides (inquit pius quidam Author) & illa ad operandum unicè dirigimur, hoc eſt, cùm Jeſum Chriſtum in Fratribus, quos veneramur attendimus, tunc quilibet venerationis actus in Religionis, ac pietatis opus evadit ; pileumque hoc modo deponere coram pertranſeunte hoſpite, novum eſt genus orandi. *Priere Contin. pag. 456.*

III.

Elapſo profeſſionis biennio , ſi Grammaticæ rudimenta ſint denuò perluſtranda, hoc quamprimùm juvenes expedire ſatagent ; interim verò perlegent Sanctorum Baſilii, & Gregorii Nazianzeni vitas, à Domino Hermantio exaratas, eamque D. Bartholomæi de Martyribus, Archiepiſcopi Bracharenſis ; item piiſſimi hujus Antiſtitis compendium Spiritualis Doctrinæ, Perfectionem Chriſtianam Cardinalis Richelei, Librum de jejuniis, & alium de Feſtivitatibus Patris Ludovici Thomaſſini, ejuſdemque Pſalmodiam, & librum de Veritate ; Regiam viam Sanctæ Crucis Benedicti Haefteni, aliquot Drexelii Tractatus, Charactéres Paſſionum Domini de la Chambre, Uſum paſſionum Patris Senalti.

Libri verò ad Religionem, & Scripturas attinentes, erunt : Libri Regum noviſſimè editi , Eccleſiaſtici , & Sapientiæ ; Catechiſmus Cardinalis Richelei, &c.

Authores humaniorum literarum : Cicero de Oratore, nonnullæ ejuſdem Orationes , ut pro Milone , pro M. Marcello, pro Rege Dejotaro, in Catilinam, ſecunda ex Philippicis , De Officiis, &c. unà cum verſione noviſſima D. Du Bois, Salluſtius, Titus Livius, Tacitus, Cæſar, Hiſtoria Sulpitii Severi, unà cum Traductione Domini Giry, oppidò eleganti, & emendata: Inſtitutiones Lactantii, & de morte perſequutorum , unà cum verſione Domini De Maucroix Canonici Rhemenſis, Florus Gallicus, Epigrammatum delectus, Poemata Patris Rapini, Patris Commire, Patris de la Rue , Hymni Domini de Santevil Poetæ celebris, Poemata P. Beverini, Pia Hilaria, Pia Deſideria, Comœdiæ Terentii traductæ, Colloquia Eraſmi à Domino Mercierio expurgata, Horatius Turſelinus de Particulis , Enchiridion Grammaticorum , Epiſtolæ Ciceronis , Manutii, Cardinalis Sadoleti, & Bongarſi ad Epiſtolarem ſtylum addiſcendum,

P 4

dum, Geographia Philippi Cluverii, Rationarium P. Dionyſii Petavii, Chronologia P. Philippi Labbè, Compendium Chronologicum Strank, ubi de Chronologia exactè agitur.

IV.

Qui verò Philoſophiæ operam dabunt, legere non omittent Tractatum de methodo chriſtianè ſtudendi, qui in calce ſecundi Voluminis Speciminum Moralium habetur, de quo plura infra part. 3. hujus Tractatus. Item Tractatum ejuſdem Authoris de Oratione, Librum de cognitione, & Amore Dei, Patris Saint-Jure; Joannis Trithemii Homilias, Quintum Aſceticorum tomum, Ludovicum Bloſium, &c.

Prout ad Religionem, & Scripturas, legi ab ipſis poterunt: Catechiſmus Ludovici Granatenſis, Miſſæ declaratio per Epiſcopum Meldenſem, Collationes Lucionenſes, & Rupellenſes. Hugo Grotius de veritate Religionis Chriſtianæ, item Veritas Religionis Marchionis Planitiarum, Geneſeos liber nuperrimæ Verſionis, Pſalmi Epiſcopi Meldenſis, Gagnæus in Divum Paulum.

Libri ad Philoſophiam ſpectantes, erunt: Illi Ciceronis, hoc eſt: Quæſtiones Tuſculanæ, de Natura Deorum, de Divinatione, de Officiis, de Amicitia, de Senectute; Seneca de Providentia, de conſtantia Sapientis, de Vita beata, de Arte cogitandi, Paſſiones Patris Jacobi Malbranche, vel alius Authoris.

Quoad Sacram denique Hiſtoriam: Vita S. Joannis Chryſoſtomi, Acta primorum Martyrum, Selecta per Domnum Theodoricum Ruinart, Hiſtoria Nicolai Sanderi, Gallicè verſa à D. de Maucroix.

V.

Ab iis demùm, qui Theologicæ facultati navabunt operam, legi poterunt: Doctrina Moralis in Orationem Dominicam, Amor pœnitens Joannis Epiſcopi Caſtorienſis, ejuſdem de cultu Sanctorum, vel duorum ejus librorum verſio nuper excuſa; preces continuæ, & alii Tractatus Hamonis, Meditationes Domini Paſchalis, ejuſdem Sermo in eaſdem editus, & alius in libros Moſis; Typus pœnitentiæ D. Godeau, ejuſdem Sermo in Sacros Ordines; S. Joannes Chryſoſtomus de Sacerdotio, Catecheſes S. Cyrilli, Epiſtolæ S. Iſidori Peluſiotæ, & Sancti Nili.

Controverſiæ Cardinalis Richelei, libri Dabadiæ de Religione, Vera Religio Patris Vallorii; item Monumenta Domini de Choyſeul Epiſcopi Tornacenſis de Religione; ponderationes D. Peliſſonii in controverſias de Religione; Tractatus de Religione contra Atheos, Deiſtas, & novos Pyrrhonianos, Tractatus de confeſſione Sacramentali Patris de Sancta Martha, noſtræ Congregat. Monachi; Moralis Doctrina Gratianopolitana, Eſtius in difficiliora loca Scripturæ, Prophetarum libri recens traducti.

Quan-

Digitized by Google

Quantùm ad Sacram Hiſtoriam: Dominus Godeau, Vitæ Sanctorum Athanaſii, & Ambroſii per D. Hermantium, Vita Theodoſii Magni à Domino Fleſchierio deſcripta.

Theologici tandem libri erunt: Melchior Canus de Locis Theologicis, Contenſoni Theologia, Eſtius in Sententias, Binsfeldius in Sacramenta, Cicero de Natura Deorum, Sermo de Dei exiſtentia, & Animæ noſtræ immortalitate, qui legitur tom. 2. Speciminum Moralium.

VI.

Cùm autem ſtudiorum recollectio fiet, perlegi poterunt S. Cyprianus, S. Joannes Chryſoſtomus in Matthæum, & Paulum, unà cum reliquis ejuſdem Homiliis; S Auguſtinus in Pſalmos, in Joannem, De Opere Monachorum, ejuſdem Epiſtolæ; Libri Moralium, & Dialogorum Magni Gregorii, & in Ezechielem; Sanctus Bernardus, Eſtius, vel Fromondus in Divum Paulum; Falſitas humanarum virtutum D. Eſprit, ejuſdem Epiſtolæ, Concilium Tridentinum, Joannis Bonæ Cardinalis Liturgia, Obſervationes Hugonis Menardi Benedictini in Sacramentarium Divi Gregorii, Petrus Arcudius in Sacramenta, Leo Allatius de perpetua conſenſione utriuſque Eccleſiæ, Occidentalis, & Orientalis; Pater Joannes Morinus de pœnitentia, & Sacris Ordinationibus, Tractatus de Unitate Eccleſiæ: Rationes, & Argumenta legitima contra Calviniſtas; Diſquiſitiones Benedicti Haefteni in Regulam, commentaria R. P. Abbatis de la Trappe, ejuſdemque Obligationes Vitæ Monaſticæ.

CAPUT XIX.

Continuatio ejuſdem Materiæ, ubi ſtudia ſingillatim recenſentur, poſt Theologicum curſum abſolvenda.

NOſtrum nemo ibit inficias, opportunius ſtudendi tempus poſt Philoſophicum, ac Theologicum curſum, ſtudiorumque recollectionem, contingere. Ut igitur ea hìc ſtudia ſaltem adumbrentur, queis tunc juvat incumbere, in tres claſſes Monachos diſtribuam: prima eorum eſt, qui piis dumtaxat operibus vacare optant; Altera eorum, qui mediocri ſunt eruditione contenti; Tertia demùm eos complectitur, qui vaſto pollentes ingenio, à Majoribus Congregationis, vel ad ſcientiarum cultum deſtinantur, vel ad aliquid Eccleſiæ, aut Religioni proficuum.

Primi Divinarum in primis Scripturarum lectioni, ac meditationi operam dabunt. Hujuſmodi lectio continua, & ponderationes, quæ identidem fient, ipſis commentariorum loco eſſe poterunt; quandoquidem literalem tantummodò ſenſum, ac moralem in ipſa inquirent;

rent; neutiquam verò chronologica, ſive critica dubia, quæ ſcopo ab ipſis intento minimè prodeſſent; præterea aliæ complures ſuppetent veritates, quibus tum propriæ, tum alienæ ſalutis, proſpicere valeant. Poterunt nihilominus, ſi opus fuerit, verſionibus, ac notis nuper excuſis, uti, vel nonnullis aliis brevibus commentariis.

Quantum verò ad Spiritualium Authorum volumina, unum dumtaxat, vel alterum illorum deligent, quem tamquam lucem, ac ducem ſequentur. Quocirca eam ſibi normam præſcribere debent, in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei relatam, videlicet: Ad Spiritualem profectum certis ingeniis immorandum; quod ex Seneca depromptum eſt. Divi Bernardi lectio Monachis hiſce ad pietatem propenſis, ſat ſuperque ſufficiet, qui etiam præfatam Epiſtolam ad Fratres de Monte Dei ſæpenumero perlegent.

Secundi verò generis Monachi, vel ſacram paginam verſabunt; vel etiam nonnullorum Patrum, Conciliorum, aut Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lectioni ſimul incumbent. Meminerint quæ jam ſuper hoc aliàs innui, propriamque mox ſtudendi methodum unuſquiſque diſponat. Legere interim non omittent concordiam Petri de Marca, Diſciplinam Eccleſiaſticam Ludovici Thomaſſini, Opera Joannis Morini, Annalium Baronii Epitomen, Authore Henrico Spondano, vel Eccleſiaſticam Hiſtoriam D. Godeau, & Concilia Generalia cum notis Chriſtiani Lupi.

Tertio tandem Monachorum generi, qui nimirum ad ampliora ſtudia aſpirant, ut Eccleſiæ, aut Religionis publicæ utilitati proſpiciant, ſequens ſtudendi Methodus, plus minùſve, ſervanda proponitur: primo ſcilicet Sacram Scripturam medullitus veſtigabunt, ut Chriſtum Dominum inibi nanciſcantur, in figuris quidem tantummodò præſignatum in veteri Teſtamento, at verò in novo palàm detectum; quapropter utrumque accuratè perpendent, veteres nempe Prophetias, & figuras, cum iis, quæ in novo completa ſunt, comparando. Quod ut faciliùs aſſequantur, Demonſtrationem Evangelicam Petri Danielis Huetii ſæpiùs evolvent.

Poſtquam autem utriuſque Teſtamenti harmoniam ritè compererint, regulas, modoſve diſquirent reconditiores Scripturæ ſenſus penetrandi. S. Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana Thyconii methodum apprimè commendat; quamplures tamen aliæ legi poſſunt in Prologomenis Waltoni in Biblia Poliglotta Londinenſia, & in fronte Librorum Cornelii à Lapide; denique in principio verſionis Pſalmorum apud Petit impreſſæ.

His porrò diligenter inſpectis, ſingulos Scripturæ libros peculiariter ponderare oportebit, hoc eſt ſingulorum veritatem primò intentam; potioreſque difficultates; Ad quod aſſequendum, Critici Sacri, & Biblia Magna P Joannis de la Haye oppidò conferent; Item Concordia Librorum Regum, & Paralipomenon, Pariſiis apud Deſprez nuper edita; denique Joannis Lightfooti Harmonia quatuor Evangeliorum inter ſe, & cum veteri Teſtamento.

Se-

Secundò Patrum Doctrinæ ſtudebunt; quocirca quæ ſupra innui reminiſcentur. Proderit autem principio legiſſe, vel ſaltem perluſtraſſe Dogmata P. Dionyſii Petavii, & Bibliothecam Eccleſiaſticam D. Du-Pin, ut ſingulorum Patrum aliqua ſaltem idea præhabeatur, donec aliam, ſi velint, proprio ſtudio, ac labore ſibi comparare valeant; quod non ægrè fieri poterit, ſi ſingulorum Patrum, quos legerint, analyſim quandam forment.

Quoad Concilia ponderabuntur cauſæ, ac difficultates præcipuæ, præſertim autem Œcumenicorum, eorumque, quæ primis octo Sæculis celebrata fuere, & omnium Nationalium. De Hiſtorico verò ſtudio jam ſatis alibi.

Operæ demùm pretium erit, ab iis, quorum literarii labores ad bonum publicum deſtinantur, humaniores literas identidem coli, & linguam Latinam, & Gallicam accuratè diſci, quarum proinde elegantiam, elocutionem, ſtylique venuſtatem ſedulò inveſtigabunt. Duplex porrò elocutionum genus apud Oratores, ac Poetas invenitur, ut egregiè animadvertit Author Speciminum Moralium tom. 2. cùm de norma ſtudendi; primum in raris quibuſdam, & gravibus ſententiis conſiſtit, quibus Lectorum animus mirum in modum allicitur, quemadmodùm in Tacito, & Seneca legimus; alterum verò in naturali quadam, ſimplicique dicendi methodo, ornata tamen, & amœna, ut in Terentio liquet, & Virgilio. Legantur quæ de hoc ſupra ſcripſit, præcipuè cap. II. de ſtudio humaniorum literarum, unà cum opere Domini Baillet, quod inſcribitur: *Jugement des Scavans:* Criſis Sapientum.

CAPUT XX.

Idea exactior earum lectionum, quibus poſſunt incumbere quicumque à Deo ad Studium Eccleſiaſticæ Doctrinæ per Autbographa excitantur.

QUamquam hactenus dicta ſatis eſſe queunt, ut generalis quædam ſtudiorum idea habeatur, ab iis præſertim, quos Deus ad ampliorem, gravioremque doctrinam advocat; res tamen exigit, ut præſentem materiam iteratò expendamus, diſtinctiùſque pertractemus, quatenus inde ad præfati finis conſecutionem planior via reddatur. Ad quod aſſequendum, ſaniorem doctrinam ex Authoribus primùm congerere fas erit, horumque opiniones conſultò deligere, quas Orthodoxæ Eccleſiæ magis arridere compereris. Secundò illas ſeorſim recenſere, de quibus univerſim ambigitur, vel diſceptatur. Poſtremò quaſlibet alias cavere, quæ proſcribendæ omninò videntur. Licèt autem prima iſtius ſcientiæ rudimenta ex Scholaſtica Theologia petantur; hæc tamen facultas, tum præſidio Scripturarum munienda erit, quarum ſenſus literarius naviter ponderabitur, tum etiam Eccleſiaſticæ Traditionis, quæ in Conciliis, & Pa-

tribus

tribus maximè continetur; quorum propterea opiniones, ac ſenſa ſedulò inveſtiganda erunt, & ſimul, quoad fieri poterit, concilianda, itaut inde primitivæ Eccleſiæ dogmata iis præſentis ævi demonſtrentur planè conſentanea; Ex hoc quippe doctrinarum indiſſolubili nexu Traditio ipſa potiſſimè roboratur, quæ unà cum ſacra pagina, cujus eſt fidelis interpres, fit nobis authentica norma credendi. Quamobrem neceſſum erit Divinarum Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudia ſimul copulare, vel materiis hiſce gradatim incumbendo, primò nempe Scripturis, poſtmodùm Conciliis, deinde Patribus, ultimò tandem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, vel juxta ſæculorum ſeriem ſingulas intermiſcendo, quod fortè utilius, atque jucundius legenti videbitur; hac etenim methodo ſolidiorem doctrinam poterit ſibi quiſque diſponere, quàm ſi ſeorſim prædicta perluſtret.

Poſſent itaque meo videri primò perlegi Antiquitates Judaicæ Flavii Joſephi, ejuſque Reſponſio ad Appionem, unà cum veteri Teſtamento; Item Annales utriuſque Teſtamenti Jacobi Oſſerii, Rationarium temporum Patris Dionyſii Petavii, tum ad utriuſque Teſtamenti intelligentiam, tum etiam eorum, quæ ſæculis ſequentibus evenére; denique Novi Teſtamenti lectioni adjici poterit ea Philonis Hebræi, Joſephi de Bello Judaico, & Hegeſippi de excidio Jeroſolymitano.

Quoad ea verò, quæ ad Eccleſiam pertinent, evolvenda erit Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ob oculos habenda, quæ Antonius Pagi edidit in Annales Baronii. Rationarium item præfatum Petavii, & compendium chronologicum P. Philippi Labbè, ad chronologicam ſeriem exactè ſciendam impensè juvant.

Prima, quæ nobis poſt ſacram paginam ſuppetunt monumenta, ſunt: Sancti Clementis Papæ Epiſtola ad Corinthios, Sancti Ignatii Martyris Epiſtolæ, cum notis Uſſerii, vel Voſſii, vel demùm Joannis Baptiſtæ Cotelerii. Uſſerii tamen editio videtur exactior, eò quòd recentium Græcorum additamenta rubris characteribus in ea diſtinguantur. Joannes Pearſon earumdem epiſtolarum vindicias contra Dallæum edidit, & Uſſerii falſitatem oſtendit Epiſtolam S. Ignatii ad S. Polycarpum refutantis.

Poſtmodùm S. Juſtini Martyris Apologetica pro Chriſti fide legentur, ejuſdemque Dialogus cum Triphone; Quinque S. Irenæi libri adversùs hæreſes, præſertim verò primus, & primum tertii caput, unà cum Athenagoræ Apologia; item liber Apoſtolicarum Conſtitutionum collectioni veterum Patrum primi Sæculi à Cotelerio inſertus, & eruditiſſimis notis illuſtratus.

Tertulliani ſcripta primitivum Eccleſiæ orthodoxæ fervorem oſtendunt, dogmata pariter, & Eccleſiaſticam ejus ævi diſciplinam. Univerſa hujuſce Doctoris opera legere proderit; ipſius tamen de Anima Tractatus, quæque contra Valentinianos elucubravit, longè minorem exigunt ponderationem, ac reliqua ejuſdem Opera; Quare

ipſius

ipſius Apologeticum iteratò inviſere proderit, libros item de præſcriptionibus contra Hæreticos, de Pœnitentia, de Oratione, de Baptiſmo, de Jejunio, de Spectaculis. Inter cæteras autem Operum ejus editiones præcellit ea Rigaltii, duobus Voluminibus in fol. Lutetiæ Pariſiorum 1641. cum notis, ex quibus tamen aliquot modum videntur excedere.

Pædagogus, & Stromata Clementis Alexandrini mira eruditione ſcatent. Ex ipſis intelligimus mores, & Chriſtifidelium ejus ævi diſciplinam. Doctoris iſtius Hypotipoſes a Photio maximè redarguuntur, quarum nobis aliquot tantùm ſuperſunt fragmenta. *Bibl. Cod. 109.*

Cuncta Origenis Opera legenda ſunt, præſertim verò octo ejus libri contra Celſum, Epiſtola ad Africanum, liber de Martyrio, Baſileæ nuper impreſſus, unà cum Epiſtola, & Dialogo contra Marcionitas, Libellus de prece, ſeptem, vel octo ab hinc annis in Anglia excuſus; ejuſdem Commentaria in Evangelia per Petrum Danielem Huetium. Abs re pariter non erit quæ de ipſo ſcribit Photius inviſere, nec non fragmenta, quæ refert Apologiæ Origenianæ, in quinque libros diſtributæ, à Sancto Martyre Pamphilo concinnatæ, unà cum Euſebio ſibi intimo, qui poſt Sancti Martyris obitum ſextum librum adjecit. *Cod. 117. & 118.*

S. Cypriani Opera ſemel, & itèrum legere oportebit, exceptis duobus ejuſdem libris de Teſtimoniis adversùm Judæos, & alio ad mores ſpectante, quos ſemel luſtrare ſat erit. Proderit autem hujuſce Sancti Patris lectionem ab ejuſdem vita, & Martyrio exordiri, & Annales Cyprianicos præcipuè conſulere in fronte Operum ejus, ex recenſione Joannis Oxonienſis Anno 1682. & Diſſertationes Dodwelii.

Apud Theodorum Balſamonem legitur Epiſtola Canonica S. Dionyſii Epiſcopi Alexandrini, eaque S. Gregorii Thaumaturgi, cujus Vita deſcribitur à S. Gregorio Nyſſeno; item Elogium S. Dionyſii Alexandrini in Actis ſelectis primorum Martyrum, quæ item attentè legentur.

Poſt Minutium Felicem, & Arnobium contra Gentes, legantur Apologiæ S. Athanaſii Alexandrini Præſulis, ejuſdemque Epiſtolæ; item libri Synodici contra Arium, & liber de Virginitate.

Ad Conciliorum lectionem hinc transmeandum erit, cujus exordium à Canonibus Apoſtolorum, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, quæ S. Clementis nomine evulgantur, primò petendum erit; deinde à Concilio Illiberitano. In hac porrò Conciliorum lectione tamdiu verſaberis, quamdiu in altera SS. Patrum te proficere noveris. Summorum quoque Pontificum Epiſtolæ Decretales tunc temporis perlegi poterunt, incipiendo ab iis Papæ Syricii. In Sacrorum Canonum Pandectis Guillelmi Beveregii adſunt Canones Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ Concilia, item Epiſtolæ Canonicæ cum eruditiſſimis notis ejuſdem Authoris. Antiquæ Canonum Collectiones Dionyſii cognomento exigui, quæ in Bibliotheca Juris Canonici Chriſtophori Juſtelli leguntur, conferendæ erunt cum editione Conciliorum P. Philippi Labbe, in qua etiam occurrunt Pontificum Decretales, Romæ dein ſeorſim editæ triplici Volum. in folio. Concilia demùm generalia.

lia Patris Chriſtiani Lupi, cum notis, evolvenda erunt, quas tamen circumſpectè legere oportebit; denique nova Collectio Conciliorum Baluziana, Obſervationeſque Albaſpinæi, Edmundi Richerii, & Patris Ludovici Thomaſſini.

Sed ut ad antiquos Eccleſiæ Patres regrediamur, perlegenda erit nova S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi editio ex recenſione Monachorum Benedictinorum Congregat. S. Mauri; item ejuſdem libri duodecim de Trinitate, Liber Synodicus, Galliæ, & Magnæ Britanniæ Epiſcopis nuncupatus; ejuſdem Fragmenta, cum Præfatione Nicolai Fabri; denique liber contra Auxentium.

Perlecta Euſebii Cæſarienſis Eccleſiaſtica Hiſtoria, legatur Conſtantini Vita ab eodem exarata; Lactantii Liber de morte Perſecutorum, longè ſanè majoris æſtimationis, quàm ejus Inſtitutiones; Brevis Hiſtoria Sulpitii Severi, & S. Martini Vita ab eodem deſcripta; Pauli Oroſii Hiſtoria adversùs Paganos, & antiquæ Panegyres; Hiſtoriæ dein Rufini Presbyteri, & Monachi Aquilejenſis, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, Theodori Lectoris, Philoſtorgii, & Procopii; meminiſſe pariter fas erit Euſebii Chronicon, cum notis Scaligeri, ejuſdemque continuationem per Idacium, ex recenſione Patris Jacobi Sirmondi; præterea Chronicon Proſperi Aquitanici, Victoris Tununenſis, Joannis Biclarienſis, & Breviarium Liberati, Cauſæ Neſtorianorum, cum notis P. Gernerii ejuſdem Correctoris.

Poſt S. Hilarii Opera, ad manum ſint Catecheſes S. Cyrilli Epiſcopi Jeroſolymitani; univerſa S. Baſilii ſcripta, & S. Optati Milevitani; Opera S. Gregorii Nazianzeni, ejuſque Vita oppidò ſatis jucunda; Libri S. Gregorii Nyſſeni contra Eunomium, in quibus propugnat S. Baſilium; ejuſdem Patris Epiſtolæ Meletii panegyris, S. Epiphanii opus de octoginta hæreſibus, ejuſque Anchoratus, ſeu Epitome doctrinæ Catholicæ, ex editione P. Petavii; inſuper Epiſtola Synodica S. Amphilochii, quæ impreſſa legitur tomo 2. Græcorum Monumentorum Cotelerii: Denique Syneſii Epiſtolæ ex editione Petavii, quæ plerumque leguntur apud S. Cyrillum Hieroſolymitanum; in primis autem Epiſtola egregia, quam Fratri ſuo Evoptio ſcripſit de Faſtigio Epiſcopali, ad quod is fuerat aſſumptus.

Ad hæc ſequentur Epiſtolæ, ac Homiliæ S. Paciani Epiſcopi Barcinonenſis, S. Joannis Chryſoſtomi Opera per Patrem Frontonem, & Epiſtola ad Cæſarium ex editione P. Hardovini.

Ex Operibus S. Ambroſii, S. Hieronymi, & S. Auguſtini nonnulla ſunt, quæ majorem præ aliis attentionem, ac ponderationem exigunt; iſthæc autem facilè comperies ex monitionibus in fronte ſingulorum poſitis à Monachis noſtræ Congregationis, in editione noviſſima Sanctorum Ambroſii, & Auguſtini; quod etiam præſtabunt in ea S. Hieronymi, cujus Epiſtolæ, Opuſcula, Commentaria in Prophetas, & liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cæteris ejuſdem S. Doctoris Operibus præferenda videntur.

Quoad

Digitized by Google

Quoad Sancti Ambroſii Opera, Epiſtolæ peculiares Tractatus, ejuſque Orationes funebres, cæteris attentiùs perlegi debent; quibus mox ſuperaddes Homilias S. Maximi Epiſcopi Taurinenſis, S. Gaudentii Epiſcopi Brixienſis, & Eunodii Diaconi Ticinenſis Opera.

Ex iis verò S. Auguſtini ſemel iterumque legentur Epiſtolæ, Opera Polemica, Tractatus de Doctrina Chriſtiana, de Religione, de Cura pro Mortuis, de Fide, & Operibus, de Moribus Eccleſiæ, de Virginitate, de Opere Monachorum, ſinguli Tractatus de Gratia, de Nuptiis, & Concupiſcentia, Sermones de Verbis Domini, de Verbis Apoſtoli, quinquaginta Homiliæ, libri de Civitate Dei, & Confeſſionum, tandem in S. Joannis Apoſtoli epiſtolam commentaria. Ad rem inſuper erit in antiquis Canonum Collectionibus Dionyſii exigui, Africana lectitare Concilia, quorum pleriſque S. Auguſtinus ipſe interfuit.

Quamplura etiam ex S. Cyrilli Alexandrini libris colligenda erunt, in primis autem ex ejus Epiſtolis, ex reſponſione ad Julianum Apoſtatam, & ex Homiliis Paſchalibus; Epiſtolæ S. Iſidori Damatienſis, S. Nili, & S. Paulini Epiſcopi Nolani, ad ſpiritualem profectum planè conducunt.

Nihil omittendum eſt in Theodoreto, viro inter Græcos impensè docto; potiſſimum verò ex editione Patris Jacobi Sirmondi, unà cum ſupplemento P. Garnerii, ex cujus etiam recenſione ſunt Opera Marii Mercatoris, cum variis Diſſertationibus, denuò recuſa, & aucta per Stephanum Baluſium, præter Gerberonii noſtri editionem.

Palladii Hiſtoria Lauſiaca Theodoreti Philotheo eſt valdè finitima, ſicut etiam Inſtitutiones, & collationes Joannis Caſſiani, cui adjiciendus erit S. Proſper contra Collatorem; nec omittendum Concilium Arauſicanum, nonnullaque alia ad hoc ſpectantia utile erit inviſere, quæ in calce ultimi Voluminis Operum S. Auguſtini habentur; libri demùm de Incarnatione Verbi, à præfato Caſſiano contexti, etſi parùm ad præſentem materiam, legendi erunt.

Epiſtolæ atque Homiliæ S. Leonis Papæ, item ex Sancti Maximi, S. Petri Chryſologi, & S. Baſilii Seleuciæ, multam eloquentiam redolent, ac venuſtatem, moreſque nobis indicant, ad diſciplinam ejus ævi.

Commonitorium Vincentii Lerinenſis inter egregia antiquitatis monumenta recenſetur, lectorique normam ſuppeditabit, unà cum Tertulliani libro de præſcriptione Hæreticorum, ad oppugnandas Sectariorum hæreſes. Prætermittenda non erit lectio Elogii, à Sancto Hilario Arelatenſi Antiſtite concinnati in laudem S. Honorati ejus prædeceſſoris, ac præclariſſimi Lerinenſis Cœnobii fundatoris: item Homiliarum S. Cæſarii, Arelatenſis quoque Præſulis, ejuſdemque Vitæ, à Cypriano Telonenſi Epiſcopo conſcriptæ. Præter iſtius S. Patris Homilias, quæ jam pridem in Bibliotheca Patrum fuerant typis editæ, duodecim aliæ ex recenſione Cl. Baluzii adjiciuntur;

& in-

Digitized by Google

& inſuper in Appendice tomi quinti Operum S. Auguſtini noviſſimæ editionis 102. habentur.

Ex Epiſtolis, & Tractatibus Salviani Maſſilienſis, Occaſum Romani Imperii, & perditiſſimos ejus tempeſtatis mores intelliges, unde duxit originem.

Trium celebrium Africanorum lectiones connectendæ erunt, videlicet Victoris Vitenſis, S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpenſis, & Facundi Epiſcopi Hermianenſis, qui duodecim exaravit libros pro trium capitulorum defenſione, cura, & ſtudio Patris Sirmondi nuper in lucem editos, unà cum Optato Variorum, ubi etiam ejuſdem Facundi epiſtola de eodem argumento legitur, à Domno Luca Acherio noſtro, 3. tomo Spicilegii primùm inſerta. Facundus autem prædictus Schiſmaticus erat. Admirabilia ſunt etiam Acta Martyrum Africanorum apud Victorem Vitenſem, qui lib. 3. egregiam refert confeſſionem Africanorum Præſulum ejus temporis. Comparanda eſt poſtrema S. Fulgentii editio apud Guillelmum Deſprez; nec omittenda erit vitæ hujus S. Doctoris lectio, quippe ſpiritui maximè proficua. Ex epiſtolis S. Fulgentii, nominatim ex ſexta decima, quæ eſt Petri Diaconi, pag. 283. nuperrimæ editionis, inſignis quædam Liturgiæ S. Baſilii doctrina colligitur.

Evolvenda ſubinde erunt duo Concilia Carthaginenſia, annorum 525. & 535. Item Gallicana, & Hiſpanica, ſexto, ac ſeptimo ſæculo celebrata; inſuper epiſtolæ Sidonii Apollinaris ex recenſione Patris Sirmondi, eæque Aviti, S. Remigii, aliorumque Præſulum, qui fuere tunc ſibi Synchroni, quæ in Conciliis Galliæ, & tomo primo Hiſtoriæ Franciæ Andreæ Cheſnii habentur; denique diſputatio coram Gondebaldo Burgundiæ Rege habita ab Alcimo Avito, Viennenſi Epiſcopo, aliiſque Regni Præſulibus, contra Arianiſmum, quæ tomo quinto Spicilegii impreſſa legitur; ex quibus, inquam, Operibus plurima ſcitu digna paſſim intelliges, illorumque temporum diſciplinam planè dignoſces.

Ad hoc pariter valde præſtant epiſtolæ Magni Gregorii, cujus liber Paſtoralis, Moralia in Job, Homiliæ in Ezechielem, & in Evangelia, Dialogorum denique libri, innumera penè Chriſtianæ pietatis ac religionis dogmata complectuntur. Legatur liber Sacramentorum ejuſdem S. Doctoris, cum notis P. Menardi.

Gregorii Turonenſis Hiſtoria, nedum toti Galliæ, verùm etiam Eccleſiæ univerſæ plurimùm prodeſt. Eruditiſſimus Hadrianus Valeſius varias emendationes, ac notas in eamdem edidit, ut videre eſt in Prœmio Hiſtoriæ primitivorum Franciæ Regum; juvabit ergò ipſum inviſere, dum præfati Gregorii Hiſtoria luſtrabitur, ex editione potiſſimum Andreæ Cheſnii. In aliis porrò ejuſdem Gregorii libris, hoc eſt in iis de Gloria Martyrum, & Confeſſorum, legenti occurrent S. Martini, aliorumque Confeſſorum præclara miracula, & alia pleraque ad Eccleſiaſticam Diſciplinam ſpectantia.

Magni Aurelii Caſſiodori epiſtolæ univerſim commendantur, ejuſdemque

demque divinarum Inſtitutionum opus, ad Monachos attinens, in quibus non pauca ad ſpiritualem profectum conducentia continentur.

Quoad ea, quæ ſeptimo reſpondent ſæculo, epiſtolæ S. Columbani, & S. Maximi Abbatis & Martyris Opera, unà cum Conciliis adversùm Monothelitas celebratis, planè ſufficient.

Ex Authoribus vero, qui ſubſequentibus floruere ſæculis, ea ſolùm depromenda erunt, quæ maximè videbuntur neceſſaria; plerique namque eorum nonniſi Collectanea ex antiqua Patribus lucubrarunt, ut legenti liquet S. Iſidorum Hiſpalenſem, Bedam venerabilem, Alcuinum, S. Paſchaſium, Radbertum, Rabanum Maurum, & Hincmarum ArchiepiſcopumRemenſem. Hinc tamen non eſt, quin plurima ſcitu digna ex ipſis percipi queant; ſatiùs nihilominus reor ſtudioſorum mentes tanta voluminum copia nullatenus obrui, ſed utiliora dumtaxat ab ipſis ſeligenda, cætera verò ceu perfunctoriè perluſtranda.

Quocirca apud S. Iſidorum librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad rem erit evolvere, unà cum additamentis S. Ildephonſi, & aliorum, itaut ex lectione S. Hieronymi, Gennadii, & S. Iſidori, eorumdem Scriptorum haud interrupta ſeries habeatur. Abs re item non erit ejuſdem S. Doctoris Librum de Officiis inviſere, & alium hac de re compoſitum à Rabano Mauro, inſcriptum, de Inſtitutione Clericorum; illum denique Walfridi Strabonis. Erratum corrige in libro Scriptorum Eccleſiaſticorum S. Iſidori, ex editione tum Auberti Miræi, tum P. Jacobi Du-Brevil cap. 11. in quo mentio fit de Tonantio Epiſcopo, qui perperàm ibi Conantius indigitatur.

Apud Bedam venerabilem perlege Anglorum Hiſtoriam, eamque Monaſterii ſui; item aliquot ejuſdem epiſtolas, cum inſtitutione Egberti Epiſcopi Eboracenſis, per Waræum; quibus inſuper ejus ævi Conciliorum Angliæ lectionem adjicies. Eccleſiaſtica tamen præfati S. Doctoris Hiſtoria gentis Anglorum, Latinè, & Saxonicè, præ cæteris magis commendantur, & hæc eſt ſeorſim edita. Poſt hanc prætermittenda nullatenus erit Vita S. Wilfridi Eboracenſis Antiſtitis, typis tradita in calce tomi quinti Hiſtoriæ Sanctorum noſtri Ordinis, & fragmentum ſub finem ſexti ſuperadditum.

Ex Epiſtolis S. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini, eæ in primis ſeligendæ erunt, ab Othlono relatæ in ejus vitæ deſcriptione; iſtæ autem epiſtolæ illis Summorum Pontificum Gregorii II.& III. ſunt valde affines.

Aliquot Sanctorum Vitæ huic ſæculo reſpondent, quas omninò juvat inviſere, ut ea S. Eligii Noviodunenſis Præſulis, à S. Audoeno exarata, ex editione D. Lucæ Acherii tomo 5. Spicilegii; ea Sancti Wilfridi Epiſcopi Eboracenſis, de quo ſupra; illaque demum S. Bonifacii, ab Othlono conſcripta.

Marculphi Monachi libri duo formularum, quorum alter chartas Regales, alter Pagenſes continet, cum notis eruditiſſimis Hieronymi Bignonii; & liber Diurnus Romanorum Pontificum, ex editione

Patris Garnerii maximè conferent ad Eccleſiaſticam Diſciplinam, quæ tunc temporis vigebat, explorandam.

Ad exactam Iconoclaſticæ Hiſtoriæ intelligentiam, legere opus erit, unà cum Concilio generali ſeptimo, librum Carolinum de Imaginibus, Concilium Francofurtanum, Jonam Epiſcopum Aurelianenſem, Dungalum, alioſque Authores, qui materiam hanc adamuſſim pertractarunt, & Patrum Bibliothecæ inſeruntur; quibus addendus eſt Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, ex editione Baluzii. Legantur Epiſtolæ 19. & 83. Georgii Caſſandri, ad Carolinos Libros attinentes.

Quoad Sacram, & Eccleſiaſticam Hiſtoriam, Authores majoris momenti ſunt: Chronicon Paſchale, ſeu Alexandrinum, a Carolo Cangio emendatum, ac illuſtratum; Theophanis chronologia, quæ deſinit nono ſæculo; Vita Caroli Magni ex Eginhardo, eaque Ludovici Pii, & Walæ Abbatis Corbejenſis, authore S. Paſchaſio Radberto, quæ tomo 5. Authorum Sanctorum Ordinis Benedictini inſeritur; Teganus, Nithardus, Annales S. Bertini, ex quibus Metenſes deprompti fuere; S. Eulogius Cordubenſis pro nono ſæculo; Chronicon, & Hiſtoria Flodoardi Abbatis S. Remigii Remenſis; Hiſtoria Luitprandi Diaconi Ticinenſis pro nono, & decimo ſæculo, & plura id genus alia, de quibus paulo infra ſermo recurret. In Chronico Paſchali Collectanea quædam ex antiquioribus inſunt, prorſus ponderanda; præ aliis autem Liturgia Græca ſub annum quintum, & quartum decimum Heraclii Imperatoris, in quorum primo vera realiſque præſentia, & adoratio Sacroſanctæ Euchariſtiæ, ab Angelis, & hominibus præſtita, expreſsè notantur.

Præter Authores octavi, & noni ſæculi, jam a nobis recenſitos, Libri Beati, Abbatis Hiſpani, & Paulini Patriarchæ Aquilejenſis, adversùs Felicem Epiſcopum Urgelitanum; item Alcuini contra Elipandum, neceſſario verſandi ſunt, pro explanatione eorum, quæ ad iſtorum Præſulum errorem, in Concilio Francofurtano condemnatum, ſpectare videntur.

Tractatus Rabani Mauri de Chorepiſcopis, typis nuper traditus fuit, cura, & ſtudio Domini Baluzii, in concordia Petri de Marca tertiæ editionis. Illuſtriſſimus Præſes Gilbertus Mauguin cuncta ferè ſcripta imprimi curavit, ad cauſam Godeſcalchi Monachi Germani attinentia, de quo Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis in ſuis Operibus luculenter egit, quæ proinde omnino legenda erunt, una cum Epiſtolis omnibus Lupi Abbatis Ferrarienſis, viri impenſè docti, & ex ſapientioribus ejus ævi, emendatis, ac illuſtratis cura Baluzii.

Silentio hìc præteriri non debent Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis capitula ad Presbyteros Parœciæ ſuæ, per Sirmondum, eaque Ahitonis Epiſcopi Baſileenſis, ex recenſione Acherii, tomo 6. Spicilegii. Proderit ſubinde legere Opera Ratherii Veronæ Antiſtitis, item Opuſcula Attonis Epiſcopi Vercellenſis, licet decimo dumta-

dumtaxat ſæculo reſpondentia, ut Eccleſiaſticæ idea diſciplinæ ad ea uſque tempora, continua ſæculorum ſerie, habeatur. Ratherii Opera tomo ſecundo Spicilegii, Attonis verò octavo, inſeruntur.

De iis, quæ ad Græcorum ſchiſma pertinet à Photio incœptum, longè fuſiori, ac feliciori, calamo ſcripſit Ratramnus Monachus Corbejenſis, quàm Æneas Epiſcopus Pariſienſis, qui de eo nonnulla obiter tantùm, ac compendiariò retulit, ut nimirum Græcorum argumenta dilueret. Utriuſque Opera, in primo, & ſeptimo Spicilegii tomo habentur. Sermo fit de eodem ſchiſmate apud Photium, & in Conciliis noni ſæculi, ipſiuſque integra ſeries viſitur in Operibus Cardinalis Humberti, à Caniſio relatis tomo ſexto.

Poſt lectionem libri S. Paſchaſii Radberti de Corpore, & Sanguine Jeſu Chriſti, legantur ſubinde Ratramnus, & Tractatus Haimonis Epiſcopi Halberſtadienſis ſuper eadem materia, impreſſus Tomo duodecimo Spicilegii, unà cum Paſchaſii Opuſculo de partu Virginis; collationes S. Odonis Abbatis Cluniacenſis, in quibus loca quædam ponderantur ad Euchariſticum Sacramentum ſpectantia; liber Herigeri Abbatis, in lucem productus, ſuppreſſo Authoris nomine, à Patre Celloto; primæ duæ Epiſtolarum Fulberti Epiſcopi Carnutenſis; Dialogus Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis, contra Berengarium; item aliquot Epiſtolæ in fronte ejuſdem Lanfranci Operum, cura, & ſtudio Acherii noſtri recuſæ; Durandi Abbatis Troarnenſis Opus de Euchariſtia cum Lanfranco; Tractatus Guimundi Cardinalis de veritate Corporis, & Sanguinis D. N. J. C. contra eumdem Berengarium; Algeri Leodinenſis, & Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis, contra Petrum Bruiſium; denique Fragmenta quædam ad hoc idem ſpectantia, primis tribus tomis meorum Analectorum impreſſa.

Dum decimi ſæculi evolventur Concilia, meminiſſe juvabit Concilii Remenſis in cauſa Depoſitionis Arnoldi Archiepiſcopi, quod ſeorſim prælo traditum eſt; item Epiſtolarum Gerberti, ut Eccleſiaſticam ejus tempeſtatis Hiſtoriam calleas, earumque Venerabilis Abbonis Abbatis Floriacenſis, & vitæ ejus, unà cum codice antiquo Eccleſiæ Romanæ, ex editione Regia, quam procurarunt Illuſtriſſimus Dominus Claudius le Pelletier, Regni Adminiſter, & Dominus Deſmarets, in Juridico conventu Pariſienſis Advocatus.

Celebriores porro Hiſtorici ſunt: Witichindus, Ditmarus, Rudulphus Glaber Monachus Cluniacenſis, Lambertus Scaſnaburgenſis, Hugo Flaviniacenſis; item Authores, qui recenſentur in libro inſcripto: Geſta Dei per Francos; Sigebertus ex editione Miræi, Wilhelmus Melmesburienſis, Ordericus Vitalis, Vita Guiberti Abbatis S. Mariæ de Novigento, quam ipſemet exaravit, ejuſdem Tractatus de pignoribus Sanctorum.

Præter Authores allatos, addentur omnia S. Anſelmi Opera, ex recenſione Patris Gerberon, vitaque illius ab Eadmero, qui ipſi à ſecretis erat, deſcripta, Hiſtoria novorum ejuſdem Authoris; Ivo-

Q 2 nis

nis Epiſcopi Carnutenſis, & Hildeberti Epiſtolæ; Univerſa Sancti Bernardi Opera, ſed in primis ejus epiſtolæ, & opuſcula; epiſtolæ Sugeri Abbatis S. Dionyſii, ejuſque liber Tractatum continens de proprio regimine; Epiſtolæ Petri Venerabilis Abbatis Cluniacenſis, Petri Bleſenſis, & aliorum, tomo quinto Andreæ Duchenii; Tractatus de Sacramentis, & nonnulli alii Ugonis à Sancto Victore; Tractatus Pothonis Presbyteri, & Monachi Prumienſis, Patrum Bibliothecæ annexus; opus Hugonis Archiepiſcopi Rotomagenſis, de Hæreſibus ejus ævi à Domno Luca Acherio in calce operum Guiberti vulgatum; Theologia dogmatica Vincentii Contenſon; denique Theologia S. Anſelmi, commentariis, & diſputationibus, tum dogmaticis, tum ſcholaſticis, ab Eminentiſſimo Cardinali Joſepho Saenz de Aguirre, Benedictino, illuſtrata, nuncque Romæ tribus Voluminibus in fol. ſecundò edita, & aucta.

Supervacaneum inſuper non erit aliquot epiſtolas, & Tractatus Joannis Sariſberienſis inviſere. Porrò præfatis Authoribus addo Orientalem, & Occidentalem Hiſtoriam Jacobi Vitriacenſis, in quarum altera plurima ſanè perpendenda inſunt, ad Euchariſticum Sacramentum attinentia.

Celeberrimus Hiſtoricorum, ſæculo tertiodecimo reſpondentium, eſt Matthæus Pariſienſis, Chronicon pariter Guillelmi de Nangis negligendum non erit, quod legitur in tomo undecimo Spicilegii, cujus etiam tomus tertius decimus integrè luſtrabitur, cùm multa in eo ſint ponderatione digna.

Quidquid præterea cura, & ſtudio Jacobi Sirmondi in lucem prodiit, ejuſdemque proœmia, ac notas oppidò eruditas lectitare opus erit; novam item Bibliothecam Patris Phillppi Labbe; Miſcellanea Baluzii, cuncta Leonis Allatii opera, & amplam Bollandi collectionem quadantenus ſaltem perluſtrare.

Perlegendæ inſuper erunt Vitæ Paparum, qui Avenione ſederunt, à Domino Boſqueto cum notis primùm editæ; nunc verò denuò auctæ, atque emendatæ cura Domini Baluzii; deinde Hiſtoria ſchiſmatis, ſæculo 14. & 15. graſſantis, authore Domino Du-Puy, ejuſdemque Volumen inſcriptum: ſtatus Eccleſiæ Gallicanæ tempore ſchiſmatis; item hujuſce ſchiſmatis Hiſtoria per Theodoricum de Niem; Hiſtoria Æneæ Sylvii, unà cum Concilio Baſileenſi, & pragmatica ſanctione Pinſoniana.

Poſtremò ad exactam eorum intelligentiam, quæ Martini Luteri, & Joannis Calvini hæreſes comprehendunt, evolvendæ ſunt hiſtoriæ, in quibus narrantur eæ Albigenſium, Waldenſium, Joannis Wicleffi, Joannis Hus, Hieronymi Pragenſis, & Bohemorum, qui nempe veluti coryphæi, & Hæreticorum hujus temporis Anteſignani extiterunt; quarum Hæreſum mutationes egregiè demonſtravit Illuſtriſſimus Epiſcopus Meldenſis in præcellenti Opere de Variationibus, in quo Albigenſium, & Waldenſium hæreſes ſpeciatim memorat, atque diſtinguit.

Quoad

Quoad Conciliorum lectionem unum ſuperaddendum reſtat, videlicet: ad plenam eorum notitiam, quæ quintodecimo, ac ſextodecimo ſæculo in Eccleſiam evenerunt, operæ prætium eſſe poſt Baſileenſe Concilium Florentinum ſubinde inſpicere, celebratum anno 1438. ejuſque hiſtoriam à Sguropolo conſcriptam, ex editione Creyghtoni, cum proœmio, & notis, ab Allatio dein confutatis; inſuper Concilium Lateranenſe ſub Julio II. & Leone X. Concilium Tridentinum, cum Orationibus in eo habitis; ejuſdem hiſtoriam per Paulum Suavem, & Pallavicinum Cardinalem, perque Odoricum Raynaldum in Annalibus; item monumenta Domini Du-Puis in idem concilium, Concilia demum Provincialia, celebrata quoad Tridentini executionem, atque ſtatuti Bleſenſis, unà cum hiſtoria Illuſtriſs. Præſidis de Thou, eaque Sandéri, & Apologia Domini le Grand, ex cujus editione Joannis Hus hiſtoriam propediem ſperamus.

Me utique non latet, præſens caput, & aliquot ex precedentibus lecturos, exterritum iri, præ authorum, librorumque copia, à me in ipſis congeſta, & ſtudentibus propoſita; verum ad hoc multifariam reſpondetur.

Primò quidem ad iſtam provinciam capeſſendam pauciſſimos idoneos reperiri, qui nempe ſufficienti ingenio, & ſanitate polleant, vel etiam ſpontanea inclinatione eò tendant, ut tam vaſtam, operoſamque ſtudiorum molem complecti queant; quandoquidem metam hanc ii dumtaxat attingere valent, queis ſpeciatim Deus eximium ſciendi lumen impertit, nec non præſtantiora elargitur creationis beneficia; ex quo dein haud impoſſibile fit, ut ſi firmiter, ac perſeveranter ſtudendi laborem, alioquin improbum, ſuſtinuerit, citiùs, faciliùſque quàm credatur, præfatum ſcopum aſſequantur.

Secundò reſpondetur, quòd ſi præfatum ſtudium Monachis, utpotè ad alia plura, proprium ad inſtitutum pertinentia, occupatis, incongruum videatur; alii tamen quamplures Eccleſiaſtici minimè deerunt ad illud metiendum apti, ſi viriliter operam in eo velint impendere; quibus idcircò propoſitam methodum, cæteroquin ſimplicem, ac rudem, nonnihil profuturam ſpero.

Tertiò denique reſpondetur, quòd ſi ad tantam ſtudiorum molem ſinguli Monachorum haud eſſent idonei, quinque, vel ſex ut minimùm, acriori pollentes ingenio, à Majoribus noſtris deligi poſſent, qui ſimul ſtatis diebus convenientes, illis incumberent; tunc autem ſibi invicem lectiones poſſent diſtribuere, juxta ſæculorum ſeriem habendas, ita ut inter legendum proprias quiſque adnotationes, aut dubia identidem occurrentia exararet; deinde bis, terve in ſingulas hebdomadas in unum congregati, proprias mutuò difficultates, notaſque conferrent, & in codice peculiari conſcriberent. Hæc ſtudendi methodus apud Benedictinos Patres Congregationis S. Vitoni jamdudum invaluit, præſertim verò in Cœnobio S. Michaelis Diœceſeos Virodunenſis, unde etiam plura in lucem prodiere opera egregia. Ut au-

Digitized by Google

Ut autem hujuſcemodi ſtudium rectè abſolvatur, expedit ad ipſum delectos iis materiis principiò inſtrui, ex quibus proprias debent annotationes eruere; quapropter potiora ut minimùm dubia ſciant oportet, quæ ſingulis quibuſque ſæculis Patres, Concilia, & Eccleſiaſticam hiſtoriam verſando, contingere queunt, ne quid notatu dignum ſilentio prætereant. Idcircò in calce præſentis Tractatus principaliorum difficultatum Elenchum addidi, quæ juxta ſingulorum ſæculorum ſeriem erunt perpendendæ, ut diſputandi, ſeu conferendi praxis facilior, utiliorque reddatur: hæc ſiquidem ſi ſedulò expendatur, nedum præfatum laborem ſubeuntibus maximè proderit, verum & Eccleſiæ, ac Religioni.

CAPUT XXI.

De Lectionibus, quæ Superiores potiſſimùm decent.

MUtilum ſanè videretur hoc opus, nec ſuis abſolutum numeris, niſi lectiones, Monachorum Præpoſitis apprimè conſentaneas, in ipſo referrem. Hinc tamen debitæ ipſis venerationi neutiquam derogatum iri præſumo: enimverò quidquid ſuper hoc impreſentiarum ſcripſero, eorumdem exacto, prudentique examini, atque cenſuræ ſubjiciam.

Neminem latet, paſtorali munere fungenti, Scripturarum ſcientiam, morumque integritatem exactè conguere. Verumtamen ſi libera nobis daretur optio, ſatius foret Præſules ampliori doctrina, mediocri licèt ſanctitate, fulgentes, præ aliis minùs doctis, licèt ſanctioribus, deligere. Eò autem Prælatorum ſcientia præſertim ſpectare debet, ut quàm grave ſit cæteris imperandi onus, quàmque arduum, periculiſque ſcatens animarum regimen, manifeſtè intelligant. Quis enim valeat id muneris dignè ſubire, riteque perſolvere, cùm nonniſi extrema urgente neceſſitate, ac obtemperandi ratione, amplectendum videatur, nec niſi meticulosè ſuſtinendum? Multum profectò eſt ſubditorum ſaluti vel cum propriæ vitæ diſcrimine jugiter operam dare; nec ſemetipſum aliquando negligere; omnem totius Monaſterii rem, ſive intus, ſive foris, dirigere, nec umquam ab interiori ſpiritus compunctione declinare; quidquid Mundus offert floccipendere, ſolius gloriæ Cœleſtis intuitu; totis miſericordiæ viſceribus Fratrum, pauperumque egeſtati ſedulò proſpicere, abſque ullius metu defectus; ex puriſſimis Scripturarum, ac Traditionum ſcatebris ſapientiæ ſalutaris aquas continuò educere; queis tum ſterilia fecundentur ingenia, tum identidem conſulentium dubia diluantur; tanta charitate affluere, ut inferiorem neminem non attingat, adeò forti, ut nihil adverſi reformidet, adeò fervida, ut numquam tepeſcat, denique tam ſincera, ut quæ ſua ſunt nullatenus quærat; prætereà ſingulorum ætates, affectioneſque prudenter diſcernere,

& ad

Digitized by Google

& ad ipſas ſtudioſè ſe conformare, tyrones nempe patienter, benigneque monendo, imbecilliores indulgentiùs tolerando, animo denique fortiores ad majora nunquam non excitando; quidquid vel minimùm dominandi jactantiam redolet, ceu lethale virus penitùs vitare; nihil unquam præcipere, quin priùs ratione ſuadente, aut blanda exhortatione alliciantur ſubditorum animi; quemquam non redarguere, niſi ex charitatis zelo, vel ſaltem abſque ulla cordis amaritudine, cùm alicujus pervicaciam opus erit infringere; neminem niſi invitè punire; inferiorum benevolentiam eò ſolùm captare, ut magis juventur; authoritatem propriam non adhibere, præterquam vel ob majoris boni incrementum, vel mali, ſive vitandi, ſive mulctandi, rationem; regularis obſervantiæ leges nunquam relaxare, niſi vel charitatis, vel magnæ neceſſitatis impulſu; tandem omnibus iſtis ad unguem expletis, ſe nihilominùs tamquam ſervum inutilem dicere, & quoslibet inferiorum defectus proprii regiminis incuriæ adjudicare. Porrò hactenus dicta nonniſi perbreve eorum ſunt compendium, quæ in Sacra Pagina, & in almi Patris Benedicti Regula continentur.

Tametſi autem propoſita idea Superiores quoslibet generatim attingat, nunquam tamen, ut par eſt, ad praxim redigi poterit, quin ex frequenti lectione jugiter ad ipſam reflectantur; & hinc eſt, quod Divus Bernardus nonnullos de Conſideratione libros compoſuit, in quorum primo apertè demonſtrat, neceſſum omninò eſſe, ut Pontifex in mediis occupationibus conſtitutus, impoſitum ſibi onus ſæpenumerò mente revolvat, & quòd talis meditatio ad interiora cordis deducatur, ut ſingulas dein actiones per ipſam ſanctiſſimè moderetur; ſecùs enim ex quo trahere ipſum cœperint tot occupationes maledictæ, ſi totum ſe ipſis dedit, nihil ſui ſibi relinquens, perdit tempus; & ſtulto labore conſumitur. Meminiſſe proinde debet, qui aliis præeſt, interdum reddere ſe ipſum ſibi, ne ſecùs in cordis duritiem paulatim eat, quod poſtmodùm nec compunctione ſcinditur, nec ulla pietate mollitur, nec demùm ſemetipſum exhorret, cùm nec Deum timeat, nec hominem; quæ doctrina à Cœnobiorum Præpoſitis, ac Miniſtris ſeriò animadvertenda erit; quò etenim verior, eò terribilior.

Nonnullorum igitur Codicum lectio Monachorum Præſules maximè decet; in primis autem Scripturæ Sacræ, & S. Patris noſtri Benedicti Regulæ; in his enim compendiariò habetur quidquid attinet ad Prælatorum munus; quandoquidem nihil propemodum in ipſis legendum occurrit, unde Superiores nequeant, Deo opitulante, proprias mentes illuſtrare, & ad exactum inferiorum regimen erudiri. Rurſus quamvis non omnia Scripturæ loca ad noſtros homines, prout paſtorali funguntur munere, ſpectare videantur; ipſis tamen tamquam privatis perſonis non modicùm prodeſſe poterunt. Inſuper ſua ipſorum maximè intereſt dubia cuncta reſolvere, quæ Monachis Sacram Paginam legentibus paſſim occurrunt. Præterea ſunt nonnulla Bibliorum Capita Abbatibus frequentiùs meditanda,

ut 34. Ezechielis; 10. Joannis, & Divi Pauli Epiſtolæ ad Titum, & ad Timotheum.

Tantundem fermè dicendum eſt de Regula noſtra, cum ſit totius penè Sacræ Paginæ compendium. Prout tamen ad rem præſentem ſpectat, nihil attentiùs perlegendum iis erit, quæ S. Pater Benedictus cap. 2. & 64. ſcripſit; ſunt etenim planè admirabilia, & ponderatione magis, quàm Commentariis egent. Silentio tamen præteriri non debent, quæ in dictum Caput ſecundum Joannes Trithemius Abbas adjecit.

Quoad Patres verò nihil utilius legendum reor Apologetico S. Gregorii Nazianzeni, in quo rationem reddens, cur in Pontum propter Presbyterii ordinationem aufugerit, inter alia ſic ait: „ Hominibus „ præeſſe, ſeu alios regendi ratio, quantò eſt ſublimior, & majori „ dignitate prædita, tantò eſt periculoſior, ei ſaltem, cui cor intel- „ ligendi ineſt. Cavere ſiquidem maximè debet, qui alios curare „ nititur, ne ipſe ulceribus ſcateat. Quinimò etiamſi ſe quiſque pu- „ rum ab omnis generis peccato cuſtodiat, dicere tamen non auſim „ hoc ipſi ſufficere, ſi alios ad virtutem inſtituere debeat; haud enim „ illum, cui id muneris concreditur, malum dumtaxat non eſſe ju- „ vat (eſt enim illud etiam plebeis, ac ſubditis turpiſſimum) ſed „ & ſtudio bonitatis cunctis debet antecellere; & non ſolum pravos „ typos ex animo delere, ſed & meliores imprimere, ſic ut magis „ virtute, quàm dignitate ſubditis præſtet. Rurſus nec magni duce- „ re debet, ſi plebem tantummodò excellat, ſed ſummo pro detri- „ mento habere, ſi dignitati ſuæ non reſponderit. Inſuper eſto ſit „ aliquis non malus, & præterea ad ipſum virtutis apicem aſcende- „ rit; non video tamen quam ſcientiam conſecutus, aut qua poten- „ tia fretus, ad Præpoſituræ gradum conniti debeat; quandoquidem „ mihi reverà ars artium, & ſcientia ſcientiarum eſſe videtur homi- „ nem regere, omnium animantium verſutiſſimum, ſimul & mori- „ bus diverſiſſimum. Poterit autem ex curandorum corporum ratio- „ ne per collationem quis indagare, quæ ſit animarum cura, & ubi „ quàm ſit illa operoſa cognoverit, inde experimentum ſumere, quàm „ ſit hæc noſtra majoris negotii, naturaque materiæ, virtute ſcien- „ tiæ, & fine efficaciæ pretioſior. Etenim illa circa corpora curan- „ da, materiamque fragilem laborat, brevì diſſolvendam; hæc verò „ circa animam, quæ ex Deo eſt, atque Cœleſtis nobilitatis conſors. „ Porrò Medici alia quidem ſuopte labore adinveniunt, alia verò „ aliunde accepta conferunt, & opus habentibus impendunt, idque „ potiſſimum hominis alicujus gratia, ut pluſculos dies in terris vi- „ vat; ſed quantulum eſt omne id tempus, quo dein vivere pote- „ rit? Aut quid ex hac præſenti vita lucrifacturus, cujus ſolutio- „ nem potiùs appetere tutiſſimum bonum videtur? Nobis verò, qui- „ bus curandum eſt, ne periclitetur ſalus animæ beandæ, & immor- „ talis, & immortaliter vel puniendæ propter malitiam, vel lau-

„ dandæ

„ dandæ propter virtutem, quantum certamini ſubeundum erit, aut „ quàm ſingulari ſcientia opus eſt, ut eam ritè curemus, & ad vitam transferamus æternam! Sed inſuper quemadmodùm in corporibus non eamdem curam, pariter & alimoniam, ſed alii aliam ferunt, juxta quod vel bona, vel mala ſunt complexione affecti, „ ita & animas diverſa ratione, & vivendi regula curare debemus. „ Teſtes ſunt hujus curationis illi, quorum ſunt & paſſiones; horum „ quippe alii verbis ducuntur, alii verò exemplis in ordinem rediguntur; rurſus alii opus habent punctionibus, alii fræno; ſunt enim „ illi ſegnes, & ad bonum motu difficiles; iſti verò ſpiritu ferventiores, quàm moderatio ferat. Aliis inſuper prodeſt, ſi laudentur, „ aliis conducit ſi vituperentur, alios corrigit adhortatio, alios increpatio; utraque rurſus alios in communi redargutos, alios verò in „ occulto admonitos; ſolent namque alii privatas admonitiones contemnere, & multitudinis caſtigatione emendari; alii autem libertate reprehendendi ad impudentiam provocari, & ſecreta increpatione „ ad viam diſciplinæ reduci, compaſſionique admonentis obediendo „ reſpondere. „ Doctrinam hanc, prout ad rem præſentem, ex celebrioribus illis antiquorum Patrum facilè autumo, proindeque cunctis Cœnobiorum Præpoſitis omninò animadvertendam.

Conſimili methodo Tractatum de Sacerdotio S. Joannes Chryſoſtomus lucubraſſe videtur; cujus ideò lectio nedum Majoribus noſtris admodùm proderit, verùm & iis omnibus, qui Sacro Presbyteratus charactére decorantur.

Verùm poſt ſacram paginam, Codices alios ægrè reperies, quos Abbates, vel alii Præſules attentiùs meditari teneantur, præter Sancti Gregorii Magni Opera, in quibus vix aliquid ineſt, quin ipſis potiſſimè conſentaneum videtur; quandoquidem ejus Moralia præſtantiſſimæ doctrinæ, ac ſpiritualium dogmatum copiam; epiſtolæ multas Eccleſiaſticæ, atque Monaſticæ diſciplinæ leges; liber denique Paſtoralis, animas regendi normam legentibus ſuppeditant.

Porrò liber hic Epiſcopis adeò neceſſarius olim cenſebatur, ut pleraque Concilia ſtatuerint, ab ipſis paſſim legendum, ut rectam gregis paſcendi methodum inde cognoſcerent; qui propterea etiam manuductio, & Paſtorum regula à nonnullis meritò indigitatur, aſſerentibus veluti Enchiridion jugiter terendum manibus. Et reverà olim Epiſcopis, dum initiabantur, unà cum Evangeliorum libro, illum quoque tradi mos erat. Lutetiæ Pariſiorum nuper impreſſus eſt exiguo volumine in 16. apud Leonardum. In quatuor autem partes Opuſculum hocce diſtribuitur; in prima veri Paſtoris dotes S. Doctor enumerat; in ſecunda ejuſdem onera (quàm gravia, & multa) apertè demonſtrat; in tertia quomodo Paſtores gregem ſibi commiſſum teneantur inſtruere docet, qualiterve juxta varias ſingulorum affectiones, proprias debeant monitiones, increpationes, & hortamenta diſtinguere, ac moderari; in quarta demum oſtendit ſingulis Paſtoribus

bus onus incumbere ſe identidem coram Deo proſternere, propriamque fateri imbecillitatem, ne elationis vento quandoque intumeſcentes, omnem laborum ſuorum fructum prorſum amittant.

Non deſunt præterea apud alios Sanctos Patres Epiſtolæ, & Tractatus, quorum lectio perquàm utilis erit, & Abbatibus maximè congrua; quemadmodùm ſunt: Quamplures Epiſtolæ Sancti Iſidori Damiatenſis, & Sancti Nili; item Tractatus de onere Paſtorali, Sancti Joannis Climaci Operibus inſertus; apud Sanctum Petrum Damianum prima Epiſtolarum libri ſecundi, Quintadecima quarti, Septima, & nona quinti, præter alia hujuſce S. Patris Opuſcula, in quibus agitur de onere vitæ Monaſticæ. Apud S. Anſelmum Epiſtolæ variæ, ut quinquageſima tertia, & ſeptuageſima ſecunda primi libri, item ſexta decima, vigeſima ſexta, & vigeſima nona tertii; apud Petrum Venerabilem omnes ferè ipſius Epiſtolæ, & duo miraculorum libri; Tractatus aliqui Hugonis à S. Victore, præſertim ille de medicina ſpirituali; denique apud Sanctum Bonaventuram liber de ſex alis Seraphim; & alia id genus plura, quæ brevitatis ergo ſilentio prætereo.

Ex omnibus autem SS. Patribus, Divi Bernardi lectio Præpoſitis noſtris frequentior erit, ac uſitatior; ejus namque opera quidquid ad pietatem, diſciplinamque Monaſticam confert, comprehendunt. Et licèt nulla ex S. Doctoris Epiſtolis ſit, quam ſemel iterumque legere non juvet, earum tamen aliquæ, tum Monachis, tum Prælatis ſunt adeò propriæ, ut eas ſæpæſæpius teneantur inviſere, ſicut ex Indice liquet, in earumdem Epiſtolarum fronte, nuper à noſtris excuſo in editione noviſſima Operum S. Doctoris. Ex libris de Conſideratione colligitur quantum Paſtoribus expediat impoſitum ſibi onus ſæpiſſimè mente revolvere, ut jam ſupra innui; & ideò eos lectitando planè comperient, quid Deo, ſibimetipſis, æqualibus, & inferioribus debeant. Inſuper ex Tractatu de præcepto, ac diſpenſatione intelligent, quouſque propria ipſorum extendi poſſit Authoritas, tum penes ea, quæ ſubditis præcipere, tum quæ iiſdem ex charitate indulgere valeant. Sermones denique in Cantica, & univerſim alii ab eodem S. Doctore concinnati, unà cum Epiſtolis, excellentem de Moribus, ac Clauſtrali diſciplina, Doctrinam complectuntur.

His porrò adjici poterunt Sermones, & Tractatus Gilberti, præfati S. Doctoris Alumni, unà cum Epiſtola ad Fratres de Monte Dei, cujus quot periodi, tot fermè ſunt ſanctiſſima dogmata. Ex ſermone 16. & Tractatu 7. Gilberti Præſules diſcent quanto ſtudio ſatagere debeant, ut Paſtorali munere dignè fungantur.

Præter Sanctorum Patrum Opera, perlegendæ item ſunt à Cœnobiorum Præpoſitis Vitæ primorum Patriarcharum, veterumque Sanctorum Monachorum, eæ potiſſimùm, ex quibus plurimum, tum ædificationis, tum eruditionis eruitur, quales ſunt: Sancti Pachomii apud Bollandum die 14. Maii, Sancti Euthimii in Analectis Græcis,

S. Pa-

S. Patris Benedicti in Dialogis Magni Gregorii, Antiquiorum Prælatorum Wiremuthenſium apud Bedam Venerabilem, Sancti Sturmii Abbatis Fuldenſis, Sancti Guillelmi Abbatis Gellonenſis, S. Adelhardi Abbatis Corbejenſis, Walæ fratris ejus, Sancti Benedicti Abbatis Anianæ, Sancti Joannis Abbatis Gorzienſis, Sancti Abbonis Abbatis Floriacenſis, Quatuor primorum Sanctorum Abbatum Monaſterii Cluniacenſis, Sancti Romualdi, Sancti Anſelmi, & aliorum in quibus multa pro recto regimine continentur.

Operæ inſuper pretium eſt, jus Canonicum à Superioribus quadantenus ſciri; ſecùs enim pleraque dubia, exempli gr. ad cenſuras, & irregularitates attinentia, reſolvere neutiquam poterunt, quorum explanatio ex juris Canonici ſcientia maximè pendet.

Aliquot demum recentiorum Authorum Opera negligenda non erunt in quibus de Paſtorali munere præſertim agitur, qualia ſunt: Stimulus Paſtorum Domini Bartholomæi de Martyribus, Archiepiſcopi Bracharenſis; libellus Patris Aquavivæ, inſcriptus: Induſtriæ ad curandos animæ morbos; Homo Spiritualis, & Homo Religioſus Patris de Saint-Jure; Tomus Tertius Hamonis; item alius ejuſdem de Oratione continua, in quo apertè demonſtrat, illos præ aliis orationi intentos eſſe debere, qui majoribus curis ſunt impliciti.

Præterea Prælatorum eſt Authores accuratè ſeligere, & Monachis legendos diſtribuere, juxta ſingulorum diſpoſitionem, & captum; & quia hujuſcemodi diſtributio non exigui videtur momenti, propterea conſultò, ac prudenter, non caſu facienda erit. Multo igitur ſtudio Præpoſitis ſatagendum eſt, ut Inferioribus Codices abundè ſuppeditentur, ad ſpiritualem profectum apprimè conducentes, quatenus hinc utiliùs quoad fieri poteſt, occupentur in ſolitudine, cibus enim iſte eſt ipſis proculdubio æquè opportunus, imò longè magis altero neceſſarius, qui ad ſolam corporis ſuſtentationem exigitur. Quare ex primariis ſumptibus in Cœnobio faciendis, unus hic erit, ad iſtorum ſcilicet librorum emptionem.

Homiliæ, & Opera Spiritualia Ludovici Bloſii, & Abbatis Trithemii, meo penè exciderant animo; item Sermones ab iſto in generalibus Comitiis propriæ Congregationis habiti, qui unà cum ejus Homiliis, in duos libros diſtributis, ad Præpoſitorum eruditionem in primis conferunt. In Epiſtola Joanni de Colenhauſen, Abbati Selgenſtatenſi, à Trithemio nuncupata, quæ viſitur in fronte ſecundi libri Exhortationum ad Monachos, plurimùm dolet, quòd occupatio rei familiaris, locique inopia, ſæpiùs ſe ipſum à ſtudio ſalutari retraherent, animumque contra voluntatis propoſitum alioſum traſponerent; item quòd diebus tantummodò feſtis, atque Dominicis, ſibi ad ſcribendum concederetur otium; quandoquidem in iſtis ob Dei reverentiam nullas ſolebat admittere Ruſticorum cauſas, ſed à mundialium negotiorum tumultu prorſus feriabatur; tandem quòd interdum poſt decantatas ex conſuetudine laudes matutinas, quod reliquum

Digitized by Google

liquum eſt noctis, etiam cum propriæ ſalutis diſcrimine, literarum ſacrarum ſtudio cogeretur impendere, ut aliquid pro Fratrum ſuorum inſtitutione concinnaret, & quia tempus plerumque deerat à ſe ſcripta memoriæ mandandi, ſubdit, quod ea, quæ noctibus lucubraverat, ſolebat poſt Nonam loco regularis ſtudii dicere, & coram Fratribus in Conventu ex chartula recitare. En egregiam ſanè normam cunctis, qui præſunt, ex Abbate tunc temporis adhuc adoleſcente, relictam; vix namque duos ſupra viginti ætatis annos attigerat, cùm tam operoſum, moleſtumque ſubiit onus.

Miniſtris autem, qui nempe rerum temporalium curam in Monaſteriis gerunt, nihil ſalubrius, majoriſque ædificationis legendum occurrit, iis, quæ de Sancto Joanne, Gorzienſis Cœnobii Abbate, referuntur, cùm adhuc Cellarii munere fungeretur. Ut enim Author vitæ ejus teſtatur, negotiorum multitudo nihil ipſi propemodùm obſtitit, quominùs Sanctorum Anachoretarum vitas, Patrumque ſcripta quàm ſæpiſſimè verſaret. In his autem primùm Moralia Beati Gregorii Magni jugiter percurrens, penè cunctas ex eo continentias ſententiarum ita memoriæ mandaverat, ut in communibus exhortationum, ſive locutionum confabulationibus, omnis ejus oratio ex iiſdem libris decurrere videretur. Nec minor ei Sanctorum Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, & ſi quis antiquorum Patrum ad manus veniſſet, lectio erat. In primis verò Auguſtinum in Joannem, in Pſalmos, & de Civitate Dei integrè perlegit; poſtremò in libris ejuſdem de Trinitate impensè ſudavit; in his enim cùm de Dialecticis rationibus quædam offendiſſet, maximè ubi propter demonſtrandam relationem Patris ad Filium, hujuſque ad Patrem, & Spiritus Sancti ad utrumque, eam, quæ ab Ariſtotele dicitur, ad aliquid, Categoriam Sanctus Doctor introducit, Scholaſticam mox ſuper his ſibi aperiendis expetens, ab ipſis introductionibus Iſagogarum Porphyrii labore arripuit lectionis, in quo cùm diu ingenita ſibi vivacitate ingenii, &, ut in rebus cæteris, quas unquam arripuerat, indefatigato robore luctaretur, repentè Abbas Einoldus medios ei præcidit conatus; is namque rerum earumdem jam olim ſtudioſiſſimus, & quanto labore conſtarent expertus, tempus in his fruſtra eum nolens expendere, brevi prohibitione avertit, ut animum potiùs ſacra lectione occuparet, ubi ſat ſuperque & ſcientiæ, &, quod majus eſt, ædificationis, ei doctrina ſuppeteret. Ille autem, qui obedientiæ limites non tranſgredi ſemel juraverat, mox incœpto renunciat, & in divina, ut à principio, ſe totum tranſponit. Præterea Gregorium in Ezechielem multo uſu detrivit, ut penè totum memoriæ commendaſſe videretur. Deinde hujuſce S. Doctoris quæcumque eſſent, unicè præter cætera amplexus eſt. Et quia de ſingulis proſequi operoſum nimis eſſet, quorum nempè non minor eum ſcientia, vel imitatio aſſuefecerat, illud quidem miraculo omnibus erat, quod cùm in

iis tan-

Digitized by Google

iis tantum exercitii haberet, nihil tamen quæcumque in rebus exterioribus agenda eſſent, remittebat; quinimmò circa diverſa diſcurrens, & ſingulis ordinandis præcepta conſtituens, omnem totius Monaſterii, in tam multiplicibus artibus, vel Officiis, rem ſtrenuè procurabat. Cumque poſſeſſionum Monaſterii univerſa in eum cura recumberet, rarus tamen illi ad eas proceſſus; potiusque de ipſo Monaſterio quæque foris agenda eſſent, dictitabat, brevique ſub tempore miniſtris evocatis, ut ampliùs, quòd ipſi expletum referrent, edicebat. Ex iſto autem diuturno ſtudendi, & miniſtrandi conatu, tantum abeſt, ut ne quid unquam de pietate in Deum, cæterarumque virtutum zelo, fuerit in ipſo imminutum, ut potiùs in is magis magisque profecerit; quinimmò dicere auſim, paucorum vitas legi, in quibus illuſtriora virtutum referantur exempla, ac in ea viri hujus præſtantiſſimi, etiam priùsquam Abbas fuerit renunciatus. Utinam plures nunc temporis ſimiles huic adeſſent in Cœnobiis Œconomi; longè namque majus in eis, tum temporalium, tum ſpiritualium rerum, incrementum foret.

Finis Secundæ Partis.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE STUDIIS MONASTICIS
PARS TERTIA,

In qua finis, ac prævia diſpoſitiones, Monachis ad rectè ſtudendi normam neceſſariæ, expenduntur.

CAPUT I.

De duplici ſcopo principali, ad quem Studia præſertim Monaſtica collimare debent, cognitione nempè veritatis, & charitate, ſeu amore juſtitiæ.

Satis profectò non eſt hactenùs oſtendiſſe, ſtudiorum cultum Monachis planè congruere, eaſque ſcientias indigitaſſe, quibus licitè poſſunt operam dare; ſed inſuper ſtudendi modum tradere ipſis oportet, ut aliquem inde fructum exhauriant. Cum autem omnium agendorum finis, in iis potiſſimùm, quæ ad mores attinent, principem ſibi vendicet locum; ſcopum ideò fas erit in primis innuere, quem inter ſtudendum ſibi debet quiſque præfigere. Enimvero plures dumtaxat cognitiones congerere, ſcientiasve ſcientiis addere, ſatis haud eſt aſſerendum, quempiam verè ſtudiis incumbere. Aliquem igitur finem ſibi debet unuſquiſque ſtudendo proponere, ut ſciat cur, & unde id agat, ſeu potius agere teneatur.

Duplex autem operandi finis occurrit, unus quidem primarius, ſeu principalis; alter verò ſecundarius, ſive acceſſorius. Primarius, ad quem Monachorum ſtudia collimare debent, eſt cognitio veritatis, & amor juſtitiæ, vel brevius: Eſt ſpiritus interioris ædificatio, nedum à Religioſis viris, verùm & à ſingulis Chriſtifidelium, ob oculos mentis jugiter habenda.

Operæ igitur pretium eſt, quidquid ſtudii nomine cenſetur, ad veritatis indaginem unicè dirigi, in qua præcipua humanæ felicitatis portio conſiſtit. Cùm etenim mens ſit optimum in homine, ea nunquam, inquit Tullius, beata erit quamdiu in errore verſabitur. Et hinc eſt, quod omnes trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum quidem putamus, labi autem, *Cic. lib. 1. de Offic. cap. 6.*

autem, & errare, & neſcire, & decipi, malum, & turpe ducimus. Mortalium ideò nemo eſt, quin propriæ ignorantiæ tenebras, ſibi velut ingenitas, eliminare quodammodò ſatagat; Verùm id pauci fæliciter aſſequuntur; quinimmò ex corruptela quadam cunctis penè familiari, cimmeria propriæ mentis caligine quamplures ſæpenumerò gaudent involvi, præſertim cùm interiori cordis pravitati illa reſpondet. Primariùs itaque finis, quem ſibi inter ſtudendum Monachi debent præfigere, eſt mentem propriam iis veritatibus ſedulò imbuere, quæ ſingulorum inſtituto videntur apprimè conſentaneæ, & ad rectam voluntatis, morumque normam maximè conducunt. Quid enim nobis plurima didiciſſe proderit, niſi ad meliorem frugem fuerimus inde redacti? Hìc autem notiones illas univerſim Intellige, quæ nimirum nedum ab humanis, & naturalibus ſcientiis eruuntur, verùm & ex iis, in quibus de divinis agitur, ut ſunt Scriptura Sacra, & Scholaſtica Theologia. Porrò reconditiora Sacræ Paginæ dubia reſolvere, Genealogias exactè diſtinguere, abſtruſiora, tum Hiſtoriæ, tum Chronologiæ loca mutuò conſona reddere, literalem ſenſum optimè noſſe, hæc inquam omnia, aliaque id genus ſcire, jam non eſt Scripturas medulliùs comprehendere; enimverò licèt hæc omnia ſcire magnopere juvet, verumtamen, ut ſcribit vir quidam ſapientiſſimus, proculdubio exiſtimandum, Scripturarum intelligentiam non eatenus nobis commendari, quatenus intellectum noſtrum tantummodò theoricè recreet, ſed ut cor practicè nutriat, ædificet, ac inflammet. Quocirca paſſim evenit, plures, quos in ſacris literis planè verſatos arbitramur, eaſdem practicè vix intelligere: & alios, quos rudes, & indoctos credimus, illas egregiè poſſidere, eò quod ad ſpiritualem profectum ipſis utantur.

Scientiam, inquit S. Auguſtinus, *eſt tamquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis debet aſſurgere; Niſi ad hunc ſcopum dirigatur, nedum ad nihilum valet, verùm habenti maximè nocet.* (*Epiſt. 55.*) Ingerantur itaque, quamdiu libuerit, noſtris animis ſcientiæ, niſi tantundem augeatur charitas, nobis potiùs detrimento erunt, tum in hoc, tum in futuro ſæculo perpetuæ condemnationis cauſa. Quamobrem à ſcientia, quæ charitati non copuletur, ſummoperè cavendum eſt.

Sollicitè igitur nobis ſatagendum erit, ut unica noſtrorum ſtudiorum meta ſit charitas, in qua juxta Divum Paulum, & Auguſtinum, tota Scripturarum ſcientia conſiſtit; *Ille ſiquidem tenet & quod patet, & quod latet, in Divinis Sermonibus, qui charitatem tenet in moribus;* (*Auguſt. in Pſal. 77.*) hæc enim utilis eſt diſcendi ratio, veris Chriſtifidelibus propria; cæteris autem Deo minùs deditis, quantumlibet ſcientiæ proprio labore comparaverint, penitùs abſcondita, eò quòd verum ſacrarum literarum finem prorſus ignorent.

Verùm ſi qui unquam ſcientias ad charitatem, juſtitiæque amorem dirigere tenentur, Monachi præſertim ſunt, qui omni jam ſæculi faſtu, per ſolemne Profeſſionis votum abrenunciato, cunctis miſe-

miſerabiliores eſſent hominibus, niſi ſtudia, quibus inſudant, in charitatem velut in ſcopum intenderent; quandoquidem Laicis, propriæ conditionis ſortem, vel magis ſtabilire, vel augere cupientibus, nonnunquam licet, meo videri, partim ad vitæ neceſſaria, partim ad juſtitiæ, charitatiſque leges, ſtudendo, reſpicere; at verò Monachi, quorum converſatio in Cœlis ſpiritu, ac mente jugiter eſſe debet, ſunt prorſus inexcuſabiles, dum propria ſtudia ad alia, præterquam ad charitatem, collimant.

Adde impoſſibile eſſe, veram ſcientiam ſine charitate attingi; enimverò niſi Deus veritatis amorem noſtris ingereret animis, nunquam eam ut par eſt aſſequeremur; propterea S. Auguſtinus inquit: *Non intratur in veritatem, niſi per charitatem;* quod in primis de veritatibus practicis, & ad mores attinentibus, eſt intelligendum, quæ nimirum pravis ſenſuum noſtrorum, & naturæ affectionibus opponuntur. Charitas ergò cujuslibet noſtræ cognitionis, & ſcientiæ principium ſit oportet, ac finis.

CAPUT II.

Quinam ſint obices præcipui duplici huic ſcopo adverſantes.

OPus igitur eſt impræſentiarum obices illos animadvertere, duplicem præfatum ſcopum nos attingere remorantes, notionem videlicet veritatis, & charitatis conſecutionem.

Neminem latet, intra præcipua, quæ nobis impedimento eſſe queunt ad veritatem aſſequendam, infirmas mentium noſtrarum opiniones eſſe, quæ proinde, quoad fieri poteſt, omninò ſunt propulſandæ, ut eam fœliciter nanciſcamur. Id autem inter legendum potiſſimè cavendum eſt, ne ſcilicet noſtrum potiùs, quam legitimum Authoris ſenſum, ſcriptis ejus appingamus; ad quod valdè appoſitè Sanctus Hilarius inquit: *Optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potiùs quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.* In primis itaque meminiſſe oportet, terrenarum mentium infirmas, atque imbecillas opiniones eſſe abjiciendas, & omnes imperfectæ ſententiæ anguſtias religioſa diſcendi expectatione laxandas. Id autem omnes quidem unanimiter fatentur; pauciſſimi tamen ſunt, qui obicem iſtum ſtudeant declinare, qui nempe, aut vehementi veritatis cupiditate flagrent, aut ingenti præſtent mentis rectitudine.

Hilar. lib. 1. de Trinit. n. 18.

Celeberrimus quidam priſcorum temporum Scriptor duo notat offendicula, à veritatis indagatoribus apprimè vitanda: Unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque aliquandò temerè aſſentiamur; quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam,

Cic. lib. 1. de Offic. cap. 9.

Alterum eſt, quòd quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias, quod in rebus ſeriis, & meritò ſciendis tantùm permittitur.

Tametſi autem omnium ſcientiarum finis ſit veritas, nefas tamen erit obnixè adeò ipſis incumbere, ut inde Monaſticæ diſciplinæ leges, vel minimùm à nobis negligantur. Tempus itaque tali ratione diſtribuendum eſt, ut cum ſtudiorum cultu Monaſticæ quoque vitæ penſa prorſus abſolvantur. Quinimmò ea in primis exequi opus erit, in quibus actionis meritum, virtutiſque pondus excellit; & ſi quid temporis Monacho dein ſuperfuerit, ſtudia ſubinde ipſi recolenda erunt, ut quæ identidem agenda ſunt intelligere queat. Scientiis itaque operam navare, nec unquam Monaſtici inſtituti onera intermittere, ſed iſthæc adamuſſim abſolvere, & quæ ſuperſunt momenta utiliter ſtudendo inſumere, laudabile tunc erit, præſertim ſi divini amoris utraque exequamur intuitu. Qui enim fieri poſſit, ut talis ſtudendi norma ritè à nobis ſervetur, quin & charitatis ratio quadantenus habeatur, quæ unica ſtudiorum noſtrorum meta ſit oportet; eaque ſubinde ſcire tantummodò appetamus, quæ utiliora cenſentur? Tempus breve eſt, & expletis iis, quibus ex diſciplinæ regularis onere dietim obſtringimur, modicum adeò nobis ſupereſt, ut planè ridiculum, ac ſtultum foret in ludicris futilibusve ſcientiis illud conterere. Præterea lex eadem quæ Monaſtico jugiter oneri intentos eſſe nos cogit, ad ea pariter ſeriò attendenda nos adigit, quæ ad ipſius adimpletionem planè conducunt. Ambo igitur abſurda vitando, à Tullio jam recenſita, obices etiam cuncti declinantur prædicto duplici ſcopo adverſantes, quem ſibi inter ſtudendum debet unuſquiſque proponere.

Verùm enucleatiùs rem hanc expendere oportet, eaſque cauſas ſubtiliùs inquirere, ſcientiam cohibentes, ne in charitatem, velut in ſuum primarium ſcopum jugiter tendant. Tres autem illæ ut plurimùm eſſe ſolent, nimirum cenodoxia, curioſitas, & inconſiderantia; *Plures ſiquidem*, inquit Auguſtinus, & poſt ipſum Bernardus, *inanis tantùm gloriæ cupidi, ſcientiis dant nomen: Quidam quærunt ſapientiam, non ut fruantur, ſed ut inflentur; proprias enim cognitiones, ſive doctrinas ſæpiſſimè oſtentant, quas licèt ad aliorum eruditionem interdum adhibeant, cupiunt tamen ab hominibus libenter videri, libenter ſciri, ac nominari, altamque rudibus, & indoctis ſui admirationem ingerere.*

Nonnulli item ſunt nimia curioſitate affecti, qui licèt ſemper addiſcentes, nunquam tamen ad ſcientiam veritatis pertingunt; quandoquidem de notione in notionem, deque veritate in veritatem ocyſſimè transmigrant, novaque proprio intellectui jugiter objiciunt, itaut de objectorum varietate magis ſint, quàm de veritate ſoliciti. Ex multiplici autem capite ortum ducit iſta curioſitas, ſed in primis ex voluptate, quam adoleſcentes ea dumtaxat lectitando percipiunt, quæ ſibi jucundiora videntur. Quare in amœnis literaturæ campis liberè ſpatiantes, modo literis humanioribus, modò matheſi,

modò

modò phyſicis experimentis, modò denique hiſtoriis, variiſque itinerum Commentariis, pro libito incumbunt; Hæc autem, vel ſeorſim vel ſimul ſumpta, eorumdem mentes adeò recreant, animumque alliciunt, ut vix queant ab ipſis aliquando intermitti; mirum namque eſt quantum Hiſtoriæ, exempli gr., egregiè concinnatæ, eos delectent, præſertim ſi varios bellorum eventus, Urbium obſidiones, Militum clades, aliaque id genus complectantur. Ea propter vanis imaginibus, innumeriſque ideis mentem conſarcinantes, pietate neglecta, animoque virtutibus vacuo, rectàm morum diſciplinam, & honeſtæ vivendi normam nunquam addiſcunt, dumque iſta ſtudendi methodo, otium vitare hallucinantur, proprii ſpiritus languorem, cordiſque duritiem, inde emergentem, minimè perpendunt.

Sed quid? numquid oblectatio, qua plures detegendo veritates afficimur, culpæ erit obnoxia? Abſit. Innocens quidem ea cenſetur, ſi tamen modum ſervet, nec unquam cætera diſciplinæ regularis opera remoretur; ſecus enim abdicanda eſt; etenim ſatius eſt modicum ſcire, virtutibuſque Sanctis affluere, quàm noſmet negligendo, innumera mente complecti. *Sumenti cibum*, inquit Mellifluus, *& non digerenti, perniciosum eſt ei*; „Cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam „ non habet concoctionem, malos gignit humores, corpus corrum„ pit, & non nutrit; ſic & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, „ qui eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per „ quoſdam veluti artus animæ, mores ſcilicet, atque honeſtos actus „ tranſfuſa, quatenus ipſa de bonis, quæ noverit, vita atteſtante, & „ moribus, bona efficiatur, nonne illa ſcientia reputabitur in pecca„ tum, tamquam cibus converſus in pravos, noxioſque humores? *Bernard. in Cant. ſerm. 36.*

Fruſtra ergo ſtudere nititur, qui ea inveſtigare negligit, ad rectam ſtudendi normam conducentia. Quocirca duplex eſſe poteſt cognitionum genus, unum quidem ad eorum conſummationem pertinens, quæ vel ſunt humanæ vitæ neceſſaria, vel proprio uniuſcujuſque inſtituto: Alterum verò honeſtè quieſcentibus utile, ut otium, malorum omnium ſentina, inde vitetur. Primus diſcendi finis univerſim in eo ſiſtere debet, ut in cunctis munerum noſtrorum penſa ritè ſolvamus; alter verò id exigit, ut iis expletis, quod ſupereſt vacationis tempus utiliter tranſigamus; valde namque periculoſum eſt vel tunc minimùm otiari, nec ſedulò eas veritates inquirere, unde ad ulteriora pietatis opera ſimus magis idonei. Ad hoc autem aſſequendum ſatis utique non eſt diuturnæ, ac variæ librorum lectioni vacare, ſed nactas veritates expedit in cordis ſinu mature digerere, eas nimirum ſingillatim, ac ſeriò ponderando; ſtudia enim quælibet celeriter, & perſunctoriè peracta, detrimento potiùs ſunt, quàm fructui; mentiſque vexationem pariunt, non eruditionem.

Cùm tantùm mens in veritatis contemplatione occupatur, tædio confeſtim afficitur; objectorum ſi quidem varietate maximè gau-

dens, nova quamprimùm intelligere parat, unde etiam præteritorum memoria in ipſa facilè labitur. Cùm verò concepta veritas ad interiora cordis illabitur, tunc animus ipſis firmiùs adhæret, nec unquam ab illa ſejungitur; quinimmò eam ſi centies ruminetur, toties exhilaratur; quandoquidem valdè jucundum eſt identidem reminiſci quod multùm diligitur. Hinc fertur, Principem quemdam, heroicis geſtis, ac dignitate conſpicuum, centies tredecies, dum viveret, novum Teſtamentum accuratè, attentèque legiſſe.

Mr. le Duc. de Montauſier.

„ Quotieſcumque ergo verba vitæ perlegeris, inquit Gillebertus in „ Cant. ea attentè conſidera; non enim vitam legentibus tribuunt, „ niſi ſeriò perpendantur: Tene quod tenes; tene, & attrecta moro- „ sè ac diligenter. Revolve volumen vitæ, quod revolvit JESUS, „ imò quod eſt ipſe JESUS. Ut quid adeò properas? Numquid ex „ veritatum copia vera ſalus animæ gignitur? Falleris; unicum ſi- „ quidem vitæ verbum ſpiritualiter ædificat, ſi conſultò, ac maturè „ ponderetur, & in intimo cordis cubili recipiatur; inde namque ad „ reliquas extendi facilè poterit animæ facultates, & ſingularem acti- „ bus indere ſanctitatem.

Serm. 14.

Me utique non latet, liberum ſemper nobis non eſſe inter legendum, ſimplici, nudaque veritate oblectari; ſanctioribus enim plerumque viris gravis multoties, atque moleſta ea videtur. Nihilominùs ſi ſenſuum imbecillitati fides opituletur, noſtramque divino ejus lumine voluntatem illuſtremus, tunc mens veritatem contemplando minimè defatigabitur, nec illam uſpiam moleſtè feret. Praxin hanc ſi diu, fideliterque ſervemus, brevi ſperare licebit conſolationem à Domino, quam, ut fidei in nobis experimentum faceret, aliquando ſuſtulerat. Quoad prævias diſpoſitiones, ad Sacræ Paginæ lectionem requiſitas, legatur caput ſecundum §. 3. ſecundæ partis; ibi enim de ipſis fusè, ac peculiariter egimus.

CAPUT III.

Qua ratione, abſurda, de quibus hactenus diſſeruimus, impediri queant.

DIvus Bernardus ſerm. 35. in Cant. ubi de iſtis agit, fructum, & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit. Modus autem hic penes ipſum tria potiſſimùm dicit, nimirum; ut ſciamus, quo ordine, quo ſtudio, quo fine aliquid noſſe oporteat. Quo ordine, ut id priùs quod maturius ad ſalutem; Quo ſtudio, ut id ardentiùs, quod vehementius ad amorem; Quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, ſed tantùm ad noſtram, vel Proximi ædificationem. *Sunt enim*, inquit S. Doctor, *qui ſcire volunt, eo fine tantùm, ut ſciant, & turpis curioſitas eſt; & ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt; & ſunt qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam*

vendant, vel pro pecunia, vel pro honoribus, & turpis quæſtus eſt; ſed ſunt qui ſcire volunt ut ædificent, & charitas eſt; & qui ſcire volunt ut ædificentur, & prudentia eſt. Horum autem omnium ſolùm ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc tantùm volunt intelligere, ut bene agant.

Idipſum ſentit Caſſiodorus in præfatione ad librum Divinarum Inſtitutionum, ubi talem ſtudendi methodum Monachis ſuis præſcribit dicens: *Moderamini ergò, ſtudioſi Fratres, ſapienter deſideria veſtra, per ordinem quæ ſunt legenda diſcentes, imitantes ſcilicet eos, qui corpoream habere deſiderant ſoſpitatem; quemadmodum enim indigeſtus cibus comedentis ſtomacho nocet, ſit quæ lectitantur, ſpiritibus obſunt, niſi maturè perpendantur.*

Ut autem iſthæc legendi norma, quæ ad excitandas pias cordis affectiones, & ad maturam doctrinarum ponderationem plurimùm juvat, à nobis ritè ſervetur, duo planè requiruntur, recta ſcilicet intentio, & opis divinæ imploratio. Cùm etenim ad ſtudendum quis optimo fine ducitur, quatenùs nempe, vel ſemetipſum ædificet, vel Proximum juvet; breviùs: Cùm Deum tantùm pro ſtudiorum ſuorum meta quis ſibi præfigit, pro quantulocumque ſciendi modulo ab eo impertito, eidem grates libenti, ferventique animo refert. Inſuper cùm perſpicuum ſit, quamlibet lectionem abſque opitulante Dei gratia minimè prodeſſe; propterea Oratio, Doctoris Angelici exemplo, illi jugiter præponenda erit. Quinimò abs re nequaquam foret etiam inter legendum ſæpè ſæpius, corde ſaltem, orare; inde namque animatur lectio, mentique vividiùs imprimitur. Quocirca Gillebertus ſerm. 7. in Cant. inquit: *Advertite iſtud vos, qui in tranſitu oratis, & cum mora legitis, qui ad legendum fervetis, & in oratione tepetis: Debet lectio orationi ſervire, præparare affectum, non horas præripere, nec ſuccidere moras.*

Id pariter ſeriò commendat Guillelmus Sancti Theodorici Abbas, in Epiſtola celeberrima ad Fratres de Monte Dei, ubi ſic habet: *Hauriendus eſt ſæpe de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectioni reſtituat.*

Fortè dixeris, hæc quidem in ſpiritualium lectione librorum ſervanda eſſe, ſecùs verò cùm de ſcientiis merè ſpeculabilibus agitur, ut ſunt Philoſophia, Theologia, Matheſis, & id genus alia. Verùm etſi non inficier, ſacras, piaſque lectiones ad Orationem, cordiſque compunctionem magis conducere, quàm præſtent ſcholaſticæ ſcientiæ; nihilominùs ex iſtis etiam humana mens identidem poterit ad Deum contemplandum aſſurgere, & voluntatem intimè ſibi annexam ad ejuſdem amorem trahere; cùm ſiquidem veritas quæcumque creata deſurſum ſit, deſcendens à Patre luminum; quidni etiam in tantum Authorem intelligentias noſtras, & affectus excitare valeat?

Hanc item ſanè laudabilem ſtudendi methodum egregiè docet Vincentius Contenſon, Ordinis Prædicatorum, in ſuo curſu Theologico,

ubi Scholaſticam aſperitatem tanta Sanctorum Patrum, & Scripturarum eruditione lenivit, ut nullibi Theologicos ſentes, ſed miram in Deum pietatem ubique redoleat.

Præfatus inſuper Abbas S. Theodorici hortatur, ſtatis quibuſdam diei horis peculiarium aliquot Authorum lectioni incumbendum eſſe; fortuita namque, inquit ipſe, & varia lectio, & quaſi caſu reperta, non ædificat, ſed animum reddit inſtabilem, & leviter admiſſa, levius à memoria recedit.

CAPUT IV.

De pleriſque aliis, ad quæ intendi poſſunt ſtudia Monachorum, & quibuſdam monitis, ad ea ritè explenda conducentibus.

PRæter duplicem finem primarium hactenus explanatum, veritatis nempe agnitionem, & charitatem, ſeu amorem juſtitiæ, alios præterea non minoris fortè ponderis, ac fructus, inter ſtudendum poterit quis ſibi præfigere. Horum primus eſt: Tempus ritè tranſigere; ea propter duplex ſtudentium genus diſtinguendum videtur; nonnulli namque ſtudiis ſunt dediti, quia facultates aliquas, aut ſcientias, ex onere ſibi a majoribus impoſito, profitentur; alii verò, qui eo dumtaxat tempore in iis occupantur, quod ad proprii inſtituti functiones ſibi ſupereſſe comperiunt. A ſingulis autem, præſertim primis, tempus utiliter eſt tranſigendum; non enim ut quid leve, vel merè indifferens, ſtudium exiſtimare debent, ſed ut magni momenti opus, quod rectè, aut perperam expletum, ad ſalutem, vel interitum ducere facilè poteſt. Præſentis vitæ tempus ad æternam beatitudinem promerendam nobis tantummodò conceditur; quare ſi ſtudium, in quo major fermè ætatis noſtræ portio conſumitur, utiliter non abſolvatur, nedum anceps ſit noſtra ſalus, ſed certus imminet interitus.

Alter ſtudendi finis eſt: ſi laboris, vel pœnitentiæ loco ſtudium ipſum ſubrogetur, ab iis potiſſimùm, qui eam profitentur. Tunc tamen non cuilibet ſcientiarum generi indiſcriminatim licebit incumbere, aut iis tantùm, majori nos oblectamento afficientibus; cùm ſiquidem pœnitentia ex pœnalibus coaleſcat, idcircò ut ſtudium ejus locum teneat, laborioſum, & arduum ſit oportet.

Quare ſummoperè hallucinantur, qui ſtudendi onus ſuave omninò, ac leve arbitrantur; eſt quippe cæterorum omnium graviſſimum, modò ut par eſt, fideliter nempe, exactè, ac perſeveranter expleatur. Fideliter, inquam, ſi ſtatis diei horis ſemper iiſdem ſcientiis, quoad fieri poteſt, navemus operam, ut inde non tantùm ſtudiis ipſis, ſed & certa eorumdem methodo honoretur Deus; & otium, malorum omnium ſentina, vitetur, adeòut nullum vel minimum temporis momentum inaniter tranſigatur. Exactè, ſi nimirùm ſedulò

Digitized by Google

dulò iis vacemus, jugiter meditantes, propter Deum hujuſmodi laborem ſuſcipi, proindeque gnaviter, & accuratè perſolvendum. Denique perſeveranter, iiſdem videlicet materiis tamdiu operam dando, quamdiu nobis expedire videbitur, itaut inde inconſtantia, atque deſidia prorſus eliminetur, ad quas ex inſito philautiæ amore ſumus natura propenſiores; Amor enim ſui, quo unuſquisque jucundari naturaliter appetit, ad aliquam ſemper voluptatem tendit; & ſi ratione aliqua ipſam non aſſequitur, per aliam confeſtim obtinere fatagit. Hinc eſt, quòd cùm libera invicem conferendi, vel diſceptandi facultas, de iis potiſſimum, quæ intrà Clauſtra lectitando didicerint, Monachis ſæpiſſimè interdicatur, actutum alia, vel curiosè delectantur inquirere, vel tædio affecti, præfatum ſtudendi laborem facillimè interrumpunt; quem defectum niſi feriò quis animadverterit, omnemque in oppoſitum adhibuerit conatum, vix unquam declinare poterit.

Tertius ſtudendi finis eſt: Cor animumque cogitationibus ſanctis, piiſque affectionibus imbuere; quidquid enim legitur, intùs ſuſcipitur, tamquam ſpiritale animæ alimentum, & veluti ſemen, unde cogitationes, atque appetitus prodeunt ipſi planè conformes. Quamobrem ſi quæ à nobis leguntur, pietatem, compunctionæmque redoleant, ſancta pariter deſideria, piasque cordibus noſtris affectiones ingenerant. Omninò igitur pretium erit eos dumtaxat Authores conſultò deligere, quorum lectio ſtudentes ædificet, & ad ſalutem juvet; quandoquidem alii ſunt, in quibus mortiferum virus palam contineri dignoſcitur; alii verò, in quibus id latitat velut anguis in herba. Illorum itaque lectio ceu lethale venenum prorſus erit abdicanda, iſtorum verò circumſpectè habenda. Cautè inſuper Codices ipſi ſana doctrina contexti, legendi erunt, ne fortè vana interſit curioſitas, unde etiam eorum lectio pernicioſa reddatur. Ad hoc autem aſſequendum præſtabit, & cor mundum jugiter cuſtodire, & frequenter Deum exorare.

Imbecille nimis eſt intelligentiæ lumen, nobis naturæ viribus inſitum, ad technas, ſyrtesque omnes detegendas, in Authorum Operibus latitantes; ideòque ne ullatenus inter legendum decipiamur, mens noſtra divinitùs illuſtranda eſt. Tantum igitur adminiculum à luminum Patre enixe rogabimus, lectiones, ac ſtudia univerſa, ſolo ejus intuitu ſuſcepta, ipſi humiliter offerendo. Ne autem irritæ noſtræ ſint præces, ſinceræ omninò ſint oportet, itaut reverà propter Deum ſtudeamus, quatenus ipſi in cunctis famulari, & placere ſemper optemus, atque ab ejus nutu dirigamur. Alius autem quicumque finis, utpotè nobis incongruus, penitùs erit omittendus, nec ulla lectio habenda, quin Monaſtici ſaltem inſtituti oneribus quodammodò ſit conſentanea, Deoque noſtro, velut ultimo fini, planè reſpondens.

Hanc tamen ſtudendi normam non ità ſolicitè, ac religiosè ſervandam reor, ut neutiquam ſtudiis incumbere liceat, quin jugiter ad

R 4 Deum,

Deum, aut ad Monaſticum onus recta colliment; ſi enim ad aliquod literarium emolumentum proximè tendant, ut putà exactè loqui, caſtigatè ſcribere, hiſtorias intelligere, & id genus alia, minimè renuo; ſunt enim hæc ſingulis generatim neceſſaria, iiſque potiſſimùm, qui publica cauſa inſudant, ac proinde honeſto ſciendi fini, & in Deum ultimatè ordinabili, minimè diſſona.

Nec illud ſcrupuloſè condemnandum eſt gaudium, quod paſſim in nobis ſtudendo experimur; id namque imbecillitati noſtræ a Deo permittitur, ne mens improbo ſtudiorum labore impensè gravetur; unde etiam animi cauſa, nonnulla itineraria, Orationes elegantes, heroica Poemata, perſunctoriè ſaltem, licebit inviſere: hæc quippe, dummodò honeſtatis limites non tranſcendant defatigatum adeò recreant animum, ut alacriùs ad intermiſſum ſtudiorum onus redire poſtmodùm queat. Cavendum tamen erit, ne diu iſthæc, quantumlibet honeſta, protrahantur oblectamenta; ſecùs enim ita allicerent animos, ut priſtinas, ſeriaſque lectiones repetere negotium ſubinde faceſſeret. Ea propter conſulitur, noſtri animi vires nullo inter ſtudendum ſolatio reſtaurandas, quin priùs penè defeciſſe videantur, eoque vix delibato, ad ſeria continuò remeandum.

Unum tamen, priuſquàm huic capiti finem imponam, noto, moralis doctrinæ ſtudium præ aliis excolendum eſſe; cætera enim quæcumque ſint, præter hoc tantùm, poſſunt à nobis impunè dimitti; huic ergò quamdiu vivitur omninò danda erit opera. Alia inſuper quoad hoc monita legere proderit in Tractatu de Methodo pie ſtudendi, à D. Nicolao nuper in lucem edito, ex quo ſummatim deprompſi, quæ præſenti capite innui.

CAPUT V.

Num Monachi pro ſuorum meta Studiorum publicas Conciones, vel potiùs privatas elucubrationes ſibi ſtatuere valeant.

CONCLUSIO OPERIS.

PErſpicuum per ſe videtur, nec ullis difficultatum involutum ambagibus, quod in hujus capitis titulo à me proponitur: Cùm ſiquidem, teſte Mellifluo, pro ſtudiorum ſuorum meta, nedum majorem Dei gloriam, propriique ſpiritus ædificationem, verùm & ſpirituale proximi emolumentum, valeat quis ſibi præfigere; propterea hinc liquet, elucubrandi, & concionandi munera, quæ multùm Chriſtifidelium juvant Rempublicam, Monachis valde congruere, & ad ea, tamquam ad legitimum ſcopum, poſſe eorumdem ſtudium collimare. Supereſt tamen in præſentia opportunius ipſis tempus innuere, quo id faciliùs, atque ullum citra diſcrimen, conſequantur; valdè namque periculo-

culoſum reor, à junioribus Monachis concionandi provinciam ſuſcipi, quin priùs ipſi ſcientiis affatim, virtutibusque imbuantur, quas alios ſunt edocturi.

Valdè appoſitè ad hoc ſpectat, quod ſcribit Author quidam recentiot: „ Les hommes (inquit) ne ſe ſont pas Auteurs de deſſein „ prémeditè, comme ils ſe ſont marchands, ſoldats, &c. C'eſt un „ mètier au quel on ſe prèpare, & dont on fait apprentiſſage ſans „ y penſer. Quand on à acquis une connoiſſance raiſonnable dans „ les ſciences, qu'on à etudié les milleurs Auteurs en chaque gen„ re de ſcience, & que par experience on à remarquè qu' il y à „ certaines matieres qui n'ont point eſté traitées, ou qui le pourro„ jent eſtre mieux qu'elles ne l'ont eſtè; un homme s'eſſaye en par„ ticulier ſur ces matieres, il compoſe quelque petit ouvrage, il le „ fait voir à ſes amis & aux connoiſſeurs: & ſi on juge que ce qu' „ il à fait ſoit capable d'inſtruire, les autres de ce qu' ils ne ſcavo„ jent pas, il le doit rendre public. C' eſt ainſi que les hommes de„ viennent & doivent devenit Auteurs, & s'il y à des gens qui étu„ dient à deſſein d'eſtre Auteurs, il ſon en grand danger de ne réuſ„ ſir jamais dans une ſi difficile entrepriſe: parce que ce deſſe in for„ mè de trop longue main, leur ſera entreprendre des ovurages, „ dont ils ne ſeront pas capables. Non ſic conſultò in conſcribendis Operibus Authores fiunt homines, quemadmodum Mercatores negotiando, militesve bellando evadunt. Ars quædam ea eſt, quæ multum quidem laboris exigit, ſed præter ſpem quandoque comparatur. Cùm quis ſufficientem acquiſivit ſcientiam, doctioresque in omni ſcientiarum genere evolvit Authores, in quibus materias aliquas, vel penitùs omiſſas reverà compererit, vel quæ nervoſiùs poterat pertractari; quædam ſuper iſtis privatim tentat concinnare Opuſcula; hæcque Sapientum, & amicorum oculis ſubjicere non detrectat; quæ ſi arbitrentur aliorum eruditioni poſſe conducere, tunc in lucem omnino edenda erunt. Sic autem homines, haud aliter Authores fiunt in literaria Republica. Secùs verò ſi qui vel ideò ſtudiis incumbant, ut aliquorum Operum Authores ex animo eſſe velint, incertum planè laboris exitum metuent, expectationi fortè non reſponſurum; hoc ſiquidem immaturo conſilio ducti, opera quædam elucubrari tentabunt, quibus parum dignoſcentur idonei. Paragraphum hunc integrè perlegere proderit, qui eſt de ingenii exercitatione, ac ſcientiarum uſu.

Nove aux Eſſais de Morale, pag. 134.

Fortè dixeris, quæ aliorum gratia elucubramur, noſtrummet eruditioni, atque ædificationi conducere. Verùm hoc ſi feriò à nobis animadvertatur, perſpiciemus, ex iis, quæ concionandi gratia multo labore congerimus, vix ullum in nosmetipſos ſpiritualem fructum derivari; quandoquidem ubi primùm veritates aliquas mente conceperimus, actutum eas publicis in concionibus effundere cogitamus; eaque dumtaxat ſenſa tunc revolvimus animo, quæ auditorum cordibus

dibus ingerere cupimus; ſicque jam è ſuggeſto veluti declamantes, omnem in dicendo energiam, verborum emphaſim, ac ſententiarum gravitatem ſedulò diſquirimus, quatenus inde auditores ad admirationem potiùs, quàm ad compunctionem excitemus; quapropter hoc, aut ſimili ferè modo tunc nosmetipſos alloquimur: En quantum proderit in hac, vel altera concionis parte, talem virtutem extollere, vitium illud exprobrare, geſtum aliquod deſcribere, aut amplificare, hac, vel alia ratione perorare, hunc ad plebem habere ſermonem, &c. Unde liquet, quod dum alienæ videmur ſaluti proſpicere, noſmet planè negligimus, cor remanet aridum, iisque virtutibus vacuum, quas aliis perſuadere paramus. Hoc autem junioribus præcipuè eſt valde familiare; cùm etenim de iis, quæ proprio inſident animo, vehementiora gerant phantaſmata; ideò in ſcopum ſemel præfixum jugiter intendunt, maximè ſi aliquid ei inſit, quod ipſos impensè alliciat.

„ Il y à bien de la difference (ſubdit præfatus Author) entre un „ homme qui s'eſt rempli pour luy meme, & qui ſe trouvant plein, „ repand enſuite de ſa plenitude ſur les autres; & un homme qui „ ne ſe remplit que pour ſe rèpandre en après. Le premier eſt ſollicité à ecrire par ſa plenitùde, comme une mere eſt preſsée de „ donner à tetter à ſon enfant par l'abondance de ſon lait: & le ſecond étant ſollicité à ecrire par ſon ambition, ſe repand ſouvent „ avant d'etre rempli luy meme: ce qui fait que ſes productions ſont „ ſeches, foibles, & ſans force, & comme un enfant dont la mere „ à peu de lait. Multum ſanè diſcriminis duos inter homines ineſt, quorum unus ſe primùm ingenti doctrinæ pabulo explet, idque in alios dein refundit; alter verò, qui ſcientias ideò comparat, ut cæteris continuò diſtribuat; ille namque nonniſi ex affluenti doctrinarum copia aliquid ſubinde elucubrari compellitur, veluti nutrix, quæ exuberante lacte, infantem cogitur alere; hic autem cum cenodoxiæ dumtaxat, vel ambitionis impulſu, ad alicujus editionem operis adigatur, totum quod didicit, aliis perſæpè immaturè diſpertit, antequam ſcientiis ipſemet expleatur. Unde fit, ut languidos, enerves, atque intempeſti vos enitatur ingenio fœtus, quales nonnunquam pendent è Matrum uberibus præ lactis inopia. Hinc Divus Bernardus egregium Concionatorem aſſimilat exundanti fontis Conchæ, ex qua ſubinde copioſi erumpunt latices; Quare ait: *Priùs te Concham exhibe, quàm Canalem.*

Propter has ergò, ſimilesve rationes, opus eſſe crediderim, ut juniores Monachi ſtudendo, ac legendo, propriæ tantùm ſaluti, ac ſpiritali animæ emolumento proſpiciant, ut iis veritatibus, virtutibusque imbuantur, quas ſibimet plus expedire cognoverint. Cæterùm divinæ providentiæ, ac ſuperiorum conſilio, omnem ſui curam, ſolicitudinemque committant; Si enim aliquando ſacris doctrinis, & charitate in Deum, & proximum abundè repleti fuerint, atque in con-

continua Cœleſtium virtutum praxi ſolidati, tunc, Deo ita inſpirante, poterunt vel ad publicum Eccleſiæ bonum, & Chriſtifidelium ſalutem, propria ſtudia dirigere, ſenſaque jamdudum in corde concluſa, aliis referare.

Hinc verò non obſtat, quominùs ſui cauſa ſtudentes, præſtantiora quædam Scripturarum, Sanctorumque Patrum loca annotare queant, ut eorum identidem reminiſcantur. Res tamen omninò videtur exigere, ut ſui ædificationem, propriique ornatum animi aſſiduè ſpectent, ne immaturo zelo, & nimis propera charitate ducti, aliò ſuapte ſpontè ferantur.

Qui concionandi, vel elucubrandi provinciam ſpontè ſuſcipiunt, moleſtis adeò, gravibuſque tentationibus ſubduntur, ut contra eas nonniſi ægerrimè ſe præmunire queant, tum potiſſimùm, cum ad id muneris ex proprio inſtituto minimè obſtringuntur. Si animæ noſtræ ſalus quàm maximè nobis cordi eſſet, alienam pariter ſatis nobis eſſet oratione, & exemplo conquirere; hæc quippe efficaciora ut plurimùm ſunt ad ſalutem proximo impetrandam, quolibet verborum, ac rationum apparatu, præſertim cùm præterquam neceſſitate urgente, Monacho haud liceat, concionandi prætextu, extra cœnobiticos lares evagari. Verùm plerumque contingit, ſub charitatis velamine inanem gloriam celari, qua libenter ſciri, ac dici, nec non è cæteris diſtingui appetimus. Unde fit, raros nunc temporis Concionatores occurrere, qui plus virtuti laborent, quam gloriæ, talique pietate affluant, qualis ad iſtud dignè ſubeundum onus exigitur.

„ Que faiſons nous (inquit præfatus Author) par noſtre aſſi-
„ duité à l'étude? Nous imitons les Lapidaires, qui uſent les pier-
„ res precieuſes pour leur donner de l'Eclat. Nous nous uſons
„ nous memes, nous nous diſſechons, nous conſumons notre vie
„ & notre ſanté, les plus grands & les plus veritables biens que
„ nous ayons ſur la terre, pour repandre notre reputation dans
„ le Monde & dans les Siecles à venir. Mais ſi nous n'avons re-
„ cherche que ce bruit, que nous en arrivera t'il? Ce qui arri-
„ va au Roy Ezechias, dont Dieu punit la vanité, pour avoir
„ mal a propos & par un eſprit d'orgueil fait montre des treſors
„ & des grandes richeſſes que Dieu luy avoit données. Quid agimus ſtudiis operam jugiter navantes? Gemmarum mangonibus ſimiles planè videmur, quas ideò ſcalpris expoliunt, ut emptorum oculis mox reſplendeant. Noſmetipſos continuò abſumimus, proprias extenuamus vires, pretioſioreſque Mundi theſauros, ſalutem nempe, vitamque prodigimus, ut noſtri celebritatem nominis à Poſteris aucupemur. Væ tamen nobis ſi hæc tantùm noſtrorum fuerit meta ſtudiorum; id enim, quod olim Ezechiæ Regi, nobis aliquando continget, cujus vanitatem Deus haud impunè dimiſit, eò quod regiam auri gazam, cunctaque, quæ habebat in

theſau-

theſauris ſuis, ab ipſo univerſorum Domino impertita, ſuperbè oſtentaſſet.

Exarentur itaque ut ut libet, & elucubrentur opera, concionemur & laboremus in vinea Domini: verumtamen cor noſtrum priùs charitate ferveat, Cœleſtibuſque doctrinis compungatur; ſecus namque irritus erit omnis labor, noſtræque potius damnationis cauſa, quàm ſalutis. Præter charitatem, quæ numquam excidit, univerſa prætereunt. Concludo eligantibus iſtis Sancti Hieronymi verbis: *Quotidie morimur, quotidie commutamur; & tamen æternos nos eſſe credimus. Hoc ipſum quod dicto, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta Notarii, tot meorum damna ſunt temporum. Scribimus, atque reſcribimus: tranſeunt maria Epiſtolæ, & ſcindente ſulcum carina, per ſingulos fluctus ætatis noſtræ momenta minuuntur. Hoc ſolum habemus lucri, quòd Chriſti nobis amore ſociamur.*

Hieronym. in Epitaph. Nepotiani.

MONI-

Digitized by Google

MONITIO

Ad Elenchum ſequentem pertinens.

QUia plurimùm intereſt, priuſquàm Autographorum legantur Opera, ad Eccleſiaſticam Doctrinam pertinentia, difficultates haud ignorare, quæ majoris adhuc explanationis egent; optimum ideò duxi, ut faciliùs hocce prolixum æquè ac laborioſum ſtudium abſolvatur, potiorum difficultatum Elenchum, ſingulis quibuſque ſæculis occurrentium, adjicere, ut jam cap. 20. ſecundæ partis hujus Tractatus ſpoponderam. Ut igitur promiſſa impleam, Elenchum dictum hìc ſuperaddo, Authores aliquot paſſim indicando, à quibus pleræque earumdem difficultatum enodatæ fuere. Ad omnium autem ferè explanationem univerſim legi poſſunt Natalis Alexander, Bibliotheca Domini Du-Pin, in qua potiſſimùm de Eccleſiaſticorum Authorum Operibus agitur; Abraham Scultetus de primorum trium Sæculorum Patribus; Dominus Richerius, Chriſtianus Lupus, Philippus Labbe in Concilia; denique Benedictinorum Patrum Congregationis S. Vitoni ponderationes in præfati Du-Pin Bibliothecam.

Præter Elenchum dictum, ſelectiorum etiam Librorum Cathalogum, ad Eccleſiaſticam Bibliothecam comparandam, infra adjiciam, quem cùm in prima hujuſce Operis editione vix adumbraverim, in præſenti omninò abſolvere ſtudui, ut multorum expectationi ſatisfacerem, qui primum ejuſdem ſpecimen nonnihil commendarunt. Cæterùm ipſum in primis in noſtrorum gratiam Sodalitiorum elucubravi, quæ nimirum abſolutis Bibliothecis carentia, Authorum ſubinde nomina, librorumque emendorum qualitates ſæpè ſæpius ignorant.

ELENCHUS

Potiorum difficultatum, in lectione Conciliorum, Patrum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ occurrentium, juxta Sæculorum ſeriem.

SÆCULUM PRIMUM.

QUonam Anno Urbis conditæ, & Imperii Auguſti Dominus Noſter JESUS CHRISTUS de Virgine naſci dignatus eſt? Quonam ætatis ſuæ anno Evangelium prædicare cœpit, & mortuus eſt? Vide Petavium de Doctrina temporum, Langum de Annis Chriſti in 4. Uſſerium, &c.

Quid de die, & aliis circumſtantiis ultimi Paſchatis Jeſu Chriſti, ſentiendum? Vide Caſaubonum in Confutatione Baronii, Maldonatum in Evangelia, Capellam in exiguo quodam Tractatu, ab aliis ejus Operibus ſejuncto; Joannem Ligthfootum in ſuis Horis Hebraicis; Joannem Schmidt de Paſchate; Patrem Lamy in ſua diſcordia.

Teſtimonium Joſephi de Chriſto Domino, verè ne eſt hujus Authoris, an potiùs ejus Hiſtoriæ de antiquitate Judaica lib. 18. cap. 8. ſuperadditum? Vide pro ſententia negantium, Fabrum tom. 1. Epiſtolarum Criticarum; pro ſententia verò affirmantium, vide Franciſcum de Roye, qui confutavit Fabrum prædictum peculiari diſſertatione; Huetium in Demonſtratione Evangelica, Valeſium in Euſebium, Voſſium de Sibyllinis Oraculis cap. 11. Iſidorum Peluſiotam lib. 4. epiſt. 225.

Epiſtola ſub Jeſu Chriſti Nomine ad Regem Abagarum, eſt ne vera, an apocrypha? Vide Valeſium ad cap. 13. lib. 1. Hiſt. Eccl. Euſebii Pamphili.

Numquid ab Eccleſia ſemper creditum fuit, Beatiſſimam Virginem Corpore, & Anima in Cœlum fuiſſe aſſumptam? Vide pro parte affirmativa Diſſertationes Advocati, & Jacobum Gaudinum contra Jolſum; pro negativa verò Jolſum dictum, & Launoium.

Eſt ne diſcrimen aliquod inter Mariam Magdalenam, Mariam ſororem Lazari, & Mulierem Peccatricem? Vide Tractatus elapſo ſæculo hac de re potiſſimùm editos à Jacobo Fabro Stapulenſi, & à Joanne Fiſchero; Item dubia Evangelica Fiderici Spanhemii, & Concordiam Patris Lamy.

Quænam fuit ſors illa, qua Sanctus Mathias electus fuit Apoſtolus?

Digitized by Google

lus? Licetne eadem uti in electionibus Eccleſiaſticis? Vid. tom. 1. Patris Alexandri. Lugdunenſis Eccleſia utebatur ne olim tali ſorte, quemadmodum legitur in Vita Sancti Eucherii, ejuſdem Urbis Archiepiſcopi? Nonne per Sacros Codices fuit ſors illa, qua electus eſt S. Martinus contra Defenſorem? Vide Sanctum Auguſtinum ep. 37. ubi de ſortibus agit ex paginis Evangelicis, & epiſtolam 30. Petri Bleſenſis, cum notis, tam antiquis, quàm novis.

Quo jure olim populi ad Epiſcoporum electiones concurrebant? Vide Petrum de Marcha in ſua Concordia, licèt quoad hoc variet lib. 6. & lib. 8. Ludovicum Thomaſſinum in ſua Diſciplina veteris, & novæ Eccleſiæ, &c.

Decretum ſe abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato, ab Apoſtolis editum, fuit ne diu ab Eccleſia obſervatum? In quonam conſiſtebat ejus obligatio? Vide Curcelleum Diatriba de Sanguinis uſu, & Joannis Spencéri Diſſertat. in Act. XV. 20.

Quid ſentiendum de reprehenſione à S. Paulo Divo Petro facta? Vide Epiſtolas SS. Auguſtini, & Hieronymi.

Apoſtoli numquid baptizaverunt in nomine Chriſti? Poteſt ne hujuſmodi forma ſufficere? Vide S. Baſilium in Tractatu de Spiritu Sancto cap. 12. Eſtium in Sententias, Voſſium de Baptiſmo, Patrem Harduinum de triplici Baptiſmo &c.

Cùm Apoſtolorum aliquot miſſi fuere in Samariam, ideò ne fuit ut adminiſtrarent Sacramentum Confirmationis? An non, præterquam ab Epiſcopo, Sacramentum iſtud conferri poteſt? In hoc Sacramento adhibendum ne ſemper fuit Chriſma? Vide Patrem Sirmondum in Concilium Arauſicanum, Petrum Aurelium, Jacobum de Sainte-Benve adversùs Dallæum de Confirmat. Holſtennium de hac re, Arcudium, &c.

Diaconi inſtituti ne fuere pro ſacra, an ſolùm pro communi menſa, ut voluere nonnulli Epiſcoporum in Concilio Quiniſexto? Nicolaus, unus ex ſeptem Diaconis, fuitne Author ſectæ Nicolaitarum? Diaconi celebrarunt ne olim Miſſam? Vide Patrem Morinum de Sac. Ordin. Thomaſſinum in ſua Diſciplina, Patrem Harduinum in Embolo primo poſt Epiſtolam ad Cæſarium.

Sanctus Jacobus Apoſtolus fuit ne verè in Hiſpania? Vide Tractatum Joannis Marianæ, Antonium Caracciolum in ſua Biga illuſtrium Controverſiarum. S. Jacobus Minor eſt ne, qui dictus fuit frater Domini, quique Jeroſolymorum Antiſtes? Vide Bollandum Kalendis Maii.

Eſt ne indubitatum Sanctum Petrum fuiſſe Romæ, ibique Martyrem occubuiſſe? Quamdiu ibi manſit? Vide Diſſertationes poſthumas Joannis Pearſon. In quonam conſiſtit primatus Divi Petri? Vide Agricolam de Primatu Petri, & Pontific. Roman. Quouſque antiquitus extendebatur Patriarchatus Romanus? Vide Concordiam Petri de Marca lib. 1. Patrem Thomaſſinum. Quid intelligendum eſt per Suburbicarios? Vide P. Sirmondum, Salmaſium &c.

Acta

Digitized by Google

Acta paſſionis S. Andreæ ſcripta ne fuere à Presbyteris, & Diaconis Achajæ? Vide ſecundam partem hujus Tract. cap. 8. num. 4.

Sanctus Paulus fuit ne in Hiſpania? Hoc aſſerunt Sanctus Athanaſius Epiſtola ad Dracontium, Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Cathec. 17. S. Epiphanius hær. 7. S. Joannes Chryſoſtomus Præfat. in epiſt. ad Heb. S. Hieronymus in Iſa. cap. 11. Theodoret. in c. 1. ad Philipp. V. 26.

Hiſtoria illius adoleſcentis, à S. Joanne ad fidem converſi, relata in exiguo tractatu Clementis Alexandrini de divite ſalvato, eſtne vera? Vide Euſebium, & Domini Valeſii notas.

Epiſtola quædam, edita ſub nomine S. Barnabæ, eſt ne iſtius Apoſtoli? Quanam auctoritate pollet? Vide Patrem Menardum, & Joannem Baptiſtam Coteletium.

Apoſtoli ſunt ne Authores Symboli, quod vulgò dicitur Apoſtolorum? Quandonam compoſitum fuit? Vide Uſſerium, Voſſium de tribus Symbolis, Dominum Du-Pin, & Annotationes Patrum Congregat. S. Vitoni.

Adeſt ne aliqua Apoſtolorum Liturgia? Ea, quæ S. Jacobi nomine inſcribitur, verè ne fuit ab ipſo compoſita? ut tenet Leo Allatius in Tractatu ſuper hoc expreſsè concinnato. Legatur Cardinalis Bona de Liturgiis, & illa Pamelii.

Sanctus Paulus Apoſtolus eſt ne Author Epiſtolæ ad Laodicenſes, Græcè, & Latinè ſub ejus nomine impreſſæ in Novo Teſtamento Hutteri, & in Philologo Hebræo-Græco Joannis Leuſdens?

Quonam tempore in lucem prodiere Canones, qui dicuntur Apoſtolorum? Quanam Canones iſti Authoritate polleant? Vide Turrianum, Bellarminum, Beveregium à Latroquio confutatum.

Fuitne ſemper in Eccleſia Catalogus aliquis authenticus Librorum Canonicorum Sacræ Paginæ? Vide Patrem Fraſſenum Minoritam, Patrem Alexandrum, Append. ad Sæculum IX.

Liber, quem edidit Hermas, fuit ne unquam inter Canonicos? Vide Cotelerium.

Quid ſentiendum de Oraculis Sibyllinis, & de Libris Mercurii Triſmegiſti? Quinam ſuper ipſis fuit SS. Patrum ſenſus? Carmina Sibyllarum, quæ à profanis citantur Authoribus ſunt ne ipſamet, quæ citantur ab Authoribus Eccleſiaſticis? Vide Blondellum de Sybillis, Syllogen omnium Opinionum veterum Scriptorum de Sibyllis per Obſopæum, & Galæum; Voſſium de Sibyllinis oraculis, Patrem Craſſetum, Antonium Van-Dale de Oraculis Ethnicorum.

Eſſenii apud Joſephum, & Terapeutes apud Philonem, erant ne Judæi, an Chriſtiani? erant ne Regulares? Vide Diſſertationem quamdam ſuper hoc in Epiſtola S. Clementis edita in Anglia.

Quænam eſt vera, ac legitima Eccleſiæ definitio? Poteſt ne admitti, quæ à Domino Launojo affertur par. 3. Epiſtolarum? Vide Bellarminum, Melchiorem Canum &c.

Preæmi-

Præeminentia Epiſcoporum ſupra Sacerdotes eſt ne de jure divino? Vide Petrum Aurelium, Dionyſium Petavium, Blondellum, Pearſonem &c.

Cœlibatus fuit ne Ordini Eccleſiaſtico ſemper annexus? Græci fuerunt ne quoad hoc Latinis jugiter conformes? Quinam erant Clerici huic legi obnoxii? Vide Diſciplinam Patris Thomaſſini, Calixtum de Conjugio Sacerdotum.

Quandonam Eccleſiæ diviſæ fuerunt in Metropoles? Quomodo Epiſcopi ſunt Eccleſiæ ſolidarii Epiſcopi? Qualis eſt Patriarcharum, & Metropolitanorum authoritas? vide Dominum de Marca de Primatibus, Patrem Morinum, Patrem Cantellum, Launojum part. 8. Epiſtolarum, Thomaſſinum.

Recognitiones Sancto Clementi aſcriptæ, ſunt ne verè iſtius Pontificis? Acta Paſſionis ejus ſunt ne indubitata? Vide Dominum Cotelerium, Tillemontium &c.

Diſtinguitur ne S. Cletus Papa ab Anacleto? S. Linus, & S. Cletus verè ne ſucceſſerunt Divo Petro? vide Diſſertationes poſthumas Joannis Pearſon.

Quoad primorum Pontificum Chronologiam, præferendi ne ſunt Catalogi Latinorum iis Græcorum? quid certi habetur in dicta Chronologia? Vide Sanctum Irenæum, Optatum, Papebrochium, Catalogum Ægidii Bucherii, qui ad Liberium terminat, Sanctum Auguſtinum Epiſtola 53. Henſchenium, & Diſſertationes Patris Antonii Pagi.

Decretales Pontificum uſque ad Siricium, ſunt ne ſuppoſititiæ? quis eſt eorum Author? vide Turrianum, Blondellum &c.

SÆCULUM II.

QUænam ex Epiſtolis S. Ignatii M. ſunt a nobis approbandæ? vide Uſſerium, Pearſonem, Cotelerium.

Trajani anima verè ne fuit S. Gregorii Magni precibus ab Inferis liberata? Undenam ortum duxit hæc fabula?

Marcion admiſit ne plures Deos? Appellavit ne ad Summum Pontificem de Sententia Patris ſui, a quo pulſus fuerat de ſua Eccleſia? quandonam manifeſtare ſe cœpit?

Montanus erravit ne ſuper Myſterio Sanctiſſimo Trinitatis? Montaniſtarum jejunia diverſa ne erant ab iis Catholicorum? Quibuſnam cibis olim veſci licebat in diebus jejunii? in quonam conſiſtebat jejunium Quadrageſimale? quando nam incipiebat? quandiu durabat, quandonam quatuor Temporum, Vigiliarumque jejunia incœpere? Quanam hora licitum erat comedere? quandonam cœpit ſerotinum jentaculum? quid ſignificat jejunium ſuperpoſitionis? Vide Launojum, Joannem Nicolai, Thomaſſinum de jejunio, Dallæum, &c.

In quonam vertebatur controverſia de die Paſchatis inter Romanos & Aſiaticos? Eſt ne verum, quòd Sanctus Anicetus, & Sanctus Polycarpus ſuper celebratione Paſchatis convenire non potuerint? quænam ſuper hoc celebrata ſunt Concilia, & quid ſtatuerunt? Eſt ne quid ſpectans ad materiam fidei, an ſolius diſciplinæ? S. Victor Papa perculit ne propter hoc Aſiaticos anathemate? quid ſuper hoc ſtabilivit Nicœnum Concilium? Hujus ſtatuta fuerunt ne ubique recepta? quænam quoad hoc erat Britannorum conſuetudo? Fuerunt ne Hæretici, an Schiſmatici? Vide Uſſerium, noſtraſque Sæculorum Benedictinorum præfationes. Cur Patriarchæ Alexandrino mandatum fuit ſedulò notare diem Paſchatis? & Romano ipſummet promulgare?

S. Juſtinus credidit ne, ſolum rationis uſum in homine ſufficere ad ſalutem? Rectè ne ſe explicuit quoad Divinitatem Verbi? Eſt ne opinatus, Angelos verè rem habuiſſe cum mulieribus? Hominem ſalvari poſſe, miſcentem Judaiſmum cum Chriſtianiſmo? quænam legitima ejus opera? Vide Caſaubonum in Exercitat. contra Baronium.

Sanctus Irenæus arbitratus ne eſt, Verbum Divinum fuiſſe prolatitium? Dæmonem haud peccaſſe, niſi poſtquam Protoparentes noſtros ad peccandum pariter induxit? propriam condemnationem uſque ad Adventum Chriſti Domini ipſum ignoraſſe? An non admiſit neceſſitem gratiæ? Erravit ne circa animæ rationalis immortalitatem? Incidit ne in hæreſim Millenariorum? Senſit ne Jeſum Chriſtum ignoraſſe diem Judicii? Et quòd in triduo mortis ſuæ ad Inferos ad prædicandum deſcenderit? quod Judæorum, & Ethnicorum aliquot, qui tunc in ipſum ibi crediderant, ſalvi ſint facti?

Sanctus Clemens Alexandrinus erravit ne ſuper Filii Dei Divinitatem? Suſtinuit ne, Jeſum Chriſtum nec famem, nec ſitim, neque dolores alios in mundo fuiſſe perpeſſum? quòd fuerit vultu deformis? Eſt ne hæreticum id aſſerere? Vide Franciſcum Vavaſſorem de Forma Chriſti. Opinatus ne fuit, Jeſum Chriſtum ad Annum dumtaxat in mundo prædicaſſe? credidit ne ipſum deſcendiſſe ad Inferos, ſicut etiam Apoſtolos, ad prædicandum Gentilibus fidem, & ad eos convertendum, qui in hoc ſæculo juxta rationis, ac luminis naturalis uſum rectè vixerant? Philoſophiam ſine Dei gratia potuiſſe ad Chriſtum Dominum dirigere, homineſque juſtificare? Negavit ne transfuſionem peccati originalis per propagationem ex ſemine Adæ? Docuit ne, Angelos peccaſſe peccato Luxuriæ? Ejus liber Hipotypoſum fuit ne ab Hæreticis corruptus? Vide Bibliothecam Photii.

Liber Melitoni adſcriptus de Tranſitu Chriſti Domini, eſt ne verè iſtius Authoris? Vide Launojum, Jolliſum de Aſſumptione Beatæ Virginis.

Quid ſentiendum de libro Hegeſippi de excidio Jeroſolymitano? Eſt ne hic Author quinque Librorum Hiſtoriarum Ævi Antonini Cæſaris? Vide Gerardum Voſſium de Hiſtoricis Latinis.

Ter-

Digitized by Google

Tertullianus fuit ne Montaniſta? quare ab Eccleſia receſſit? Arbitratus ne eſt, Deum eſſe corporeum? erravit ne ſuper Verbi Divinitate? Liber de Trinitate ipſi aſcriptus, eſt ne verè iſtius Authoris? continet ne liber iſte errorem aliquem circa adorationem Trinitati debitam? Eraſmus meritò ne Tertulliano contendit librum de Pœnitentia? qualis fuit iſtius Authoris ſenſus circa Euchariſtiam? in quarto libro contra Marcionem cap. 4. Acceptum panem, &c.? quandonam conferebatur Sacramentum Baptiſmi juxta ipſum in libro de Baptiſmo cap. 19. Diem Baptiſmo, &c.? quid ſenſit circa Confirmationem in eodem libro cap. 17. Exinde egreſſi &c.? certum ne erat antiquitus, quemlibet, neceſſitate urgente, baptizare poſſe?

Quiſnam eſt S. Hyppolitus Epiſcopus Portuenſis? Fortè ne is, qui Author fuit Cycli Paſchalis, cujus Autographum marmori inſculptum viſitur etiamnum in Bibliotheca Vaticana? Prudentius confudit ne tres in unum Hippolytos? Vide Acta ſelecta Martyrum Domni Theodorici Ruinart.

Quandonam cœpit prima perſecutio contra Chriſtifideles? quinam fuere primi Authores? Vide Procemium in Acta ſelecta Martyrum. Cur Chriſtifidelibus plura occulta crimina imputabantur? Juxta Helceſeitarum dogma contingere ne interdum poteſt occaſio propriam diſſimulandi Religionem? poteſt ne quis licitè mutare habitum, alienam ſimulando religionem, ut perſecutionem fugiat? vide S. Athanaſium, S. Auguſtinum contra Mendacium, ad Conſentium, Ludovicum Thomaſſinum de veritate &c.

Milites Chriſtiani poterant ne licitè coronam, & gratuita ab Imperatoribus Ethnicis munera accipere? Opinabantur ne olim aliqui, militarem artem eſſe Chriſtifidelibus prohibitam, ut teſtatur S. Maximilianus Martyr? poterant ne Chriſtifideles publicos ingreſſus, triumphos, aut decennales Imperatorum, unà cum Ethnicis feſtivè celebrare; Vide Tertullianum de Corona Militis, Acta ſelecta Martyrum.

Quandonam cœptum eſt celebrari Feſta Sanctorum Martyrum, eorumque Sepulchra, & Sacra Lipſana venerari? Viguit ne ſemper in Eccleſia ipſorum invocatio? quodnam jus inerat Epiſcopis circa inſtitutiones, mutationeſve Feſtorum? Vide Thierrium, Thomaſſinum de Feſtis Sanctorum.

SÆCULUM III.

ZEphyrinus Papa ſuſtinuit ne, & favit Montaniſtarum hæreſi? S. Alexander Jeroſolymorum Antiſtes fuit ne primus de una ad aliam ſedem translatus? Fuit ne primus Coadjutor viventi Epiſcopo deputatus?

Quænam erant controverſiæ ortæ in Eccleſia ex iis, qui in Decii perſecutionem inciderant? præſumebant ne ob ſolum libellum Martyrum impunes ad communionem recipi abſque ulla pœnitentia? Ju-

re ne id exigebant? poterat ne eos Eccleſia poſtliminio impunè recipere? quid ſuper hoc ſenſit Clerus Romanus? quodnam ſuper hoc decretum emanavit ſede vacante? quales erant iſti libelli? quinam poterant ipſos concedere? Dabatur ne in iis pax abſoluta, an potiùs poſcebatur ut concederetur? Egebant ne approbatione Epiſcoporum, vide S. Cyprianum, &c.

Quare ad pacem, Eccleſiæque Communionem difficilè recipiebantur lapſi, ſpontè Martyrio ſe offerentes? Numquid pari cum difficultate recipiebantur, qui libellos à Magiſtratibus Ethnicis obtinuerant (Libellatici propterea dicti), ac alii, qui Diis revera ſacrificarant? Iſti Libellatici numquid inter Idololatras, & Apoſtatas recenſebantur? quanam facultate pollebant tunc Diaconi, carceres Confeſſorum ingredientes, ut eos inviſerent? Fortè ne ad abſolvendum? Abſolutio iſta erat ne Sacramentalis? Quid ſenſit ſuper hoc S. Cyprianus? Orta ne hinc eſt opinio, quòd quilibet, neceſſitate urgente, aliorum poſſit Confeſſiones audire, & à peccatis abſolvere?

Verum ne eſt, Novatianum in hoc tantùm erraſſe, credendo nimirum lapſos nullatenus ad pœnitentiam recipi poſſe; neminemque, præter ejus Diſcipulos, docuiſſe, poteſtatem illos recipiendi Eccleſiæ omninò deeſſe?

Univerſa peccata lethalia, etiam occulta, ſubjiciebantur ne pœnitentiæ publicæ? quandonam diſciplina Eccleſiaſtica in hoc variavit? Quinam erant pœnitentiæ gradus? Erant ne in ſingulis Eccleſiis uniformes? poterant ne Epiſcopi ſuper quibuſdam eorum diſpenſare? quandonam concedebatur abſolutio? poterat ne inſtante morbo, aut perſecutione anticipari? ceſſante hoc periculo vigebat ne adhuc obligatio pœnitentiam explendi? concedebatur ne abſolutio pro ſingulis peccatorum generibus? Negabatur ne alicui licet in articulo mortis? Diſciplina Eccleſiaſtica erat ne quoad hoc ubique uniformis? Supererat ne alia pœnitentia pro iiſdem peccatis explenda? credebatur ne tunc recidivorum peccata eſſe irremiſſibilia?

Clerici tenebantur ne ad pœnitentiam publicam? ſemper ne viguit hæc praxis in variis ſæculis? Clerici minores gaudebant ne eodem privilegio? Clerici pœnitentes abſolvebantur ne per impoſitionem manuum? Vide Patrem Morinum, Dionyſium Petavium &c.

Praxeas fuit ne primus, qui Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas cum Natura Divina confuderit? Sabellius, qui Noeto Hereſiarchæ Magiſtro ſuo ſucceſſit, fuit ne hæreſeos iſtius dumtaxat propugnator? vide Tertullianum contra Praxeam.

In quonam vertebatur controverſia inter Sanctum Stephanum Papam, & Sanctum Cyprianum? Numquid Sanctus Stephanus ſentiebat, omnes indiſcriminatim ab Eccleſia recipiendos, baptizatos à quolibet Hæretico, ut vult Launojus Epiſtolarum part. 8.? Quamdiu introductus fuerat uſus rebaptizandi in quibuſdam Eccleſiis? quænam erant iſtæ Eccleſiæ? Sanctus Stephanus perculit ne anathemate

huic

huic ſectæ adhærentes? S. Cyprianus mutavit ne ſententiam? quid ſenſit S. Auguſtinus ſuper opinione S. Cypriani? poſt Nicœnum Concilium duravit ne adhuc rebaptizandi praxis? S. Baſilius receſſit ne tandem ab iſta S. Cypriani doctrina? quodnam eſt Concilium plenarium, de quo appoſitè ad rem hanc loquitur S. Auguſtinus? Vide Joannem Launojum de notione plenarii, Joannem Nicolai de Concilio Plenario, David, &c.

Licitum ne erat primitivæ Eccleſiæ Chriſtifidelibus, ſpectaculis, ludiſque publicis intereſſe, & jurare per ſalutem Cæſarum?

Quod exercuit Origenes in ſe ipſum, erat ne Canonicum impedimentum propriæ ordinationis? Paleſtinæ Epiſcopi merito ne ipſum Sacerdotio initiarunt? Demetrius ejus Epiſcopus jure ne ipſum ob id perſequebatur? Eſt ne verum Origenem in Deciana perſecutione graviſſima perpeſſum, tandem Idolo thus adoleviſſe? ejus doctrina fuit ne pura? An potius ejus libri ab aliis depravati? Rectè ne ſenſit de Verbi Divinitate, de Gratia, & Euchariſtico Sacramento? Propugnatores ejus doctrinæ numquid inter hæreticos recenſendi? Fuit ne Author Dialogi contra Marcionem? Vide Huetium, Merlinum, Joannem de Miranda, Genebrardum, Petrum Halloix de Illuſtr. Eccl. Orient. Scriptoribus, &c.

Canon undecimus Epiſtolæ Canonicæ S. Gregorii Thaumaturgi, in quo fit mentio de pœnitentiæ gradibus, eſt ne ſuppoſititius? ut vult Pater Morinus.

S. Dionyſius Alexandrinus numquid patrocinatus eſt hæreſi, quam poſtea Ariani diſſeminarunt? Vide Acta ſelecta Martyrum.

Quid ſentiendum de Marcellini Papæ lapſu, & de decantato Concilio Sinveſſano?

Quandonam celebratum fuit Illiberitanum Concilium? quanti fit ab Eccleſia? Vide Antonium Auguſtinum Epiſt. ad Blancam; Morinum de pœnit. lib. 19.

Vixit ne hoc ſæculo Zeno quidam Epiſcopus Veronenſis? cujuſnam verè ſunt opera, ſancti hujus nomini adſcripta?

Victorinus hujuſce ſæculi Scriptor, erat ne Epiſcopus Pictavienſis, an potiùs Petavii in Pannonia?

Dici ne poteſt, exiguum Martyrum numerum extitiſſe primis ſæculis? Vide Doduvellium, & Præfationem Domni Theodorici Ruinart in Acta ſelecta primorum Martyrum.

SÆCULUM IV.

SAnctus Methodius ſuſtinuit ne præexiſtentiam animarum? diſtulit ne æternam beatitudinem uſque ad univerſalem reſurrectionem? Arbitratus ne eſt, neminem Patriarcharum veteris Teſtamenti fuiſſe Deo gratum, & acceptum? Errant ne qui aſſerunt Sanctum Paulum Apoſtolum viduum fuiſſe? Angelos poſt reſurrectionem habitaturos Orbem terrarum?

S. Lucianus Presbyter Antiochenus permiſit ne Arianorum Hæreſim? quomodò apparuit Crux Conſtantino Imperatori? Vide Lactantium de Morte Perſecutorum. Hiſtoria Inventionis S. Crucis eſt ne vera? vide S. Ambroſium de Obitu Theodoſii &c. Conſtantinus Imperator baptizatus ne fuit Romæ, an Nicomediæ? Donatio quæ ſub ejus nomine fertur, eſt ne ſuppoſititia? ceſſit ne Summo Pontifici totum jus, quod Romæ habebat? vide P. Morinum.

Donatus de caſis nigris fuit ne Epiſcopus Carthaginenſis? Eſt ne hic, a quo denominantur Donatiſtæ? Idem ne eſt, qui à Melchiade Papa in Romano Concilio fuit condemnatus? Præfuit ne Pontifex iſte dicto Concilio, ejuſmodi cauſam ipſemet judicans, an potius tamquam Imperatoris Delegatus? Iterum ne de re iſta in Concilio Arelatenſi actum fuit, abſque conſenſu Pontificis &c.? vide præfationem ad tomum 9. S. Auguſtini poſtremæ editionis, & Diſſertationem Domini Valeſii de Donatiſtis ſub finem Socratis.

Quot Epiſcopi interfuerunt Concilio Arelatenſi? Eſt ne hoc Concilium illud plenarium, de quo loquitur S. Auguſtinus? quinam eſt ſenſus illorum verborum, quæ leguntur in Epiſtola Epiſcoporum ad Sylveſtrum Papam? *Placuit ergo præſente Spiritu Sancto &c.?* Locus hic eſt ne depravatus? quomodo intelligendus eſt Canon XV. circa praxim offerendi, olim à Diaconis uſurpatam? Legatur Harduinus in Embolo 1. ad Epiſtolam Chryſoſtomi ad Cæſarium.

Quis convocavit primum Concilium Nicænum? præfuerunt ne ipſi Legati Pontificii? quot ſunt hujuſce Concilii Canones? Canones Arabici ſunt ne veri, an apocryphi? quomodo intelligitur Canon ſextus, in quo Epiſcopus Alexandrinus æquiparatur Romano? vide Diſſertationem Launoii, Valeſii notas in Socratem, & Sozomenum, Diſſertationem P. Sirmondi, Marcam de concordia, Thomaſſinum &c.

Paphnutii Hiſtoria de Uxoribus Epiſcoporum eſt ne vera?

Euſebius Cæſarienſis eſt ne inter Arianos recenſendus? Annumeratus ne fuit inter Sanctos? Vide Præfationem Domini Valeſii, eamque Præſidis Couſin in Euſebium.

Sententia lata à Tyri Concilio contra Divum Athanaſium fuit ne legitima? Sanctus hic Præſul potuit ne de eà ad Cæſarem appellare? Numquid revera appellavit ad Julium Papam? Hic Pontifex decidit ne rem iſtam? quomodò? numquid in Concilio expreſsè convocato? S. Athanaſius bene ne ſe geſſit approbando Siderum ut Epiſcopum, qui contra ſacrorum rituum praxim fuerat initiatus? Inſuper ab uno dumtaxat Epiſcopo? Rebantur ne tunc Doctores, ob hujuſmodi defectus irritas, nullaſve ordinationes eſſe? Aderat ne alius Metropolita in tota Regione Ægypti, præter Epiſcopum Alexandrinum? S. Athanaſius eſt ne Author vitæ S. Antonii? Legatur Dominus Hermantius;

Lucifer Calaritanus verè ne erravit? obiit ne Schiſmaticus? vide Bollandum die 20. Maii. Item hujuſce Præſulis Apologiam, ab Ambroſio, Machin, ejuſdem Urbis Antiſtite, concinnatam.

Quis

Quis convocavit Sardicenſe Concilium? quis ipſi præfuit? Numquid fuit Œcumenicum? quandonam ejus Canones recepti fuere? quandonam ubique? Concilium iſtud quidquam ne decrevit in materia fidei? conceſſit ne novum aliquod jus appellandi ad Sanctam Sedem? quinam fuit iſtarum appellationum uſus?

Quot Concilia fuere Sirmii celebrata? An non ibi ſtatutæ fuerunt tres formulæ fidei? cuinam earum Papa Liberius, & Oſius ſubſcripſere? obiit ne Oſius abſque iſtius ſubſcriptionis retractatione.

Dici ne poteſt, Patres Concilii Ariminenſis reverà erraſſe, an potiùs inſubidè, ſeu inopinanter fuiſſe deceptos? Legatur Hermantius, editioque nuperrima S. Ambroſii lib. 1. de fide, cap. 18. & epiſt. 21.

Licitum ne eſt Hæreticos Principibus, ſeu poteſtatibus ſæcularibus puniendos tradere? Eccleſia conſenſit ne illos morte mulctari occaſione Ithacinorum? quid ſenſit ſuper hoc S. Auguſtinus cùm de Donatiſtis? qualisnam fuit Eccleſiæ Doctrina, & praxis in ſimilibus caſibus? vide varios Authorum libros noſtro hoc ævo hac de re in lucem editos.

Marcellus Ancyranus lapſus ne eſt in errorem, quem ſuſtinuit Photinus? Concilium Colonienſe, quod plerique celebratum volunt occaſione Euphratæ, ejus Urbis Antiſtitis, eſt ne commentitium? vide Guillelmum Marlot in ſua Metropoli Remenſi, Hermantium in Declarationibus S. Athanaſii.

S. Hilarius exiſtimavit ne, animam Adæ priùs corpore fuiſſe à Deo creatam, noſtramque eſſe corpoream? Moyſen à vita non deceſſiſſe? Jeſum Chriſtum fuiſſe impaſſibilem? Ejus Divinitatem a corpore in triduo receſſiſſe; Beatiſſimam Virginem non futuram immunem à rigore extremi Judicii? Legatur ultima Operum iſtius Sancti Patris editio.

Commentaria Hilarii Sardi, Romanæ Eccleſiæ Diaconi, ſunt ne erroribus Pelagianorum referta, ut vult Janſenius? Eſt ne is Author Quæſtionum in vetus, & novum Teſtamentum; quæ inter Opera S. Auguſtini leguntur? vide nuperrimam S. Auguſtini editionem.

S. Baſilius Magnus arbitratus ne fuit, rebaptizationem haud fuiſſe illicitam? Eſt ne verè Author Regularum breviorum ſuo ſub nomine editarum? cur vocat Euchariſtiam τὰ ἀντίτυπα Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti? Ejus vita fuit ne deſcripta ab Amphilochio? Ariani ſemper ne rebaptizarunt? vide Ambroſ. de Baſil. trad. poſt Epiſtolam 21. Auguſt. lib. de hæreſibus cap. 29. Hermantium, &c.

Diodorus Tarſenſis favit ne erroribus Neſtorii? Liber Septimus Optati Præſulis Milevitani, fuit ne ab iſto compoſitus? continet ne liber hic quidquam contra propagationem Originalis peccati?

Magnus Meletius Antiochenus fuit ne Hæreticus, an Schiſmaticus? Epiſcopi Orientales numquid meritò redarguuntur, eò quòd Meletio ſucceſſorem ſubſtituerint contra Paulinum? quodnam extitit Schiſma ejus Eccleſiæ?

Sanctus Joannes Chryſoſtomus erravit ne in doctrina de peccato origi-

originali, de neceſſitate gratiæ, de confeſſione, & abſolutione in Sacramento pœnitentiæ? Numquid denegavit poſſibilitatem viſionis, intuitivæ Dei? fortè ne docuit, illam deferri uſque ad extremum, & univerſale judicium? Eſt ne Author epiſtolæ ſcriptæ ad Cæſarium Monachum? Hæc Epiſtola continet ne aliquid iis oppoſitum, quæ de Sacramento Euchariſtico credimus? Vide Harduinum. Quo jure poterat Sanctus Joannes Chryſoſtomus judicare Epiſcopum Epheſinum? Patriarchis Orientalibus inerat ne jus eum judicandi? Appellavit ne de hoc judicio ad Summum Pontificem? Legatur Hermantius.

S. Epiphanius eſt ne reprehenſibilis, eò quòd Sacros Ordines extra propriam Diœceſin contulerit? quid ſentiendum de iis, quæ geſſit erga Sanctum Joannem Chryſoſtomum? Negavit ne invocationem Sanctorum, Purgatorium, &c.? Secunda ejus Epiſtola, in qua fit mentio cujuſdam imaginis, ab ipſo conſciſſæ, eſt ne ſuppoſititia, an interpolata? ſincerè ne retulit originem Meletiani Schiſmatis? exacti ne ſunt libri, quos de hæreſibus conſcripſit? Potiores ejus errores quinam ſunt?

Quiſnam convocavit ſecundum Generale Concilium, celebratum Conſtantinopoli? quis ei præfuit? quot Canones in hac Synodo ſtatuti fuere? Socrates rectè ne percepit ſenſum ſecundi Canonis hujuſce Concilii? conceſſa ne fuit in hac Synodo Conſtantinopolitano Præſuli juriſdictio, ac præeminentia ſuper tres Exarchos, Heracleæ, Cæſareæ, & Epheſi? quandonam ab Eccleſia Romana approbatus fuit hic Canon? quandonam Epiſcopus Hieroſolymitanus juriſdictionem aliquam obtinuit? quandonam Symbolo Conſtantinopolitanæ Synodi addita fuit particula, Filioque? Vide Hiſtoriam Pithœi de Proceſſione Spiritus Sancti, in calce codicis Canonum impreſſionis Luparæ, & partem 6. & 8. epiſtolarum Launoii.

Nectarius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſuſtulit ne pœnitentiam publicam, an privatam? Subrogatæ ne ſunt propter hoc Indulgentiæ? tenebantur ne tunc temporis Chriſtifideles confiteri etiam interna peccata? vide P. Morinum, Dominum Boileau Decanum Senonenſem, Patrem Alexandrum adverſùs Dallæum. Quandonam cœptum eſt confiteri peccata venialia, & generales exomologeſes fieri? Lege præfationem in tertium ſæculum Benedictinum, Patrem de Sancta Martha de confeſſione &c.

S. Ambroſius initiatus ne fuit per ſaltum? ejuſmodi ordinationes uſitabantur ne antiquitus? quid ſuper hoc ſentiendum? Vide Patrem Morinum, & ordinem Romanum cum commentario in tom. 2. Muſæi Italici. S. Ambroſius opinatus ne fuit, Angelos dubitaſſe de Chriſti Domini reſurrectione? eſt ne arbitratus, nulli Chriſtifidelium licitam eſſe armorum delationem? Baptiſmum in Nomine Chriſti eſſe validum? deleri peccatum originale per ſolam pedum lotionem, fieri ſolitam in Eccleſia Mediolanenſi poſt Baptiſma? Damnavit ne ſecundas nuptias? docuit ne, aliqua eſſe peccata irremiſſibilia? Legatur

gatur

gatur editio noviſſima S. Ambroſii, in qua hujuſcemodi dubia, præter alia plura, egregiè reſolvuntur.

Pſalmodiæ uſus alternatim inter duos choros, cœpit ne hoc ſæculo? Ut quid Antiphonarum cantus? eſt ne veluti quædam reſumptionis, ſeu repetitionis ſpecies, quemadmodùm fit etiamnum ad Matutinum in Pſalmo: *Venite exultemus?* quis fuit Author, *Gloria Patri &c.* quod additur in fine Pſalmorum? quandonam Officium Divinum in Eccleſiis præſcriptum fuit in ſingulos dies? Onus recitandi horas Canonicas extra chorum eſt ne antiquum? Vide Eccleſiaſticas collationes Rupellenſes, Thomaſſinum, Diſquiſitionem de curſu Gallicano.

Monachiſmus ſolùm ne incœpit initio quarti ſæculi? fuit ne Sanctus Pachomius Cœnobiticæ Vitæ Anteſignanus? Legatur ſpecimen Hiſtoriæ Monaſticæ Orientis. Monachorum Cœnobitica ſodalitia ſunt ne antiquiora iis Clericorum? Indubitatum ne eſt ex S. Gregorio Nazianzeno, in carminibus de virtute ab ipſo concinnatis, Pſalmodiam alternam fuiſſe tunc temporis uſitatam, tam in Sanctimonialium, quàm in Monachorum Aſceteriis? Vide diſquiſitionem dictam de curſu Gallicano.

SÆCULUM V.

SAnctus Innocentius Papa ſuſtinuit ne, Hæreticos eſſe denuò ordinandos? variæ ne fuerunt ſuper hoc opiniones? eſt ne res in materia fidei, an diſciplinæ? quid dicendum de iis, quæ geſta ſunt in cauſa Ebbonis Archiepiſcopi Remenſis nono ſæculo? quid ſignificat fermentum, de quo ſermo fit in quadam Epiſtola hujuſce Pontificis ad Decentium? Eccleſia Romana utebatur ne tunc temporis pane fermentato? panis azymus fuit ne ab initio uſitatus in omnibus Eccleſiis? Legantur Sirmondus, Bona, Macedo, Ciampinus, Harduinus, Diſſertatio noſtra de Azymo, & commentarium in Ordinem Romanum.

Zoſimus Papa jure ne poterat acceptare appellationem Appiarii Presbyteri Africani, quem illius Eccleſiæ Præſules condemnaverant? Quid ſentiendum de iſtorum Epiſcoporum moderatione tali occaſione habita? quid ſtabilire voluit Taurinenſe Concilium inter Epiſcopos Viennenſem, & Arelatenſem? quodnam jus conceſſit Zoſimus Epiſcopo Arelatenſi? Reſpexit ne quoad hoc perſonam Patrocli, an propriam ejus Sedem? Rectè ne conſultum fuit permittere, Proculum Maſſilienſem gaudere prærogativis, & præeminentiis Metropolitæ, & poſt ejus obitum jus iſtud Aquenſi Præſuli reddendum eſſe? Vide Petrum de Marca.

Concilium Telenſe eſt ne unà cum ſuis Canonibus commentitium? Vide Queſnelium in Sanctum Leonem, Novam collectionem Conciliorum Baluzii.

Divus

Divus Hieronymus credidit ne, Chriſtifidelium damnatorum pœnas non fore æternas? numquid contra ipſum Sanctus Auguſtinus librum de Fide, & Operibus exaravit? Vide Patrem Garnerium in Marium Mercatorem, & Sancti Auguſtini Monitionem ad ejuſmodi Tractatum pertinentem, in noviſſima ejus Operum editione. Quid ſenſit Sanctus Hieronymus ſuper Authoritate Summi Pontificis in duabus Epiſtolis ad Damaſum? verum ne eſt, virgis cæſum fuiſſe, eò quòd Ciceronem legerit? Nonne ſibi quoad hoc contradicere videtur in Reſponſione ad Rufinum, & in Epiſtola ad Magnum? quid exiſtimandum de ipſius ordinatione? celebravit ne unquam Miſſæ Sacrificium? Quid dicendum de centauris, quos refert in Vita S. Pauli primi Eremitæ.

S. Paulinus fuit ne proprius ordinatus ſine titulo? Hiſtoria, quæ de ipſo fertur, ſpontè videlicet captivum fuiſſe, ad redimendum cujuſdam viduæ filium, eſt ne vera? Vide Paulinum illuſtratum à P. Franciſco Chiffletio; item noviſſimam S. Paulini editionem, & proœmium poematis Domini Perralti. S. Gregorius eſt ne ſolus ex antiquis, qui de hac hiſtoria meminerit? videtur quòd non, ſi fidem habeamus Attoni Vercellenſi Præſuli ſæculo X. aſſerenti, hujuſmodi Hiſtoriam, tam à B. Gregorio, quàm & à multis aliis Sanctiſſimis Patribus, relatam fuiſſe, & Sanctum Paulinum ab ipſis laudibus commendatum; ut videre eſt in tomo 8. Spicilegii pag. 136.

Quis elucubravit Synopſin Authoritatum de gratia, & libero arbitrio, quæ S. Cœleſtino Papæ à pleriſque tribuitur.

S. Auguſtinus docuit ne, Sanctiſſimam Communionem fuiſſe ad ſalutem æquè neceſſariam, ac Baptiſma? Item per Circumciſionem in lege veteri peccatum originale fuiſſe deletum, ſicut per Baptiſmum in nova? fuit ne primus, qui docuerit, quodcumque mendacium eſſe peccatum? lege Opuſculum de Veritate P. Thomaſſini. Omittuntur cætera, quæ ad Sanctum Auguſtinum ſpectant; etenim in nuperrima omnium ejus Operum editione difficultates omnes fient legentibus obviæ.

Quoad Pelagianorum, & Semipelagianorum hæreſes, legi poſſunt, Pater Garnerius, Henricus Noris, præfatio in decimum tomum S. Auguſtini, Hiſtoria Pelagiana Gerardi Voſſii, &c.

Extiterunt ne Heretici aliqui Prædeſtinatiani? Prædeſtinatus Patris Sirmondi eſt ne Primaſii, Adrumeti Epiſcopi, ut ferunt nonnulla manuſcripta? Nonne oppoſitum docet in cæteris ſuis operibus, quæ viſuntur in Bibliotheca Patrum.

Extraordinarium ne, ac ſingulare erat in Africa, quod in ſingulis Provinciis ſenior inter Epiſcopos (excepto Carthaginenſi) primatis titulo gauderet, non reflectendo ad civiles Metropoles? quodnam erat privilegium Epiſcopi Theſſalonicenſis in Macedonia? Jus ordines conferendi an non ad Metropolitas, aut ad viciniores Epiſcopos, aut ad Patriarchas Orientis ſpectabat? Diſciplina erat ne quoad hoc ubique uniformis? Aderant ne ibi Provinciæ nec Primatibus, nec Patriar-

Patriarchis ſubditæ? Angli hujus noſtri ævi meritò ne id ſibi arrogant in magna Britannia? Vide Petrum de Marca, Patrem Morinum, Emmanuelem à Schelſtrate, &c.

Singularis ne erat conſuetudo in Africa, quòd ſimplices Sacerdotes coram proprio Epiſcopo concionari non poſſent? Sozomenus gratis ne aſſerit, quòd nec Epiſcopi, nec Presbyteri olim Romæ concionarentur?

Ante iſtud ſæculum baptizabantur ne parvuli? Legatur Origenes in Epiſtolam ad Rom. Quid opinabantur veteres de iis, qui diu protrahebant recipere Baptiſmum? Vide ſermonem 40. Sancti Gregorii Nazianzeni. Jure ne poterant Principes ad Baptiſmum ſuſcipiendum Hebræos cogere? Vide Launojum, Joannem Nicolai, &c.

Socrates fuit ne Novatianus? vera ne ſunt, quæ ſcribit de quadrageſimali jejunio ſui ævi? Vide Thomaſſinum de Jejunio. Cùm quis diſpenſatur ad eſum carnium, cenſetur ne etiam liber à jejunio? Vide Launojum de delectu ciborum in Quadrag.

Theodoretus adhæſit ne errori Neſtorii? credidit ne præſentiam realem? Legatur tom 2. de perpetuit. fidei. Quid ſenſit circa proceſſionem Spiritus Sancti? Numquid meritò compulſus fuit Neſtorii perſonam, unà cum ejus hæretica doctrina, anathematizare, cùm jam à Sancto Leone in fidelium communionem receptus fuiſſet?

Theodoſius Imperator ſtatuit ne, quòd nemo præter Dioſcorum, præſideret Conciliabulo Epheſino? miſitne Epheſum Magiſtratus aliquos, ut Flavianum, & alios plures Epiſcopos omni ſuffragio privarent? confirmavit ne prædictum Conciliabulum? Marcianus Imperator abrogavit ne iſtam confirmationem?

Legati S. Leonis Papæ præfuerunt ne Concilio Chalcedonenſi? Hocce Concilium tranſlatum ne fuit Epheſo Chalcedonem ab Imperatore, abſque beneplacito Summi Pontificis? Epiſtola Sancti Leonis recepta ne ibi fuit veluti quædam norma fidei? Dioſcorus fuit ne ibi condemnatus tamquam hæreticus? Eutyches appellavit ne de hoc Concilio ad Summum Pontif.? Quid per Canonem 28. conceditur Epiſcopo Conſtantinopolitano? Summus Pontif. approbavit ne hunc Canonem? viguitne ex tunc ſaltem in Oriente? Vide Diſciplinam P. Thomaſſini. Actio ſpectans ad Domnum Antiochenum, quæ eſt poſt decimam hujuſce Concilii, eſt ne commentitia? Vide Queſnelium, & Baluzium in nova collectione Conciliorum.

Quid ſentiendum de tot diſſidiis, ac controverſiis, quas inter Sanctum Hilarium Epiſcopum Arelatenſem, & S. Leonem extitiſſe legimus? Vide Petrum de Marca, Queſnelium ubi agit de Sancto Leone. An non gratis aſſeritur, Sermones, & Epiſtolas Sancti Leonis fuiſſe à Sancto Proſpero elucubratas? Vide Queſnelium, & Joſephum Anthelmum.

Vigilius Tapſenſis eſt ne Author Symboli, *Quicumque*, ut vult Queſnelius?

Diploma ſub nomine Gelaſii Papæ communiter citatum, ſpectans ad

ad libros Canonicos, & Eccleſiaſticos, eſt ne hujuſce Pontificis? an potius Hormiſdæ, ut viſitur in quibuſdam manuſcriptis, teſte Franciſco Chiffletio? Nonne quoad id adhærendum potiùs eſt antiquioribus manuſcriptis in favorem Gelaſii, inter quæ potiſſimùm Miſſale Gallicanum, literis uncialibus exaratum, etiamnum in Vaticana Bibliotheca ſervatum? Vide Epiſt. 128. Lupi Ferreri, in qua litem hanc dirimit in favorem Gelaſii.

Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus meritò ne condemnatus fuit? Euphemius, & Macedonius II. ejuſdem Urbis Præſules, cenſendi ne ſunt Hæretici, an Schiſmatici?

Extiterunt ne duo Sancti Eucherii Epiſcopi Lugdunenſes, quorum unus ſæculo V. alter verò ſub initium ſexti vixerit?

Quis eſt Euſebius ille Emiſſenus, cujus ſub nomine aliquot leguntur Homiliæ? ſunt ne verè hujus Authoris?

Cœptum ne fuit hoc ſæculo celebrari Feſta Sanctorum Confeſſorum? Vide Tractatum de diebus Feſtis apud Thomaſſinum.

Conſuetudo humandi Chriſtifideles in Eccleſiis, vigebat ne ante ſæculum V.? ſepeliebantur ne in iſtis omnes indiſcriminatim? Legatur S. Auguſtinus de cura pro mortuis. Epiſcopi tumulabantur ne ſub Altari, ut videtur innuere S. Ambroſius epiſt. 22. Quomodo erant Cœmeteria primis Chriſti ſæculis? Legatur Spondanus in ſuo libro de Cœmeteriis.

In quo conſiſtit ſtatutum Concilii Forojulenſis circa Abbatiam Lerinenſem? Eſt ne privilegium, an potius interpretatio juris communis Monaſteriorum ejus ævi? Nonne jus hoc ſubinde participarunt cuncta ferè Galliæ Cœnobia? quænam erat diſciplina Monaſteriorum Africæ? In quonam conſiſtebat privilegium immunitatis quorumdam ex ipſis, confirmatum dein ſexto ſæculo in duobus Conciliis Carthaginenſibus? Hæc exempla, una cum Lerinenſi, an non fuerunt origo, & norma omnium aliarum immunitatum?

Quid intelligitur per Epiſtolas Formatas, Tractorias, Communicatorias, & alias hujuſmodi, quæ primis Chriſti ſæculis erant in praxi? Vide diſſertationem Priorii, & Annotationes Patris Sirmondi in Sidonium Apollinarem, lib. 6. epiſt. 8.

SÆCULUM VI.

Vicariatus ab Hormiſda Summo Pontifice conceſſus S. Remigio, tranſiit ne etiam ad ſucceſſores? epiſtola, in qua de illo fit mentio, eſt ne Anaſtaſii Papæ? In quonam conſiſtebat Vicariatus iſte? Vide Diſciplinam Thomaſſini, Guillelmum Marlot in ſua Metropoli Remenſi.

Ennodius Diaconus Ticinenſis fuit ne primus, qui Papæ vocabulum Summis Pontificibus proprium fecerit, ut vult Pater Sirmondus? quid ſignificare voluit Avitus Archiepiſcopus Viennenſis, per illa verba epiſto-

epiſtolæ ſcriptæ ad Senatum Romanum: *Quod ſi Papa Romæ vocatur in dubium, Epiſcopatus iam videbitur, non Epiſcopus vacillare?* Eſt ne primus, qui Papam Eccleſiæ univerſalis Præſulem indigitarit, ut legitur in epiſtola 27.? quare in epiſtola 31. ſuper nimia quorumdam Prælatorum promptitudine ad excommunicandum conqueritur, dicens, excommunicationis telum vibrandum non eſſe, niſi ob res ſpirituales, ſeu ad Deum attinentes, nedum intuitu Clericorum, verùm & Laicorum: cur pariter Aurelianenſe Concilium V. normam quandam ſuper hoc ſtatuit Canone 2.? numquid propter nimium, frequentemve tunc temporis excommunicationis uſum? egregia ſanè ratio eſt, quam affert Avitus pro ſua ſententia dicens: *Quia neſcit cujus dignitatis ſit ipſa communio, qui non eam, omni animoſitate ſepoſita, & cum magno dolore ſuſpendit, & cum maxima feſtinatione reſtituit.* Vide Petrum Damianum lib. 1. epiſtola 12. Sanctus is Præſul jure ne prohibet in epiſtola 6. hæreticorum templa, & vaſa conſecrari poſſe ad uſum noſtræ Religionis? vide S. Auguſtinum epiſt. 47. num. 3. ubi ſic ait: *Licet uti templis Paganorum non ad ſuam privatam utilitatem, ſed ad communem Dei, & Eccleſiæ.* Vide etiam S. Gregorium Magnum in Epiſtola ad Auguſtinum.

Quid ſentiendum de Actis Sanctorum Martyrum Agauni, deque illius Cœnobii fundatione? vide Patrem Carolum Cointium tom. 1. & 3. ſuorum Annalium; item Acta Martyrum Domni Theodorici Ruinart. Officium Divinum continuum, laus perennis dictum, fuit ne tam in iſto, quàm in pleriſque aliis Galliarum Cœnobiis inſtitutum? vide præcitatum Cointium tom. 1. anno 536. & Præfationem tomi ſexti Actorum noſtrorum.

Quo jure Theodoricus Gothorum Rex ingerere ſe voluit in cauſa Symmachi Papæ? quare Concilium Romanum ipſi dixit: *Romanæ Sedis Antiſtites à nemine judicantur?* Numquid tunc primum adhibitum fuit hoc dogma? verum ne eſt Galliarum duntaxat Regibus licitum olim fuiſſe excudere monetas aureas cum propria effigie, ut notavit P. Sirmondus in epiſt. 78.

Sacrum Triſagium nonne primò incœpit in Eccleſia Conſtantinopolitana, tempore Theodoſii junioris? eſt ne Petrus Fullo, qui ei addidit: ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ut propriam Theopaſchitarum hæreſim ſuſtentaret? Monachi Scythæ, qui eam propugnabant, erant ne Eutychiani? Avitus Epiſcopus Viennenſis favit ne huic hæreſi in epiſt. 3. ad Regem Gondebaldum? vide Notas P. Sirmondi, & Diſſertationem Miniſtri Alix.

Eſt ne Hæreticum dicere, Jeſum Chriſtum ut hominem aliquid ignorare potuiſſe.

Adeſt ne aliquid collatione cum Severianis antiquius ad ſuadendum, Opera, S. Dionyſii Areop. nomine inſcripta, verè fuiſſe ab ipſo compoſita?

Sanctiſſimus noſter Patriarcha Benedictus mutavit ne aliquid Monaſticæ conſuetudinis, permittendo ſuis Monachis proprii Abbatis electio-

electionem? An non potiùs id erat jus jam commune ſingulis Monachorum Cœnobiis? fuit ne primus, qui ſpecialem profitendi formulam propriis Monachis præſcripſerit, quique ad peculiaris Regulæ obſervantiam eos adegerit? celebrabatur ne in Monaſteriis ſui Ordinis Miſſa ſingulis diebus? aderant ne ibi plures Monachi Sacerdotes? Abbates erant ne, univerſim loquendo, Sacerdotali inſigniti charactere? Divus Benedictus fuit ne Diaconatu dumtaxat initiatus? cur Euchariſticum adhibuit Sacramentum ad ſepeliendum Monachum quendam defunctum? Numquid ut cadaver Sacramentum ſolùm contingeret, an etiam ut iſtud unam cum defuncti corpore tumularet? fit ne mentio in ejus Regula de Miſſa, & Communione? juxta ſenſum, quem modò apud nos ſonant? Vide Diſſertationem quandam ſuper hoc expreſsè editam, & cap. 13. 2. part. hujus Tractatus.

Quid exiſtimandum de modo, quo Vigilius Papa ſe geſſit in negotio trium capitulorum? Legatur epiſtola 4. S. Columbani. Quomodò Concilium Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum concordari poſſunt quoad iſtam controverſiam? condemnari ne poterant non tantùm dogmata, verùm & perſonæ jam defunctæ? Potuit ne legitimè congregari ejuſmodi Concilium Conſtantinopolitanum, invito Vigilio ibi commorante? Eccleſia nonne poterat quoad hoc alio modò ſe gerere? potuit ne particularium ſubſcriptionem meritò exigere? Origenes fuit ne condemnatus in iſto Concilio? Vide Petrum de Marca, Launojum part. 6. ſuarum epiſtolarum; Patrem Garnerium, in Liberatum.

Quare S. Gregorius Magnus permittere nolebat Conſtantinopolitano Præſuli titulum: Univerſalis? erat ne id antea inauditum? quandonam Summus Pontifex nuncupare ſe cœpit Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum? Vide Launojum tom. 1. epiſtolarum. Cæteri Epiſcopi, & in primis Patriarchæ, & Metropolitæ nonne utebantur hoc titulo? An non in bonam partem accipi id poterat? Vide Patrem Garnerium in Diurno Romanorum Pontificum. Quonam ſenſu S. Gregorius Sacerdotes Titulares Romæ Cardinales indigitat? Quomodò diſtinguit excommunicare ab anathematizare? quodnam erat Defenſorum munus, quos in epiſtolis paſſim memorat? quid ſentiebat circa imagines, cùm ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem ſcripſit? quænam ſunt privilegia Monaſteriis ab ipſo conceſſa? Nonne prorſus indubitatum eſt, Dialogorum libros ab ipſo fuiſſe compoſitos? Legatur Dominus Guſſanvilæus in Præfatione ad hos Dialogos. Quorſum eos S. Doctor elucubravit? Nonne aſſerendum eſt, veterum Scriptorum de libris hiſce opinionem, longè diverſiſſimam fuiſſe ab ea nonnullorum præſentis ævi Criticorum, cùm tanta apud illos in eſtimatione fuerint, ut non modò Græcè, verùm Saxonicè, & Arabicè eoſdem verterint? Vide præfationem in nuperrimam verſionem, à quodam noſtræ congregationis Monacho typis traditam, apud Coignarvum. Commentaria in Libros Regum ſunt ne ejuſdem S. Doctoris?

Habe-

Digitized by Google

Habetur ne ante hoc ſæculum ulla mentio de Pallio? concedebatur ne tunc ſingulis Metropolitis? cur S. Gregorius illud Syagrio Auguſtodunenſi Præſuli conceſſit? conferebatur ne à ſingulis Patriarchis in proprio Patriarchatu?

Incœpit ne hoc ſæculo ex nimia quorumdam credulitate Diſciplinæ puritas labefactari? quid ni potiùs dicendum, neminem majori zelo, præter S. Gregorium, & plerosque alios Sanctos Epiſcopos ipſi Synchronos, eam tum ſuſtentaſſe? Nonne pari ſtudio, & cura deſcribebantur ſæculis anteactis geſta, & miracula Sanctorum, ac in præſenti? S. Irenæus, S. Juſtinus, S. Cyprianus, Origenes, Theodoretus, aliique plures Patres, nonne egregium quoad hoc dedere noſtræ Sanctæ Religionis experimentum?

SÆCULUM VII.

QUid dicendum de libertate, qua S. Columbanus Epiſtolam quartam ad Bonifacium Quartum ſcribit? Sanctus hic Abbas numquid ritè ſe gerebat celebrando Paſcha in Gallia juxta Hibernorum traditionem? Nonne quoad hoc Eccleſiæ Romanæ, & Gallicanæ praxin ſequi potiùs debebat? quonam anno congregatum fuit ſuper hoc Epiſcoporum Galliæ Concilium; de quo nemo Authorum noſtrorum meminiſſe legitur? quænam fuit occaſio, & cauſa congregandi Matiſconenſe, celebratum, ſuggerente Monacho Agreſtio, poſt obitum S. Columbani? Vide P. Cointium anno 625. & præfationem ad ſecundum ſæculum Benedictinum.

MONITIO.

IN Sylloge Operum S. Columbani, a Patre Patritio Flemingo edita, & Lovanii in folio impreſſa 1667. Moxque in Bibliotheca Patrum Lugduni apud Aniſſonios recuſa, quinque hujus Sancti Abbatis leguntur Epiſtolæ, quarum ſecunda nonnullis Galliæ Epiſcopis ſcribitur, in quodam Concilio tunc congregatis ſuper quæſtione de Paſchate, quod à S. Columbano, ejuſque Alumnis, tunc in Monaſterio Luxovienſi degentibus, celebratur à die 14. Lunæ Martii, in ea occurrente die Dominica, contra Eccleſiæ Romanæ, & Gallicanæ praxin, à quibus ad ſequentem Dominicam transferebatur. Nulla ineſt nobis hujus Concilii notitia, præterquam ex dicta epiſtola; & cum præfata editio Carolo Cointio ignota fuerit, ejus enim perpauca viſuntur exemplaria, ideò nullatenus de hocce Concilio in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum meminit, ſed tantùm de alio quodam Matiſconenſi, anno 625. congregato, decem videlicet annis poſt obitum S. Columbani, ſuggerente Monacho Agreſtio, qui cùm adversùm S. Abbatem Euſtaſium inſurrexiſſet, tonſuram, aliaſque pias conſuetudines Diſcipulorum S. Columbani redarguebat.

Quan-

Quantum ad primum Concilium, S. Columbanus in epiſtola 2. Epiſcopis illud componentibus, ſcripta, duo nobis indicia præbet ad tempus agnoſcendum, quo ipſum fuit congregatum; inquit enim, id contigiſſe anno duodecimo ſui incolatus in Erémo Voſagenſi; unde obſecrat in eâ Præſules illos his verbis: Mihi liceat cum veſtra pace, & charitate in his ſylvis ſilere, & vivere juxta oſſa noſtrorum Fratrum decem & ſeptem defunctorum, ſicut uſque nunc licuit nobis inter vos vixiſſe annis. Cùm autem S. Columbanus Voſagum venerit paulò ante annum 590. ut in ejus vita oſtendi, initio noſtri ſecundi ſæculi Benedictini, hinc liquet, præfatum Concilium celebratum fuiſſe circa annum Domini 600.

Alterum indicium, quod nobis præbet præfata epiſtola eſt: quia Sanctus is Abbas in ea inquit, id eveniſſe tribus ſupra centum annis poſtquam Victorius Aquinaticus ſuum cyclum lucubraſſet, qui tunc obſervabatur in Gallia; ſuper quo tamen ipſe valdè conqueritur. Ita à me exponitur locus ille ejuſdem epiſtolæ, ubi S. Abbas, poſt ſermonem de dicto Victorio habitum, ſubdit: Qui poſt tempora Divi Martini, & Divi Hieronymi, & Papæ Damaſi, poſt 103. annos ſub Hilario ſcripſit. Verùm nihil certi ex hac Chronologica annotatione hauriri poteſt, cùm ſit valdè obſcura. Enimverò indubitatum eſt, cyclum fuiſſe à Victorio compoſitum anno 457. inſtante Hilaro tunc Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, qui dein ad Summum Pontificatum evectus fuit ab anno 461. uſque ad annum 467. & ſi numerentur 103. anni à die obitus Hilari Papæ, non habebimus niſi 570. annos; quod ſanè multum diſtat à prima, & vera chronologia, ex primo nempe præfatæ epiſtolæ indicio habita. A veritate tamen alienum non videbitur, ſi error aliquis in numero 103. eſſe dicatur, ejuſque loco potiùs legendum 133. hinc enim ânnus ſexcenteſimus coaleſcit, qui nimirum ex primo chronologico indicio plus minuſve colligitur. Brevem hanc declarationem hoc loco penitùs neceſſariam duxi, eſt quippe alicujus momenti, nec ab ullo, quem ſciam, antea explicitus. Cæterum notandum eſt, quòd licèt in hoc Hiberni, atque Britanni ab Eccleſia Romana tunc diſcreparent, unitatem tamen cum ipſa utpotè omnium Univerſi Eccleſiarum Matre jugiter ſervabant, quemadmodùm ex quarta ejuſdem S. Abbatis epiſtola ad Bonifacium IV. liquet, ubi ſic: Nos enim devicti ſumus Cathedræ Sancti Petri; licèt enim Roma magna eſt, & vulgata, per iſtam Cathedram tantùm apud nos eſt magna, & clara. Eapropter in hac ipſa epiſtola, vehementi admodùm fervore ſcripta, Agilulpho Longobardorum Rege inſtante, Papam ſolicitat, ut finem novo veluti ſchiſmati, ob cauſam adhuc trium capitulorum quantocyùs imponat, quatenus inde pietati Theodelindæ Reginæ, filiique ejus catholicorum, ſatisfieret, tametſi Agilulphus adhuc Arianæ hæreſeos peſte laboraret: A Rege rogor, inquit ibi, ut ſingillatim ſuggeram tuis piis auribus ſui negotium doloris; dolor namque ſuus eſt ſchiſma pro Regina, pro filio, fortè & pro ſe ipſo;

ac ſi

ac ſi dicat, ex iſto tantùm diſcrimine impediri, quominùs Rex catholicam fidem profiteretur. Super quo S. Columbanus unum ſeriò paulò poſt animadvertit dicens: olim Reges Ariani hæreticam hanc labem in hac diu regione, calcando fidem catholicam, firmare ſtuduerunt; nunc verò noſtram rogant ibi roborari fidem. Proſequor modò difficultatum ſeriem.

Meritò ne Fredegarius, & Jonas Monachus, de Brunechilde tam graviter ſentiunt, & obloquuntur? Nonne ipſam multorum criminum Fredegundis ream fuiſſe contendunt? Quæ de illa refert Fredegarius excerpſit ne ex Jona, an potius Jonas ex Fredegario? vide Valeſium, Carolum Cointium, & Dominum Cordemoy.

Interdicta erant ne uſitata primis ſæculis? exemplum, quod de ipſis legitur in Vita S. Eligii, à Sancto Audoeno exarata, nonne eſt ex antiquioribus? En verba S. Audoeni lib. 2. cap. 20. „ Alio verò tempore cùm Diœceſes ſuas (hoc eſt Parœcias) ut Epiſcopi mos eſt, „ viſitaret, extitit quædam certa cauſa, ut in una Baſilica interdiceret curſum, vel oblationem (hoc eſt Officium Divinum, & Sacrificium Miſſæ) quouſque ipſe juberet celebrari. Erat autem ille „ Presbyter quidam malæ conſcientiæ ſaucius, cujus videlicet ob culpam excommunicatio proceſſerat; qui Epiſcopi juſſis obtemperandum minus credens, verbaque ejus leviter valdè ferens, cum „ longiùs eum à loco abiiſſe æſtimaret, mox ſignum Eccleſiæ (ideſt „ campanam) ſtatuta hora, ſicut moris erat, pulſare cœpit ..... Sanctus dein interdictum abſtulit, quod Sanctus Audoenus excommunicationem hìc appellat. Vide epiſtolam 250. Sancti Auguſtini ad Claſſicianum. Adſunt ne antiquiora exempla de generali confeſſione, præter eam, quam fecit Sanctus Eligius antequam Epiſcopus renunciaretur, ut ex verbis illis Sancti Audoeni colligitur lib. 1. cap. 7. Omnia ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote confeſſus eſt acta.

Quis convocavit ſextam Synodum generalem? Honorius Papa fuit ne ibi condemnatus? Excuſari ne poteſt ab omni hæreſeos labe? Vide P. Garnerium in Diſſertatione, quæ ſequitur poſt Diurnum, Launojum, Patrem Franciſcum Marcheſium Congregat. Oratorii Romæ, in ſuo Clypeo fortium.

Potamius numquid abſolutè depoſitus fuit in Concilio Toletano decimo, eò quòd peccati cujuſdam carnalis reum ſemetipſum accuſaverit; an verò à concilio ſede ſua dumtaxat privatus, retento Epiſcopali honore, ut ex Concilii verbis colligitur: *Non abſtulimus nomen honoris?* cur igitur pœnitentiæ perpetuæ fuit adſtrictus? Adverſatur ne antiquæ Diſciplinæ, qui ob ejus delicta Eccleſiaſticos abſolutè deponit? Additio, quæ ſuper hoc legitur in quadam Epiſtola Magni Gregorii ad Secundinum, eſt ne iſtius Pontificis, an ab aliquo adjecta? vide nuperrimam editionem Operum Sancti Gregorii lib. 7. epiſt. 53. Indict. 2. & præfationem ad noſtrum ſecundum ſæculum Benedictinum, num. 49.

Digitized by Google

Wamba Wiſigothorum Rex, fuit ne de throno depoſitus in Concilio Toletano XII.? Tenebatur ne ſervare Religionis votum, quod emiſiſſe cenſebatur, dum in mortis articulo conſtitutus, Monaſticum ſuſcepit habitum? Nonne mos erat tunc temporis ad hujuſmodi vota ſervanda Chriſtifideles aſtringi? vide præfationem ad noſtrum primum ſæculum Benedictinum, num. 105.

S Æ C U L U M VIII.

INdubitatum ne eſt, Gallos à Zacharia Pontifice petiiſſe, ut Pipinum ad thronum eveheret, depoſito Childerico Rege? Nonne id egerunt prætextu tantùm excuſandi mutationem iſtam, utpotè factam Summi authoritate Pontificis? vide Valeſium, Joannem Launojum Epiſtolarum tom. 7. Cointium tom. 5. de Cordemoy, &c.

Stephanus Papa II. declaravit ne, Baptiſmum vino collatum validum eſſe? Reſponſio ſuper hoc facta ab eodem Pontifice cùm eſſet Cariſiaci, eſt ne ſuppoſititia, ut vult P. Harduinus in Tractatu de Baptiſmo in vino?

Quid ſtabilitum fuit in Concilio Francofurtenſi ſuper Decreto ſecundi Concilii Nicæni quoad Imagines? quid opinabantur tunc temporis hujuſce Concilii Patres circa cultum ſacrarum Imaginum? quis fuit Author Librorum Carolinorum? vide Caſſandrum Epiſt. 19. & 83. quandonam Nicænum Concilium ſecundum ut Œcumenicum fuit in Gallia receptum? Iconoclaſtæ nonne admittebant præſentiam realem? Felix, & Elipandus, quorum hæreſis in Concilio Francofurtenſi damnata fuit, erant ne Neſtoriani?

S Æ C U L U M IX.

CUr Leoni III. diſplicuit, additam fuiſſe Symbolo particulam, *Filioque*, cùm eam de fide jam crederet Eccleſia Catholica? Nonne id fuit, quia Symbolo generalis Concilii ſine authoritate adjecta fuerat, vide tom. 1. Muſei Italici pag. 44.

Quid cenſendum de facinore ab Epiſcopis, & Galliæ Magnatibus patrato, in depoſitione, & exautoratione Ludovici Pii? verum ne eſt, eatenus id factum, quatenus ejus vita ſervaretur incolumis, quemadmodum ſentit Paſchaſius Radbertus in deſcriptione vitæ Walæ? vide de Cordemoy.

Eugenius II. inſtituit ne purgationem canonicam per Euchariſtiam? vide Cellotum de Goteſcalco pag. 521. & tomum 1. Analectorum noſtrorum.

Nonne merum eſt hæreticorum commentum, quod ſcribitur de Joanna Papiſſa? vide Launojum epiſtolarum tom. 4. Leonem Allatium, Blondellum, Philippum Labbè, &c.

Paſcha-

Digitized by Google

Paſchaſius Radbertus aliquid ne innovavit circa Euchariſtiam? Quinam fuerunt ejus adverſarii? Ratramnus eſt ne Author libri, qui primò impreſſus ſub nomine Bertramni? Liber hic eſt ne hæreticus? Vide Jacobum Boileau, Patrem Harduinum, præfationem in ſextum tom. Actorum noſtrorum.

Godeſcalcus incidit ne in hæreſes aliquas? meritò ne fuit condemnatus? in quonam conſiſtebat diſcrimen inter Eccleſiam Lugdunenſem, & Hincmarum? Quinam fuit iſtius exitus controverſiæ? quare Præſul is ſcripſit contra eumdem Godeſcalcum de non trina Deitate? Quid cenſendum de geſtis Hincmari in cauſa alterius Hincmari ejus Nepotis, Epiſcopi Laudunenſis? Et qui in illa Rothadii Epiſcopi Sveſſionenſis?

Quænam fuere argumenta Græcorum contra Latinos ob ſchiſma Photii? Quis convocavit octavam Synodum generalem, & quis illi præfuit? Recepta ne ſtatim fuit ut Œcumenica? Photius obiit ne pendente ſchiſmate? Extinctum ne fuit hoc ſchiſma unà cum illo, ad Michaelem Cerularium?

Joannes Scotus eſt ne Author Libri impreſſi ſub nomine Bertramni, aut alterius, contra quem ſcripſit Adrevaldus Monachus Floriacenſis? Idem ne eſt cum Joanne Erigena, qui Sanctus, & Martyr à nonnullis perhibetur? Vide Elogium in Joannem Erigenam tom. *6.* Actorum noſtrorum.

SÆCULUM X.

Viguit ne hoc ſæculo tanta ignorantia, & malitia, quanta à nonnullis traditur? Aliquid ne in ipſo innovatum fuit ad doctrinam ſpectans, an ad diſciplinam? vide perpetuitatem fidei, ubi agitur de Euchariſtia, & præfationem ad tomum 7. Actorum noſtrorum.

Quid cenſendum de cauſa Formoſi Papæ? fuit ne primus inter Summos Pontifices, qui ex Epiſcopatu ad Papatum fuerit aſſumptus? quid cenſendum de ipſius poſt obitum exhumatione? Numquid meritò id factum? Vide Auxilium in libro de Ordinationibus P. Morini; item alium ejuſdem Authoris librum in tomo 4. Analectorum noſtrorum unà cum Concilio, quod legitur in tom. 1. Muſei Italici.

Eſt ne aliquis Author ex antiquioribus, qui de inviolabili fidelitate à ſubditis erga Regem ſervanda, meliùs ſcripſerit Attone Præſule Vercellenſi, in Epiſtola ad Valdonem Epiſcopum, tom. 8. Spicilegii? Nonne Præſul is ut vir zelo maximo fervens ob Eccleſiaſticæ diſciplinæ integritatem eſt habendus?

Joannes XII. num meritò fuit de Pontificatu depoſitus? Leo VIII. qui, inſtante Othone Magno Imperatore, illi ſubſtitutus fuit, eſt ne habendus ut Papa legitimus? Quid ſentiendum de Benedicto V.? Vide Launojum Epiſtolarum tom. 4.

Digitized by Google

Septem Imperii Electores inſtituti ne fuere hoc ſæculo à Papa Gregorio V.? Vide Bellarminum, De Cauſa &c.

Depoſitio Arnoldi Archiepiſcopi Remenſis, fuit ne legitima? Quid dicendum de Concilio Remenſi, ejus cauſa celebrato?

SÆCULUM XI.

FUit ne Ugo Capetus, qui duodecim Franciæ Pares inſtituit? cur Summi Pontifices excommunicationis anathemate Robertum, & Philippum Reges perculere? cœpit ne tunc temporis uſus Formulæ: *Regnante Chriſto?* Vide David Blondellum, Besly.

Inceperunt ne hoc ſæculo Abbates conſequi privilegia deferendi inſignia, & ornamenta Pontificalia? S. Hugo Abbas Cluniacenſis, fuit ne primus qui ea obtinuit?

Berengarius fuit ne Hæreticus, eò quòd negaverit realitatem, an verò ſolam tranſubſtantiationem, ut videtur Guimundus innuere de nonnullis ejus diſcipulis? Quoties relapſus eſt in ſuam hæreſim? Quot fidei profeſſiones edidit? Obiit ne tandem in gremio Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ? Quomodò intelligi debent præfatæ fidei profeſſiones? Euſebius Epiſcopus Andegavenſis, ſuſtinuit ne ejus hæreſin? Vide de Roye, & tom. 2. noſtrorum Analectorum.

Gregorius VII. jure ne poteſt redargui de modo, quo ſe geſſit erga Henricos Imperatores? Eſt ne primus Pontifex, qui ſibi poteſtatem fecerit Reges exauctorandi? Excommunicatio ab ipſo prolata adversùs Henricum IV. Imperatorem, fuit ne æqua, & legitima? eſt ne Author dictati? Vide Launojum Epiſtolarum part. *6.* Chriſtianum Lupum &c.

In quonam ſita erat controverſia de Inveſtituris? Erat ne quid ad hæreſin ſpectans? potuerunt ne Summi Pontifices eas Imperatoribus cedere? Quandonam ſuper hoc lites ceſſarunt?

Quænam fuit cauſa ſeceſſus in ſolitudinem S. Brunonis? Fuit ne diſcipulus Berengarii? numquid ſuper hoc habenda eſt fides Chronico Mellezaii?

SÆCULUM XII.

DIci ne poteſt, Rupertum Abbatem ſuſtinuiſſe, ſubſtantiam panis unà cum vero Jeſu Chriſti Corpore remanere in Sacramento Euchariſtico, an potiùs quod veram quidem admiſerit converſionem panis in Corpus Chriſti (idipſum de Sanguine reſpectivè dixeris) ita tamen ut ſubſtantia panis in Chriſti Corpus eo tantum modo converti cenſeatur, quo alimentum noſtrum convertitur in ſubſtantiam aliti? Eſt ne iſthæc opinio abſolutè oppoſita Eccleſiæ Orthodoxæ fidei quoad Tranſubſtantiationem? Vide Apologiam Ruperti à Patre Gerberone editam.

Epiſto-

Epiſtola Goffridi Vindocinenſis ad Robertum de Arbricellis, eaque Marbodi, ſunt ne ſuppoſititiæ? Vide Patrem Alexandrum, Patrem de la Main-ferme, Bollandum die 25. Februarii, Iter Italicum.

S. Bernardus eſt ne opinatus, Animas Beatorum uſque ad noviſſimum diem Deum minimè viſuras? Protulit ne ſermones ſuos Latinè, an Gallicè? Legatur nuperrima Operum ejus editio.

Cœptum ne eſt in Concilio dumtaxat Lateranenſi, ſub Innocentio II. ſervari Papæ nonnullorum caſuum abſolutionem, occaſione nimirum cujuſdam Eccleſiaſtici, contumeliis, ac verberibus tunc affecti? Nonne id quinto ſæculo jam uſitatum erat, in quo aliquot peccata Patriarchis reſervata fuere, ut ex Syneſio Baronius arguit ſub finem Anni 410.

Petrus Abaelardus, & Gilbertus Poretanus cenſendi ne ſunt Hæretici? Vide præfatam Sancti Bernardi editionem.

Cardinales jure ne rejicere voluerunt Symbolum ab Epiſcopis Galliæ in Remenſi Concilio concinnatum? quinam fuit rei hujus eventus in iſto Concilio? Vide primam præfationem in dictam S. Bernardi editionem.

Jus eligendi Papam conceſſum ne fuit ſolis Cardinalibus tempore Alexandri III. Quandonam cœperunt Cardinales ſubſcribere ante Epiſcopos? Legatur Commentarium noſtrum in Ordinem Romanum.

Hæretici ejus ævi erant ne ferè omnes Manichæorum germina? Legantur Hæreticorum variationes Epiſcopi Meldenſis, Le Grand, &c.

Formula Canonizationis Sanctorum, qua nunc utitur Eccleſia, cœpit ne hoc ſæculo? quomodo fiebat olim? Vide præfationem ad tom. 7. Actorum noſtrorum.

SÆCULUM XIII.

Quandonam incœpit Theologia Scholaſtica? Quodnam ex ipſa hauritur emolumentum? Vide in præſenti Tractatu part. 2. cap. *6*.

Cœptum ne eſt hoc ſæculo miniſtrari Sanctiſſimum Viaticum ante Extremam Unctionem? Unde nam prodiit hæc mutatio? Vide præfationem primi tomi Actorum noſtrorum.

Concilium quartum Lateranenſe conceſſit ne ſaltem indirectè poteſtatem aliquam Papæ ſuper temporale dominium Regum? Quinam ſenſus eſt Canonis, *Omnis utriuſque ſexus?* Vide Opuſcula Domini de Marca, & Domini Launoii.

Concilium Lugdunenſe ſub Innoc. IV. conſenſit ne Exauctorationi Friderici ab iſto Summo Pontifice indictæ? Æqua ne fuit ſententia? S. Ludovicus fautor hujuſce Pontificis, ipſam ne approbavit?

Concilium ſecundum Lugdunenſe quid ſtatuit ſuper Regalia? Meritò ne Eccleſia Albigenſes tradidit brachio ſæculari? Bellum contra iſtos motum, fuit ne juſtum?

Numquid ſub finem dumtaxat hujus ſæculi Præſul Auguſtodunenſis obtinere cœpit Eccleſiam Lugdunenſem vacantem? Vide tom. 8. Spicilegii pag. 225. Abbas Inſulæ Barbaræ retinuit ne hoc privilegium ab ævo Caroli Magni, quo illud obtinuit, uſque ad illud præfati Antiſtitis, ut ex Leidradi Archiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtola colligitur?

Roſarii devotio incœpit ne tantùm hoc ſæculo? Vide præfationem tom. 7. Actorum noſtrorum.

S Æ C U L U M XIV.

& ſequentia.

TEmplariorum Ordo meritò ne abolitus fuit? Vera ne ſunt ſcelera ipſis imputata? Vide Monumenta Du-Puy.

Joannes XXII. numquid reverà credidit, Beatorum Animas intuitiva Dei viſione ante noviſſimum diem non fruituras? propoſuit ne hoc tamquam dogma fidei?

Concilium Piſanum dici ne poteſt Œcumenicum? Pontifices Avenione ſedentes, nonne potiori, & ampliori gaudebant jure præ aliis Romæ commorantibus?

Concilium Conſtantienſe eſt ne Œcumenicum? Ejus ſtatuta de præeminentia generalis Concilii ſupra Papam, ſolum ne ſchiſmatis tempus comprehendunt? Additum ne aliquid fuit quartæ, & quintæ ſeſſioni? Servavit ne fidem datam in cauſa Joannis Hus?

Concilium Baſileenſe dici ne poteſt univerſale? Eugenius IV. approbavit ne hocce Concilium? Nonne poterat ipſum ſupprimere aliòve transferre licèt invitis? Fuit ne dein Œcumenicum? potuerunt ne Epiſcopi juridicè Papam deponere, aliumque creare?

Penſiones annuæ, ſeu ut ajunt, Annatæ, fuerunt ne legitimè introductæ? Quandonam incœpère.

Concilium Florentinum eſt ne Œcumenicum? Decretum pro Armenis emanavit ne ab hoc Concilio?

Quid dicendum de pragmatica ſanctione, & concordato? S. Ludovicus edidit ne ullam pragmaticam?

Concilium Piſanum contra Julium II. fuit ne generale? poteſt ne etiam tale dici Lateranenſe ſub iſto Pontifice congregatum?

Licitum ne erat omnibus Interim Caroli Quinti ſequi? Vide Launoium Epiſt. part. 8.

Poteſt ne improbari Hadriani VI. doctrina circa poteſtatem Papalem, morumque reformationem? Vide Launoium Epiſtolarum part. 4.

F I N I S.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
ECCLESIASTICA
MABILLONICA.

Digitized by Google

CATALOGUS

Selectiorum Operum, meliorumque Editionum, ad Bibliothecam ex materiis Eccleſiaſticis comparandam.

Scriptura Sacra.

Biblia Sacra latina primæ editionis 1462. 2. vol. in fol. in membranis.

Biblia Complutenſia Ximenii Card. Polyglotta, unà cum Lexico ſuo Compluti ab anno 1515. ad 1520. 6. vol. in fol.

Biblia græca juxta LXX. Venetiis typis Aldis anno 1518. Romæ apud Zanettum anno 1545. ibid. anno 1587. cum Notis Flaminii Nobilii; Baſileæ eodem anno. Francofurti anno 1591. in fol.

—— Eadem latinè reddita ibid. 1588.

Biblia Hebraica, ſeu Rabbinica, cum commentariis Rabbinorum Venetiis impenſis Danielis Bombergi 3. vol. fol. E quatuor editionibus tertia, & quarta aliis præſtant.

Biblia Hebraica, excuſa typis elegantiſſimis apud Rob. Stephanum anno 1543. 1. vol. in 4.

—— Eadem iiſdem typis 6. vol. in 16.

Biblia Roberti Stephani anno 1528 & 1532. Elegantior eſt editio anno 1540. in fol.

—— Eadem cum annotationibus anno 1557. 3. vol. fol.

Biblia Sebaſtiani Munſteri Baſileæ 1534. 2. vol. fol.

Biblia latina, ex Hebræo Græcoque textu translata à Leone Juda, Tiguri 1543. in fol.

Biblia Santis Pagnini Lucenſis, vetus Teſtamentum hebraicè, novum græcè, utrumque cum verſione latina interlineari repræſentantia, Coloniæ anno 1541. & Lugduni apud Hugonem à Porta anno 1542. fol. alibi ſæpius recuſa; ſed præſtantior editio Antuerpienſis.

Biblia Iſidori Clarii cum Scholis, bis excuſa, ſcil. anno 1542. & 1557. cum Præfatione, quæ in editione anno 1564. detracta eſt juſſu Concilii Tridentini, in fol.

Biblia Gryphii Lugduni anno 1550. fol.

Biblia Joannis Benedicti Theologi, Pariſ. anno 1558. in fol.

Biblia Franciſci Vatabli latinè cum duplici translatione, & Scholiis ejuſdem Vatabli, Pariſ. apud Robertum Stephanum anno 1557. 2. vol. in fol.

—— Eadem a Theologis Salmanticenſibus emendata, Salmanticæ anno 1584. & alibi ſæpius.

Biblia lat. ad vetuſtiſſima exemplaria caſtigata à Joanne Hentemio, Francof. 1566. & Venetiis 1372. in fol.

Biblia Antuerpiana Philippi II. Polyglotta, ſtudio Ariæ Montani, typis Plantinianis, cum Lexico quatuor linguarum, Antuerpiæ ab anno 1569. ad 1571. 8. vol. in fol.

Biblia ſacra vulgatæ editionis per Doctores Lovanienſes, Antuerpiæ anno 1583. cum figuris in fol.

Biblia latina Sixti V. Romæ typis Vatic. anno 1590. fol. cara, & rara.

—— Eadem longè minoris pretii, emendata à Clemente VIII. anno 1592.

Biblia Hebraicè, græcè, & latinè, cum Scholiis Vatabli, & aliorum, Pariſ. ad Commelinum anno 1599. 2. vol. in fol.

Biblia Hebræa, majuſculis characteribus, in quibus literæ radicales, & ſerviles, deficientes, & quieſcentes, ſitu, & colore diſcernuntur, ſtudio Eliæ Hutteri, Hamburgi typis Froben. 1588. & 1603. in fol.

Biblia

Biblia latina variarum translationum, ſtudio Fortunati Fanenſis, Venet. 1609. 2. vol. in fol.
Biblia variarum translationum Antuerpiæ anno 1616. 3. vol. in fol.
Biblia cum Scholiis Joannis Marianæ, notationibus Emmanuelis Sà, & Petri Lanſſelii, Antuerpiæ anno 1624. 2. vol.
—— Eadem cum expoſitionibus priſcorum Patrum Collectore, & Scoliaſte Franciſco Haræo Ultrajectino, Antuerpiæ anno 1630.
Biblia Michaelis le Jay, polyglotta, ſed abſque Prologomenis, ac Lexico, Pariſiis anno 1645. 10. vol. in fol.
Biblia Polyglotta Londinenſia Waltoni, cum Prologomenis ſeu apparatu, qui ſeparatim editus eſt in Germania, ad ſupplendum id, quod deerat Bibliis Domini le Jay, quæ longè viliori pretio comparantur, Londini anno 1657. 6. vol. fol.
Bibliis Londinenſibus acceſſit Lexicon Heptaglotton Edmundi Caſtelli, Londini anno 1669. 2. vol. in fol.
Biblia Græco latina ſtudio Joannis Morini, Pariſ. anno 1638. 3. vol. in fol.
Biblia Græca juxta exemplar Vaticanum, Lond. 1653. in 4. & Cantabrigiæ anno 1665. 3. vol. in 12.
—— Eadem in Hollandia recuſa, ſed abſque libris Deuterocanonicis anno 1683. 2. vol. in 8.
Biblia latina apud Antonium Vitrè fol. & in 4. Pariſiis.
—— Item in 12.
La ſainte Bible de Renè Benoiſt à Paris 1556. in fol. & in 4.
La ſainte Bible traduite par les Docteurs de Lovvain, à Anvers 1585. in fol.
La Bible de Friſon à Paris chez. Richer, 1621. in fol.
La Bible de Corbin. à Pariſ. 8. vol. in 16.
Bible traduite par Mr. de Sacy, avec des remarques 31. vol in 8.
Liber Pſalmorum Hebraico latinus per Joannem Leuſden, 12. Ultrajecti 1688.
Pſalterium quintuplex latinum Jacobi Fabri ſtapulenſis, Pariſ. anno 1513. in fol.
Pſalterium Græco latinum juxta exemplar Alexandrinum Oxonii anno 1688. in 8.
Liber Evangeliorum characteribus, & Lingua Syra editus juſſu Ferdinandi I. Imperat. ſtudio Jo: Abb. Widmanſtadii Viennæ Auſtriæ 1555. 4.
Novum Teſtamentum Lingua Syriaca, Characteribus Hebraicis, itemque græca cum verſione latina ab Imman. Tremelio, qui Grammaticam Chaldaicam, & Syram adjecit, typis Henrici Stephani 1569. in fol.
Evangelium Matthæi Hebr. cum verſione latina Joan. Filii Pariſ. 1555. 8.
Novum Teſtamentum græcè Pariſ. typis Simonis Colinæi 1534. in 8.
—— Idem græcè ex Bibliotheca regia typis elegant. Rob. Stephani 1546. in 16.
Novum Teſtamentum latin. vulgar. Pariſiis ex typog. regia 1549. in 12.
—— Idem cum notis breviſſimis Holdenii Pariſ. ſaureux 1660. in 12. 2. vol.
Novum Teſtamentum Græco-latinum cum interpretatione vulgata, & Eraſmi, ſæpius recuſum, fol.
—— Idem ab Eraſmo paraphraſticè redditum.
Novum teſtamentum Græco-latinum typis R. Stephani anno 1550.
—— Idem græcè typis regiis anno 1642.
Novum Teſtamentum græcum typis Joannis Criſpini anno 1553. 2. vol in 12.
Novum Teſtamentum ſyriacè, græcè & latinè, ex verſione Tremellii apud Henricum Stephanum anno 1569. in fol.
Novum Teſtamentum ſyriacè; græcè & latinè, Lugduni apud Tremellium anno 1571.
Novum Teſtamentum Hebraicè, græcè & latinè, Pariſ. anno 1584. in 4.
Novum Teſtamentum græcum Sedani anno 1628. in 16.
Novum Teſtamentum græcum cum variis lectionibus ex codicibus Mſs. ampliùs centum, & ex antiquis verſionibus, Oxonii anno 1675. in 8.
Evangeliorum verſiones perantiquæ duæ, Gothica, & Anglo-Saxonica, à Franciſco Junio, & Th. Mareſcallo editæ, unà cum Gothico Gloſſario, & variis alphabetis 2. vol. in 4. Dordrechti 1665.

Ex-

Digitized by Google

Explication de S. Auguſtin & des autres Peres latins ſur le Nouveau Teſtament, 4. vol. in 8. à Paris 1689.
Nouveau Teſtament avec des reflexions morales ſut chaque verſet, par l'ordre de Mr. l'Eveque de Chalon, 4. vol. 8. Pariſ. 1692.
Pluſieurs verſions du Nouveau Teſtament faites depuis peu en France.
Paraphraſes des Epiſtres de S. Paul par Monſieur Godeau en pluſieurs vol. in 12.
Iob, Eccleſiaſte, Tobie en vers Francois par le Pere Morillon Benedictin, de la Congregation de Saint Maur.

II.

Libri ſpectantes ad Sacram Scripturam.

GRammatica linguarum Orientalium, Hebræorum, Chaldæorum, & Syrorum, authore Ludovico de Dieu, Lugduni Batavorum 1628. in 4.
Theſaurus grammaticus linguæ ſanctæ Hebrææ per Joannem Buxtorfium, Baſileæ 1609. in 8.
—— Ejuſdem grammatica Chaldaica, & Syriaca Baſileæ 1615. 8.
Grammaticæ Georgii Mayr, Thomæ du Four, Bened. Congr. S. Maurii, & aliorum.
Thomæ Erpenii Rudimenta linguæ Arabicæ in 8. Pariſ. 1638.
Epitome linguæ ſanctæ authore Sante Pagnino, in 8.
—— Ejuſdem Theſaurus linguæ ſanctæ, Coloniæ 1614.
Joannes Buxtorfius de Abbreviaturis hebraicis. Item Bibliotheca Hebraica 12.
—— Ejuſdem Grammatica Chaldaica, & Syriaca 8. Baſileæ 1615.
—— Ejuſdem Lexicon Hebraicum, & Chaldaicum in 8.
—— Idem de punctorum, & accentuum hebraicorum antiquitate in 4. Baſileæ 1648.
—— Idem de linguæ hebraicæ conſervatione, in 4. Baſileæ 1644.
—— Ejuſdem Theſaurus grammaticus linguæ ſanctæ 8. Baſileæ 1609.
—— Ejuſdem Commentarius Mazorethicus in fol. Baſileæ 1620.
—— Idem Tiberias, ſeu Mazorethicus triplex 4. ibid. 1665.
—— Ejuſdem Diſſertationes Philologico-theologicæ ibid. 1660.
—— Idem de ſponſalibus, & divortiis, in 4 ibid. 1652.
—— Ejuſdem Synagoga Judaica ibid. 1680.
—— Item Epiſtolæ familiares Hebraico-latinæ 12. Baſileæ 1610.
Bartholomæi Weſthemeri phraſes divinæ Scripturæ, 8. Pariſ. 1544.
Theſaurus philologicus, ſeu Clavis Scripturæ, authore Joanne Henrico Hottingero 4. Tiguri 1655.
—— Ejuſdem juris Hebræorum leges 4. ibid.
Manipulus linguæ ſanctæ per Gulielmum Roberthſon, 8. Cantabrigiæ 1686.
Lexicon Pentaglotton, fol. Francof. 1612.
Lexicon Æthiopico-latinum Jobi Ludolfi in 4. Londini 1661.
Concordantia hebraica Buxtorfii, fol.
Concordantiæ veteris Teſtamenti hebræis vocibus reſpondentes, authore Conrado Kirchero Auguſtano, 2. vol. in 4. opus utiliſſimum Francof. 1607.
Concordantiæ Bibliorum Roberti Stephani, fol. 1555.
Concordantiæ græcæ novi Teſtamenti in fol. Baſileæ 1546.
Concordantiæ Græco latinæ novi Teſtamenti in fol. Genevæ 1624.
—— Eædem Witemhergæ 1638.
Concordantiæ græcæ Rob. Stephani in fol.
Concordantiæ latinæ à Petro de Beſſe, Pariſiis 1611.
—— Aliæ per Gaſparum de Zamora Soc. Jeſu Romæ 1627.
—— Aliæ per Franc. de Luca Colon. 1684. 8. & veneunt Pariſ. apud Carolum Robuſtel. Œconomia Methodica Concordantiarum Sacræ Scripturæ à Georgio Belloco Antuerpiæ typis Plantin. 1572. in fol.

Lu-

Ludovici Tene Iſagoge in Scripturam fol. Barcinone 1620. Habetur in Criticis Sacris Londinenſibus.
Gilberti Genebrardi Iſagoge, in 8.
Santis Pagnini Iſagoge fol. Lugduni 1536. Coloniæ 1545. 1562. Pariſ. 1636.
Ambroſii Catharini Clavis Sacræ Scripturæ, in 8. Lugduni 1543.
Nicolai Abrami Pharus vet. teſtam. in fol. Pariſ. 1648.
Philologus Hebræus, continens quæſtiones hebraicas, quæ circa vetus Teſtamentum hebræum ferè moveri ſolent, authore Joanne Leuſden, in 4. Ultrajecti 1672. editio ſecunda.
—— Ejuſdem Philologus hebræo mixtus unà cum Spicilegio philologico, &c. 4. Ultrajecti anno 1682. editio ſecunda cum figuris.
—— Ejuſdem Philologus hebræo græcus, 4 ibid. 1683.
—— Ejuſdem Clavis hebraica, 4. ibid. 1683.
—— Item Clavis græca novi Teſtamenti in 8. Ultrajecti 1672.
—— Ejuſdem Schola Syriaca, 8. ibid. eodem anno.
—— Item Onomaſticon Sacrum in 8. Lugduni Bat. 1684.
—— Ejuſdem item Lexicon hebræo latinum ad modum Lexici Schreveliani græci, in 8. Ultrajecti 1687.
—— Compendium Biblicum hebræo latinum, in 12. Lugduni Batavorum 1680.
—— Compendium græcum in 12. ibid. 1682. & 8. Ultrajecti 1687.
—— Item præcepta quædam linguæ Hebrææ, & Chaldaicæ in 8. ibid. 1655.
—— Lexicon græco-latinum in novum Teſtamentum, cum duobus tractatibus, uno de accentibus, altero de dialectis, Authore Georgio Paſore, in 8. Londini 1644.
Nic. Serarii Prologomena in Scripturam Sacram 1. vol. in fol.
Delrio Pharus Sacræ Scripturæ, Lugd. 1608.
—— Ejuſdem Adagialia ſacra, 2. vol. in 4. ibid.
Joannis Morini exercitationes Biblicæ in fol. Pariſ. 1660.
Simeonis Muſii caſtigatio animadverſionum Morini cum aliis ejus operibus in fol. Pariſ. 1610.
Anticritica ſeu Vindiciæ hebraicæ, in 4. Baſileæ 1653.
C. Fraſſeni Minoritæ Diſquiſitiones Biblicæ, &c. 4. Pariſ. 1682.
Lindanus de optimo genere interpretandi.
Defenſio veritatis hebraicæ contra Lindanum, per Joannem Iſacum Levitam, Coloniæ 1559.
Galeſinius de Bibliis græcis LXX. Interpretum Romæ 1587. 4.
Petrus Galatinus de arcanis ſacræ veritatis Barrii 1516. Auctior Baſileæ 1550.
Idem cum Reuchlino, auctior fol. Francof. 1672
Leonis Caſtrii Apologeticus pro lectione vulgata, translatione LXX. &c. Salmanticæ 1585. fol.
Capelli Critica Sacra, Pariſ. fol. 1650.
—— Ejuſdem de Paſchate, & Sabbato deutero-proto; 12. Amſtel.
—— Ejuſdem de literis Hebræorum contra Buxtorfium ibid. 1645.
—— Ejuſdem Obſervationes in novum Teſtamentum 4. ibid. 1657.
Heinſii Caſtigationes.
Diſquiſitiones Criticæ de variis per diverſa loca, & tempora Bibliorum editionibus, in 4. Londini 1684.
Sanderi Apologia biblica 4.
Carolus Sigonius de Republica Judæorum.
Seldenus de Succeſſionibus Hebræorum, in 4. Londini 1641.
Joannis Spenceri de legibus Hebræorum ritualibus libri tres in fol. Cantabrig. 1685. & in 4. Hagæ Comitum 1686.
Franciſcus Valeſius de rebus phyſicis Scripturæ, unà cum Levino Lemnio de ſacris plantis; & Franciſco Rueo de gemmis, 8. Lugduni 1588.
Malvenda de paradiſo voluptatis, in 4. Romæ 1605.

Ludovici Rumetii Viridarium Sacræ Scripturæ de arboribus frugiferis, infrugiferis, & aromaticis, in 8. Pariſ. 1620.

Bochartus de animalibus Sacræ Scripturæ, Londini 2. vol. in fol. & Francof. 1679.

Franſius de eodem argumento. Uterque melior Buſtamantio, qui de iiſdem agit, Lugduni edito 1620.

Benedicti Arriæ Montani Naturæ hiſtoria in 4. Antuerpiæ 1601.

—— Ejuſdem hiſtoria generis humani, ibid.

Hæc & alia viri eruditiſſimi Opera ferè omnia habentur in Bibliis Antuerpianis Philippi II.

Sixti Senenſis Bibliotheca utiliſſima eſt iis, qui ad Scripturæ lectionem ſe accingunt. Edita eſt fol. Lugduni 1575. Pariſ. 1610. 1615. & in 4. Colon. 1626.

—— Ejuſdem in varios Scripturæ locos quæſtiones aſtronomicæ, geographicæ, phyſicæ, problematicæ, ſæpius excuſæ.

Georgii Ederi Œconomia Bibliorum, ſive partitionum theologic. libri 5. Venet. 1572. in fol. & Coloniæ fol. 1582.

Petri Ravanelli Bibliotheca Sacra, ſeu Theſaurus Scripturæ canonicæ, Genevæ 1660. 3. vol. in fol.

Apparatus ad Biblia Sacra per tabulas diſpoſitus, authore P. Lamy Orat. fol. Gratianopoli 1687. & veneunt Pariſ. apud Carolum Robuſtel.

—— Idem gallicè Lugduni 12.

Hiſtoria Sacra Patriarcharum per Heideggerum 2. vol. in 4. Amſtelod. 1667. & 1671.

Tabulæ geographicæ Aug. Lubin, in 4 Pariſ. 1670.

Methode d'ètudier, & d'enſeigner la grammaire, ou les langues, par rapport à l'Ecriture ſainte, en les reduiſant toutes à l'Hebreu, par le P. Thomaſſin, 2. vol. 8 Pariſ. 1690.

L'Antiquitè des temps retabliè par le Pere Pezron, in 4. avec les Refutations du P. Martianay, & du Pere le Quien.

Dèfenſe de l'Antiquitè des temps par le Pere Pezron, ou Reponſe au P. Martianay & au Pere le Quien in 4.

Figures de la Bible, avec des figures en taille douce par Mr. de Sacy 4. Pariſ.

Les memes in 12. ſans figures.

III.

Interpretes totius Sacræ Scripturæ.

Gloſſa ordinaria Lugduni, 6. vol. in fol.

—— Eadem elegantior Duaci, & Antuerpiæ, anno 1617.

—— Eadem auctior, ibid. anno 1634. quæ eſt optima editio. Poſt Strabonem primas ſibi in hac Gloſſa vendicat Nicolaus de Lyra, ſic dictus à Lyra minori, Neuſtriæ oppido, ubi natus eſt, mortuus anno 1340. Octob. 23. uti diſcimus ex veteri ejus Epitaphio.

Critici Sacri, 10. vol. in fol. Londini. Advertendum tamen, in nonnullis deeſſe Ludovicum Tenam in Epiſtolam ad Hebræos, qui decimum tomum explet.

Synopſis Criticorum 5. vol. ibid. continet authores diverſos ab iis, qui referuntur in Criticis ſacris

—— Idem Ultrajecti 5. vol. in fol. ex reviſione Joannis Leuſden 1684. & veniit Pariſiis apud Carolum Robuſtel.

Biblia Magna Joannis de la Haye 5. vol. in fol. Pariſis 1643. Complectitur Commentarios Tirini, Menochii, & Emmanuelis Sa cum Gagneo, & Eſtio in difficiliora loca Scripturæ.

Biblia maxima ejuſdem, præter authores ſupradictos continet Prologomena, & varios ad triginta verſiones latinas, cum Notis Nicolai de Lyra, 19. vol. in fol.

Hugo de S. Carolo Cardinalis in totam Scripturam, Venetiis, Coloniæ, Lugduni, opti-

optima editio Pariſ. anno 1545. 7. vol. fol. Venet. anno 1600. & 1601. 8. vol. Colon.

Dionyſius Cartuſianus in totam Scripturam, 7. vol. in fol.

Præter hæc ſeptem volumina ſunt item alia quinque de aliis rebus, nempe Opuſcula ejus minora 1. vol. fol. cariſſima. Opera inſigniora 2. vol. minoris pretii, utpote in minoribus opuſculis ferè contenta: item unum volumen in Dionyſium Areopagitam.

Vatabli in Biblia ſacra Annotationes primò editæ Pariſ. in fol. deinde Salmanticæ perpurgatæ 2. tom. fol. 1584. Etiam inter Biblia, & inter Criticos extant.

— Ejuſdem in Biblia Scholia Salmanticæ 1584.

Thomas de Vio Cajetanus ſcripſit in tota Biblia, exceptis Canticis Canticorum, Prophetis minoribus, & Apocalypſi, 5. vol. in fol. Lugduni 1539. Separatim etiam editus variis in locis.

Ambroſius Catharinus in quinque priora capita Geneſeos, in fol. Romæ 1552.

— Idem in Epiſt. Pauli; & in Epiſtolas canonicas, in fol. Romæ & Pariſiis.

Emmanuel Sa breves Notationes edidit in utrumque Teſtamentum ſæpius excuſas, in 4. correctas, & auctas in editione Colonienſi 1610. Deinde in fol. Lugduni 1651.

— Ejuſdem Scholia in quatuor Evangelia, brevia, & erudita, ſeparatim edita non ſemel, in 4. Antuerpiæ 1556. Lugduni 1602. & Coloniæ 1612.

Alfonſus Salmeron in utrumque Teſtamentum, 16. tom. in fol.

Nicolaus Serarius Prologomena in Biblia, & commentarios in univerſam ferè ſcripturam edidit, 3. vol. in fol. Pariſiis 1611. & 1622. & Moguntiæ 1612. & 1627. Probantur ejus Commentarii, quod linguarum callentiſſimus erat.

Joannes Stephanus Menochius in utrumque Teſtamentum, expoſuit ſenſum literalem, 2. vol. in fol. Coloniæ 1630.

Jacobus Tirinus idem etiam præſtitit in utrumque Teſtamentum, 2. vol. in fol. Antuerpiæ 1632. 1645. Lugduni vilius.

Jacobi Gordonii ſimile opus prodiit, 3. vol. in fol. Pariſ. 1632.

Cornelius à Lapide in univerſam Sacram Scripturam, exceptis libris Pſalmorum & Job. prolixos edidit Commentarios 11. vol. in fol. Antuerpiæ.

Alfonſus Toſtatus in multos libros vet. Teſt. & in Matthæum, 14. tom. in fol. Venetiis 1507. 1596. At 17. tomis 1615. 12. tomis præter Opuſcula Coloniæ 1613. 1617. Elegantior eſt Veneta, quæ ſelem pro inſigni habet. Author eſt eruditus, ſed prolixior, & in digreſſiones facilior. Ejus tamen lectio fructuoſa.

Joannes Maldonatus in præcipuos utriuſque Teſtam. locos, Pariſ. 1643.

— Idem in Pſalmos, Proverbia, & libros Sapientiales in Cant. in Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Danielem, in fol. ibid. 1643. & alibi ſæpe etiam in 4.

— Idem in quatuor Prophetas majores in 4. Moguntiæ 1611.

— Idem in quatuor Evangelia, in fol. primum Muſſiponti 1596. & Lugduni 1607. Pariſiis 1617. 1639. 1651. Antuerpiæ 2. vol.

Ex Heterodoxis, qui in utrumque Teſtamentum ſcripſerunt, probabiliores ſunt Ludovicus de Dieu, Joannes Druſius, Hugo Grotius, Joan. Lightfootus.

Ludovici de Dieu animadverſiones in omnes veteris Teſt. libros 4. Lugduni Batavorum 1648.

— Item in quatuor Evangelia 4. ibid. 1631.

— Idem edidit Commentarios in Acta, in Epiſtolas Pauli, in Epiſtolas Canonicas, & in Apocalypſim ſeparatim 4. vol. in 4.

Joannes Druſius edidit in utrumque Teſtamentum fragmenta veterum Interpretum græcorum, 4. Franckeræ 1619. Arnheim 1622.

— Item Parallela Sacra hebraicè, græcè, & latinè, cum Notis, in 4. Franckeræ 1588. & Francof. 1618.

— Item in utrumque Teſtam. varios libros, variis in locis, & annis excuſos.

Hugo Grotius, vir impensè doctus, & modeſtus in totum vetus Teſtamentum breves Annotationes fecit, 3. vol. in fol. 1644. in quibus profana multa eſt eruditio.

— In

Digitized by Google

—— In quatuor Evangelia item eruditas, & prolixas annotationes, 1. vol. in fol. Amſtelodami 1641.
—— In Acta, & in Epiſtolas ad Jacobi incluſivè fol. Pariſ. 1646. quæ extant inter Criticos.
—— Ejuſdem Opera Theologica in unum collecta, fol. 4. vol. Amſtelodami 1679. & veneunt Pariſ. apud Carol. Robuſtel.
Joannis Lighfooti Harmonia veteris Teſtam. Anglicè, fol. Londini 1655.
—— Ejuſdem Obſervat. in Geneſim, 4.
—— Item Manipulus Spicilegiorum ex Exodo 4. Anglicè.
—— Item Harmonia quatuor Evangeliorum inter ſe, & cum veteri Teſtam. in fol. Londini 1665. & in 4.
—— In Matthæum Horæ hebraicæ latinæ; 4. Cantabrigiæ 1658.
—— In Marcum Horæ hebraicæ & Talmudicæ latino-hebr. 4. Londini 1670.
—— In Acta Commentarium Chronologico-criticum Anglicè, 4. 1645.
—— In primam ad Cor. Horæ hebraicæ latinè, 4. Cantab. 1664.
—— Ejuſdem Opera omnia in fol. 2. vol. Roterod. 1686.

IV.

Interpretes Bibliorum in parte.

PRocopius à Gaza, vetus author, Catenam in Octateuchum, ſeu in octo priores veteris Teſtam. lib. concinnavit ex antiquis verſionibus, & authoribus. Opus non mediocris utilitatis. Extat latinè in fol. Tiguri 1555.
—— Ejuſdem in libros Reg. & Paralipomenon Scholia græco-lat. in 4. Lugd. Batav 1620. 1622.
—— Item in Iſaiam Commentarii græco-lat. in fol. Pariſ. 1580.
Santis Pagnini Catena argentea in Pentateuchum &c. Antuerp. 1565.
Catena argentea in Geneſim, authore Floriano Nannio, 4. Bononiæ 1587.
Auguſtinus Steuchus in Pentateuchum, in Job, & in aliquot Pſalmos.
Hieronymus ab Oleaſtro in Pentateuchum, in fol. Lugduni, Antuerp. Uliſſipon.
Jacobus Bonfrerius in Pentateuchum, in fol. Antuerp. 1625.
—— Idem in Joſue, Judic. Ruth, in fol. Pariſiis 1631.
—— Idem in Samuelem, ex lib. Reg. in fol. Tornaci.
Benedictus Pererius in Geneſim, & alia, fol. 1. vol. Colon. 1622.
Ambroſius Catharinus in priora quinque capita Geneſeos, in fol. Romæ 1552. & 1556.
Cornelius Janſenius Epiſc. Iprenſis in Pentateuchum, in 4.
—— Idem in libros Sapientiales, 4.
—— Idem in quatuor Evangelia, 4.
Joannis Merceri Calviniſtæ in Geneſim prælectiones, in fol. Genevæ 1598.
—— Ejuſdem in Ruth Interpretatio Syriaca cum Scholiis, Pariſ. 1564.
—— Ejuſdem in Job, Proverbia, Eccleſiaſten, Cantica Cantic. Commentarii, in fol. Genevæ, ſæpius, & Amſtelodami 1651.
—— Ejuſdem in quinque Prophetas minores Commentarii, in fol. Genevæ 1565.
Marinus Merſennus in Geneſim ſex priora capita, in fol. Pariſ. 1623. 1625.
Franciſci Titelmani in Exodum, Deuteronomium, Samuelem partim, in Job, Pſalmos, Eccleſiaſten, & Cantica Cant. in Iſaiam partim, Matthæum, & Joannem, & in omnes Epiſtolas pluribus vol. in fol. & in 4.
Joannes Lorinus in Exodum, & Leviticum, in fol.
—— Idem in Numeros, in fol.
—— Idem in Deuteronomium, 2. tom. in fol.
—— Idem in Pſalmos, 3. vol. in fol.
—— Idem in Eccleſiaſten, in fol. & in 4.

—— Idem

—— Idem in Sapientiam, & Eccleſiaſticum, in fol.
—— Idem in Acta, in fol.
—— Idem in Epiſtolas Canonicas, 2. vol. in fol.
Heſichii Patriarchæ Jeroſolymitani in Leviticum lib. VII. græcè 8. Pariſ. 1581. latinè fol. Baſileæ 1527.
—— Idem in Job latinè fol. ibid. 1527.
—— Idem in Iſaiam græcè Auguſtæ Vindelicorum 1602.
—— Idem in 12. Prophetas minores græcè, ibid.
Radulfus Monachus Flaviacenſis in Leviticum, in fol. Coloniæ 1536. & Marpurgi eodem anno. Hunc authorem non ſæculo decimo, ſed duodecimo medio vixiſſe ex Alberico rectè probat Labbeus.
Andreas Maſius in Joſue opus prolixum, ſed eruditum, in fol. & in 8. Antuerpiæ 1574. 1609. & inter Criticos.
Benedictus Arias Montanus in Joſue, in Judic. in aliquot Pſalmos, Iſaiam, Danielem, XII. Prophetas minores, & in totum novum Teſtam. pluribus tom.
Angelomus, vetus Scriptor Benedictinus, in libros Regum, Paralipom. in fol. Coloniæ, & Romæ.
—— Idem in Cantica Cant. 8. ibid. 1531.
Claudius Rangolius in lib. Reg. 2. vol. in fol. Pariſ. 1621.
La verité de l'hiſtoire de Judith par Dom Bernard. de Montfaucon de la Congregat. de Saint Maur in 12. Pariſ. 1690.
Philippus Presbyter, vetuſtiſſimus author, in Job, fol. Baſileæ 1527. in Bibliotheca Patrum.
Catena in Job per Petrum Comitolum 4. Venetiis 1587.
Hieronymus Ozorius Senior in Job, & quoſdam Prophetas, cum operibus Hieronymi Nepotis, fol. 4. vol. Romæ 1592.
Philippi Codurci verſio nova libri Job cum Scholiis 4. Pariſ. 1651.
Balthazar Corderius edidit Catenam græco-latinam ex Patribus græcis in Pſalmos 3. vol. in fol. Antuerpiæ 1643. 1646.
—— Idem in Matthæum, ibid.
—— Idem Catenam in Lucam, & Joannem, 2. vol. in fol. ibid. 1630.
Haimo Epiſcopus Halberſtadenſis in Pſalmos, & in reliquos ferè Scripturæ libros in pluribus tomis 8. ſeparatim.
Catena aurea ſuper Pſalmos, in fol. Pariſ. 1520.
R. Davidis Kimchi Commentarii in Pſalmos, latinè reddiri per D. Ambroſium Janvier Benedict. Congregat. S. Mauri, 4. Pariſ. 1666.
Petrus Lombardus in Pſalmos, fol. Nurembergæ 1478. Pariſ. 1541. & 1561.
Richardi Pampolitani Anglo-Saxonis Eremitæ enerratio in Pſalterium Davidicum, edita per Jo: Fabri ab Haylbrum, Col. 1526. in fol.
In Pſalmos item Commentarios probabiles ediderunt Ludolfus Cartuſianus, Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, Robertus Bellarminus, Cardin. Gilbertus Genebrardus, & Joannes Baptiſta Folengius Benedictini Franciſcus Titelmannus, & Simon Muſius.
Michael Ayguanus, aliàs Incognitus, in Pſalmos fol. non omninò ſperendus.
Illuſt. Jacobi Benigni Boſſuet liber Pſalmorum duplicis verſionis, vulgatæ, & S. Hieronymi, additis Canticis in 8. Pariſ. 1691.
Thomas Ciſtercienſis in Cantica Cantic. in fol. Romæ 1666.
Chriſtophorus à Caſtro in Jeremiam, Threnos, & Baruch.
Hieronymus Pradus in priora viginti ſex capita Ezechielis, cum figuris æneis, Romæ 1596.
Joannis Baptiſtæ Villalpandi continuatio cum Prado 3. vol. Romæ 1605. & 1616.
Franciſcus Ribera ſcripſit de Templo lib. 5. impreſſos 8. Lugd. & Antuerp.
—— Idem in XII. Prophetas minores in fol. & in 4.
—— Idem in Joannem in 4. Lugduni 1623.
—— Idem in Epiſt. ad Hebræos 8.

Iſaie

Iſaiæ Prophetæ vetus & nova ex Hebraico verſio cum Comment. Franc. Forezii, Venetiis 1563. in fol.
Leonis Caſtri Commentaria in Iſaiam, Salmanticæ 1570. in fol.
Hieronymi Natalis Soc. Jeſu Adnotationes, & Meditationes in Evangelia totius anni, cum figuris, Antuerpiæ 1594. in fol.
Joannes Gagnæus in totum novum Teſtamentum, atque etiam in Pſalmos. In Evangelia quidem & Acta in 8. Pariſ. 1552. & 1631. In Epiſtolas vero, & Apocal. ibid. 1547. 1550. 1564. & 1629. In Pſalmos vero ibid. 1564.
Zachariæ Chryſopolitani Harmonia Evangelica fol. Coloniæ 1535. Extat etiam in Bibliotheca Patrum Editionis Colonienſis. Non fuit Epiſcopus, vixitque ſæculo XII. Vide Labbeum.
Sylveira in Evangelia, & in Apocalypſim 7. vol. in fol. Lugduni.
Catena Græcorum Patrum in Marcum, collectore, & interprete P. Poſſino, in fol. Romæ 1673.
Catena LXXV. græcorum Patrum in Lucam, compilata per Balthazarem Corderium.
Guillelmi Eſtii Annotationes in præcipua, & difficiliora Sacræ Scripturæ loca, Duaci 1629. in fol.
—— Ejuſdem Commentarii in omnes Pauli Epiſtolas. Pariſ. 1679. 2. vol. fol.
Dominici Soto Ord. Prædicat. Commentarii in Epiſtolam Pauli ad Romanos, & alia opera, Antuerpiæ 1550. fol.
Jac. Naclanti Opera, ſive Enarrationes in Epiſtolas Pauli, & alii tract. Venet. 1567. in fol.
Libertus Fromondus in Acta, & in Epiſtolas Pauli.
Joannes Antonius Velaſquez in Epiſt. ad Philipp. 2. vol. in fol. Lugd. & Pariſ. 1632.
Claudius Eſpencæus in utramque ad Timotheum, in fol. Pariſ. 1561.
—— Idem in Epiſt. ad Titum. Pariſ. 1567.
—— Ejuſdem Opera omnia. Pariſ. 1567. 1619.
Eclairciſſement pour l'intelligence des Epiſtres de S. Paul par Mr. Himbert. in 12. Pariſ. 1690.
Analyſe des memes Epiſtres par le Pere Mauduit de l'Oratoire, 2. vol. in 12. Pariſ. 1691.
Danielis Heinſiis Sacr. Exercitationum in nov. Teſtam. lib. X. in fol. Lugduni Batav. 1639.
Omitto Commentarios Patrum, & plurimos alios Commentatores, quos accurate exhibet Elenchus Scriptorum in Sacram Scripturam editus a Guillelmo Crovvæo in 8. Londini 1672.

V.

Concilia, & Libri pro hac Materia.

Collectio Conciliorum expenſis Geleoti a Prato in fol. 1524.
Jacobi Merlini Collectio, 2. vol. in fol. 1524.
Petri Crabbe Collectio, 3. vol. in fol. Coloniæ 1538.
Eadem auctior 3. vol. in fol. 1551.
Joannis Sagittarii Collectio, fol. Baſileæ 1555.
Laurentii Surii Collectio 4. vol. in fol. 1567. Colon. & alibi deinceps.
Collectio Veneta amplior Suriana 5. vol. in fol. 1585.
Severini Binii Collectio 5. vol. in fol. Coloniæ 1606.
Eadem græco-latina 9. vol. in fol. Coloniæ 1618.
Eadem græco-latina 10. vol. in fol. Pariſ. typis Morellianis 1636.
Romana Collectio græco-latina 4. vol. in fol. Romæ 1608.
Collectio regia 37. vol. in fol. ex Typographia regia 1644.
Collectio Labbeana 18. vol. in fol. Pariſ. abſoluta per Gabrielem Coſſartium 1672. apud Robuſtel.

Digitized by Google

Nova Collectio Conciliorum Baluziana pluribus tom. quorum primus dumtaxat nunc editus eſt Pariſ. 1683.
Concilia generalia 2. vol. 8. Pariſ. 1535.
Concilia generalia cum Notis Chriſtiani Lupi, 5. vol. in 4. primùm Lovanii 1665. poſtea Bruxellis 1673.
Concilia Hiſpaniæ cum Notis Garciæ Loaiſa 1. vol. in fol. 1593.
Concilium Illiberitanum cum Notis Mendozæ 1. vol. in fol. Madriti 1594.
—— Editio Lugdun. vilior anno 1665.
Notitia Conciliorum Hiſpaniæ Cardin. d'Aguirre 4. tom. in fol. Romæ 1698.
Concilia Galliæ per Jacobum Sirmondùm 3. vol. in fol. Pariſ. 1629.
Supplementum Lalandi 1. vol. fol. Pariſ. 1666.
Concilia noviſſima Galliæ à tempore Concilii Tridentini collecta per Ludovicum Odeſpun, in fol. Pariſ. 1646.
Concilia Galliæ Narbonenſis per V. C. Stephanum Baluzium 8. Pariſ. 1668.
Concilia Provinciæ Rotomagenſis per Franciſcum Pommeraye 4. Rotomagi 1674.
Synodicon Eccleſiæ Pariſienſis 8. Pariſ. 1674.
Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ libri VIII. per Laurentium Bochellum fol. Pariſ. 1609. & 1621.
Memoire des Aſſemblées du Clergè de France en pluſieurs tomes in folio.
Abregez de ces Memoires in 4. à Paris chez Leonard.
Concilia Angliæ per Henricum Spelmannum 2. vol. in fol. Londini 1639. & 1664.
Conſtitutiones Angliæ fol. Londini 1672.
Provinciale Eccleſiæ Cantuarienſis 12.
Acta Eccleſiæ Mediolanenſis ſub S. Carolo 1. vol. in fol. Mediolani 1599. & Pariſ. 1643.
Eadem auctiora 2. vol. in fol. Lugduni 1683.
